



1
6
557









+

Vincentij Melioratj Rhemigij f. καὶ τῶν φίλων :—

XV

PORT.


ANTONII PORTI FIRMANI PHYSICI DE PESTE LIBRI TRES,

Quibus accedit quartus de Variolis, & Morbillis.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. MARCVM SYTICVM DE COMITIBVS AB ALTAEMPS, CARDINALEM AMPLIS. PRINCIPEM OPT.

Patronum ſuum pluribus nominibus colendiſſimum.

Ob receptorum beneficiorum cumulum grati animi cauſa dicati.



VENETIIS, Apud Petrum Dehuchinum. M D LXXX.

TYPOGRAPHVS LECTORI CANDIDO S.



IN graui ea & difficili calamitate quæ proximis annis præclarissimas Italiæ vrbes inuasit, excitata sunt præstantium virorum ingenia non ad ea modo exquirenda atq; in vsum reuocanda præsidia qui humanæ reipu. aliàs contulisse fuerat obseruatum; sed & ad noua multa excogitanda, ac ad eadem posteris communicanda quę ratione duce inuenta experimento fuere comprobata. Hinc varíj de peste libri & varia commētaria proximis mensibus à viris doctis prodiere, ex quibus deinceps humanum genus veluti expergefactum, insolenti illi morbo occurrere audacius norit & poterit, si quando (quod rerum harum vicissitudo afferre solet) eiuscemodi fortuna aduersa institerit. Inter alia, in nostras incidit manus Antonij Porti viri ætate nostra doctissimi & clarissimi nondum diuulgata lucubratio: quam quum ab ijs probari senserimus quorū authoritati plurimum tribuimus, committere non potuimus, qu[illegible] in publicum commodum nostris typis in lucem ederemus. Erit igitur vt Porto non medicinæ tantum studiosi, sed vniuersus orbis plurimas debeat & habeat gratias, qui quæ sibi ipsi fuerat commentatus, communis boni non inuidus alijs quoque impartiri non recusauit. Vale Candide lector, candidumq; huius scriptoris animum, & diligentiam nostram agnosci.

INDEX

INDEX

OMNIVM CAPITVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR,

Et primo primi Libri.



Index Capitum Secundi Libri.

An

Index Capitum quæ in Tertio Libro continentur.


Index

Index Capitum Quarti Libri de Variolis, & Morbillis.

Errores ſic corrigito .

Carta.	Pagina.	Linea.			
2	1	15	quod	lege	qui.
2	2	26	proficit		profuit.
4	1	15	detur		debet.
5	1	15	& M. D. L X X V I I.		M. D. L X X V I I I.
6	1	14	primo		primus.
6	2	19	fiat vt fieri		vt fiat.
7	2	13	mobiles		mobilis.
8	2	1	quia viciniorem		quibus.
8	2	7	lata		lenta.
8	2	14	recipiatur.		reperiatur.
8	2	35	euaderent		euadent.
9	1	37	qui		quod.
9	2	15	qui		quod.
10	1	31	vertentur		verſentur.
12	1	17	& tabeſcentia		tabeſcentia,&.
16	2	27	regulatiuum		regulatricis.
17	1	11	nobilis		mobilis.
17	1	20	exiſtentis		exiſtens.
18	1	16	calori		calor.
18	1	27	adhuc		cum adhuc.
19	1	7	num		enim.
22	1	25	incalitur		malum.
23	1	10	propria		propterea
27	2	7	Italiæ		toti Italiæ.
27	1	8	coinquinare		coinquinarí.
31	2	12	ect.		ſect.
41	1	7	colligit		colliget.
41	1	12	cauerni		cauernis.
42	1	27	putreſcibilem		putreſcibile,
43	2	9	econuniant		conueniant.
44	1	2	lubrium		lubricum.
45	1	5	valeht		valent.
48	2	35	ad		ac.
48	2	38	eeſſe		neceſſe.
48	2	38	aque		quæ.
50	2	1	menſa		menſæ.
50	2	28	proportia:nata		proportionata.
52	1	25	optimis		optimum.
53	2	21	moleiſt.		moleſtus.
53	2	22	vensiere		venereis.
55	1	15	principium		ad principium,
56	2	8	eductione		eductioni.
61	2	38	ſed ma- &c.		ſed magis quod in dies.
68	2	37	albecens		albeſcens.
69	1	30	quæ		qui.

Reliquos errores ſi qui inciderunt diligens lector facile corriget.



ANTONII PORTI FIRMANI PHYSICI DE PESTE

LIBER PRIMVS.

Quo de pestis essentia, de causis, & signis.

PRÆFATIO.



MNIVM *immanium morborum, qui humana corpora inuadere solent, cuiuscunque generis sint, immanissima, perniciosissimaq; pestis existit: in ipsa enim cuncta horrendissima fieri (vt ex Ruffi decreto Aetius affirmauit) putandum est, quam nostris calamitosis temporibus, præter alias innumeras molestias, plurimę ciuitates, et loca experiuntur. A quarum rumore impulsus, & vt quæ ab ipsa correptæ non sunt ab ea se præcauere, & vt quę ab ea detinentur, se ipsas curare, ipsamue fugare, & vincere sciant; tractatũ de peste scribere decreui, etsi multos fuisse non ignorẽ, qui de ea prolixa cõmentaria scripsere; difficileq; mihi esse ea adinuenire, quæ alij non dixerint, & superfluũ, quę ab alijs sunt pertractata, repetere. Non propterea ab instituto destiti, sed calamo manum admoui, enitarq; si non rerum nouitate, inuentioneque, facilitate tamen, & ordine has meas lucubrationes lectoris satisfacere, nonnulla recitans, quæ à grauissimis Doctoribus sunt*

pertractata, & rursus noua aliqua addens, quæ tam pro dicti morbi cognitione, quàm pro eius absoluta curatione valde vtilia, & salutaria comprehendentur. Et vt distincto, & ordinato sermone procedamus, in quatuor partes opus totum diuidemus. imprimis quæ ad pestis essentiæ, & ad eius causarum, signorumue spectant cognitionem, pertractabimus; in secunda quomodo quis ab ea præcaueri possit, mōstrabimus; in tertia cum quibus qui ab ea correpti sunt, se curare possint, docebimus: vltimo de variolis, & morbillis, prout magis poterimus, accurate agemus, à quid nominis pestis sumpto exordio.

Quare morbus iste pestis dicatur. Cap. I.



VARIIS certe nominibus à variis scriptoribus pestis nuncupatur, & hoc à variis effectibus, etsi quandoque à variis causis sumptis. Isidorus.n.3.ethimologiarum pestem contagiū vocauit, & hoc a contāgendo, quia quem tangit, polluit, vel quia ex vnius contactu ad alios facillimè transit: Ab Vgutio vero lues dicitur, quòd nomen à luēdo, uel luctu originem traxit, cum mortales lugere maximè cogat; nam cū ad aliquem peruenit, ipsum vt plurimum rapit, vt hinc qui remanent parentes lugere cogantur: Dicitur epidemia, sub quo titulo Simon Ianuensis, Ficinus (præter alios multos,) & Philonius de ea tractauerunt. Quod nomen supra populum, & secundum aliquos, supra aduenięns significat: & iure merito, cum sæpe sæpius, a cęlestib. corporibus, diuinitusque, & vt iræ Dei vltricis ministra, supra populum irruere uideatur. Secūdum verò Guainerium pestis dicitur a pæstyn, quod est humor, quasi morbus existat humoralis: Dicitur tandem pestis a pasco pascis, nā familias deuorat, ciuitates depascit, Regna destruit, & deuastat; & ceu fera quædam venenata, vt dixit Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem cap.16.non solum aliquos paucos perdit, sed totas ciuitates depopulatur, vt in eis animam viuentem non derelinquat; sed a gubernatoribus derelictæ, iustitia carētes, sine Dei viuentis cultu, dirutæ, & ciuibus expoliatæ, tanquā cadauera conspiciantur. Cæterum cū morbi diuersorum generum sint, quæ nam sint dicta genera, vt sub quo dictorum generum pestis contineatur, appareat, primo erit videndum.

Quod

Quot sunt genera morborum, & quomodo inter se differant. Cap. II.



VM morbi multorum generum sint, eos prius partiri, & in proprias species referendos esse putauimus vt melius, clariusue quid sit pestis innotesceret. Diuiduntur itaque morbi, vt primo acut. tex. com. 9. & primo de morb. vulg. in argumento libri explicauit Gal. in communes, & particulares, qui particulares sporades idest sparsim, priuatimque apprehendentes dicuntur, vti priuatam causam habent, vt cibis, & potibus ad eorum procreandum paratis magis vtuntur mortales, vt in lib. de flatibus num. 7. placuit Hippocrati, quod Gal. 2. de nat. hum. com. 4. confirmauit, in quo loco non tantum a cibo, & potu fieri asserit, sed a lauacris, exercitationibus, ocio, vigilijs, mœrore, ira, perfrigeratione, atq; exustione, a quibus omnium generum morbi producuntur, quòd præter id quod inter se maxime differunt, cum specie distent, & multoties genere; differunt etiam, quia indiscriminatim mortales apprehendunt, cum vnus ipsorum detineat vnum, & alter alterum: vnus namque catarrho ophthalmia, alter tertius podagra detinetur: Præter quos dispersos, & particulares iam dictos, datur alter morbus communis appellatus, qui duorum generũ est, nam aut vnam tantum Ciuitatem occupat, & endemius, idest patrius, vernaculusque vocatur, vt citato loco primo acutorum docuit Galenus vt sunt botij gulæ Tuderti & Tridenti, de quibus abunde in libro de aere, aquis, & locis pertractauit Hippocrates, qui & causam vniuersalem habent, vt aquam, & solum, etsi semen quoque concurrat. Alter morbus communis quandoque vnam Ciuitatem detinet, aliquando ad alias pertransit, & aliquãdo detinet, & quandoque non vti generãs causa magis viget, vniuersalis tamen, & vnigeneris cum sit, epidemius nuncupatur; Qui & ipse diuisionem suscipit: nam vel vt plurimum ad salutem terminatur, vel ad interitum, si ad salutem epidemius, si vero ad interitum pestis nuncupatur, vt 2. aphor. 13. habetur, quæ aliud non est, vt primo acutorum mox citato loco, & primo de morb. vulg. sect. 3. Com. 2. docuit Galenus quam perniciosa epidemia. Animaduertes, quod morbi diuersorum generum aliquando epi-

[Handwritten marginal notes: Sporades morbi qui — Endemius morbus qui — Epidemius morbus qui — Pestis que]

do epidemij fieri possunt, nempe, quando diarrheæ dysenteriæ, catarrhi, & ophthalmiæ fiunt cõmunes, & vniuersales, vt primo, de morb. vulg. loco citato spectare licet: Qui morbi tunc contagium retinent, & vltra cibum, & potum, & alias supradictas causas, aer concurrit, contagium fouens, vt 2. de nat. humana docuit Hippocr. à quo tanquam ab impulsore contagium excitatur, etsi aer ipse per se gingere contagium possit: Cæterum quia dictum est, pestem perniciosam epidemiam esse, vt clarius res ista intelligatur, an dicta pernitiosa epidemia febris sit, vel sine febre esse possit, vt proprium genus pestis habeamus, accuratè inquirendum putauimus.

Pestis genus, & an pernitiosa epidemia febris sit, vel absque ea detur, inuestigatur. Cap. III.



QVONIAM apud veteres, quod nam sit pestis genus, non adeo constat; hac de re an febris eius genus sit, prius inquirere, antequam ad pestis propriam definitionem accederemus, optimum existimauimus; quod iure merito factum fuit, cum Hippocrat. 3. de morb. vulg. sect. 3. febrem nedũ pestis genus, sed potius absq; febre fieri posse, conscripta loquutione visus fuerit determinasse. Quorum ergo caput horum quid tentaret, his caput totum glabrescebat, & mentum, ossaque denudabantur, decidebantque multæq; extiterũt fluxiones, his adiuncta aliquãdo, aliqñ non erat febris. Quam sententiam Gal. 9. de simpl. medicina dum de terræ Armeniæ contra pestem viribus verba fecit, visus fuit sequentibus verbis confirmasse; At quibus terra illa Armena non proficit, omnes interiere, scilicet cum nec alio quouis iuuarentur: Vnde colligitur, quòd his duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles; & modum exhibendi subdens, sic ait: cæterum bibitur ex vino albo consistentia tenui modice diluto, si plane febre careat, aut leuiter ea teneatur, sin grauius febriat, admodum diluto; & addit, non tamen calore vehementes sunt febres pestilentes. quare ex dictis cui ambigere non detur, quòd illi febre carerent, quibus ex vino albo tenui diluto exhiberi dictam terram à Gal. imperatur? Quam opinionem eccellens Dominus

Ioachi-

Ioachinus Thomaius Rauennas, qui maximo cum eius honore primam cathedram medicinæ practicæ Romæ exercet, visus fuit in suis doctissimis lectionibus tutelasse: Nos autem secus pro veritate tenentes dicimus, pestem non solum non posse absq; febre dari, sed ipsam febris speciem esse à nimia putredine, & excellentiori ortam, vt plurimum ægrotantes pernecantem, vt melius dum eius essentiam rimabimur, innotescet, quam veritatem in lib. de flatibus num. 7. conscripta oratione docuit Hippocr. Primum autem a communissimo morbo febrili exordium sumam, & qui omnium morborum comes est, præcipuè tamen ex inflammatione, & tensione abscessuum, quòd satis indicant sequentia offendicula: statim.n.cum inflammatione inguinum abscessus, & febris consequitur. sunt autem febrium genera duo, vt hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune omnibus pestis appellatur: alterum propter malam dietam priuatim his cõtingit, qui ea vtuntur: ex quibus sat patere putamus, quòd pestis nomen vniuersalibus febribus Hippocr. imposuerit: Primarius itaque morbus febris communis, & vniuersalis est, cui vt nomen imponeret, pestem appellauit. in quo modum dicendi Hippocrat. notandum censemus, qui vt substãtiuum nomen pestis vsurpauit vt nobis daret cognitionem, quod febres communes pestis sunt, & rursus pestem communes, & vniuersales febres esse: si enim hoc non intellexisset, dictas febres pestilentes vocasset, & non pestem: verum non omnes communes febres pestem appellandas esse, docet Gal. sed quæ vt plurimum perniciem afferunt: propterea primo acutorum 9. epidemiam perniciosam pestem appellauit. Hæc autem de peste proprie, & arctius sumpta dicenda putamus. nam lata quadam denominatione, & alios morbos communes, ad interitum terminantes, pestem dicere poterimus; etsi, si eos pestilentes nominaremus, magis propriè loqueremur, cum naturam pestis magis sapiant, quàm vt vera pestis existant, quos morosos, & malignos quandoque grauissimi viri vocauere, qui & febres comites habent, vt supra ex Hippocrate notatum fuit: nõ enim consonum rationi est, vt morbus, qui interimere vt plurimum potestatem habet, cum cor etiam quod non primario in putredinem redigat vel contenta ab eo, communis, & valde acutus existat, & absque febre detur. Quare cum Hippocrate concludẽdum putamus, pestem propriè appellatam febrem communem,

& vt plurimum interimentem esse; lato autem modo, quod & alij morbi sporades communes facti, quia contagiosi, si vt plurimum ad interitum terminantur, pestis dici possint, quos absque febre fieri nullo pacto credendum est; eis namque ad minus socia erit febris. Pestis itaque febris communis vt plurimum ad interitum terminata propriè dicetur, vel erit lato modo accepta, & tunc sporades morbi communes facti, quos febres comitatur, & vt plurimum ad interitum finientes (vt dictum est) pestis erit. Nullo itaque modo pestem absque febre dari, immo genus febrium esse, ex iam dictis clarissimum est: Cui opinioni Paulus lib. 4. cap. 22. de bubone loquens conscriptis verbis astipulatur,
,, At qui febribus superueniunt, sicut præcipue in lue pestilentiali
,, incidere consueuerunt, pessimi sunt; in qua locutione notandũ, quod Paulus dixit, Bubones febribus superuenire, & sermonem coarctans, in quibus febribus potissimum reperirentur, subdit, sicut præcipue in lue pestilentiali. quid clarius, vt cognoscamus, luem pestilentialem febris speciem esse? quod Galen. 6. de morb. vulg. sect. prima Com. 29. dum de febribus cum tuberculis verba fecit, manifestissime demonstrauit: Relinquo modo, quod quotquot de peste monumenta dederunt, omnes sub titulo febris pestilentis de ipsa tractauerunt; nec apud celebriores viros, & si variis nominibus nominarint, de ea tamen nisi sub tractatu febris communis vt plurimum pernecantis ulla mentio reperitur. Modo authoritatibus, quæ in contrarium facere videntur, satisfaciamus, & primo ad Hippocratẽ accedamus, quem nõ tantum pestem. 3. epidemiorum, sed constitutionem pestilentem descripsisse dicimus. vnde omnes morbos, & eorum symptomata accuratissime describens, inter cætera hæc retulit; Quorum ergo caput horum quid tentaret, his caput totum glabrescebat, & mentum, & reliqua. in quo loco multa non pestilentia legere licet, & si non tantum humorum, sed membrorum putredinem significarent; quæ putredo vti excedentem causam habuit, humiditatem nimirum diuturnissimam, ita corruptionis sæuiora symptomata, & ipsa varia, gignere potuit, quorum aliqua sine febre conspiciebantur, vt capitis, & menti glabrities, & multæ aliæ fluxiones, vt Hippocrates inquit, de quibus præsertim fluxionibus innuere videtur, vt cum febribus, & sine febribus fierent, præter id quod multos alios in progressu recitat morbos,

qui

qui absque febre esse potuerunt, vt lyenteriæ, lippitudines, & diuersorum generum catarrhi. At ossium denudationes, & ipsorum decidentias, rursus & non paucos alios affectus, quos refert, non potuisse absque febre fieri, non est, vt longa verborum serie demonstrem: Verum cum non pestem tantum, sed eos omnes, qui eodem tempore euenere, morbos descripsisset, hinc factum credimus, vt aliquos cum febribus, & alios sine contigisse dixerit. Cæterum, quod alios a peste morbos, præter dictos etiam supra, & illos, qui in longa oratione serie recitantur, Hippocrates descripserit, sequentia verba ostendunt: Multa præterea alia febrium genera populariter grassata sunt, tertianarum, quartanarũ, nocturnarum, continuarum, longarum, erronearum, anxiarum & inconstantium, quarum maiorem partem nihil cum peste habere, adeo clarum est, vt probatione non indigeat. Nec mirum alicui esse detur, quod alios à peste morbos descripserit Hippocrates; cum tempestas illa per multos menses, & annum perdurauerit, vt in ipsa, præcipue ante pestis aduentum, non pestilentes morbos potuisse contingere, certissimum sit, quos omnes accurate, vt sui moris est, Hippocrates descripsit: & hæc sit vna expositio. Addo & aliam ab eodem met Hippocr. desumptam: nam quando dicit, quod hæc cum febribus, & sine febribus euenere, ita intelligere poterimus, quod hæc aliquando cum febribus oriebantur, & interdum ad ipsas succedebant: Vnde non dixit Hippocrates quod dicta symptomata absolute sine febre fierent, sed quod sæpe antequam febris fieret, in corporibus reperiebantur; quod ita esse, Hippocratis verba ipsa declarant, dum post multa enarrat symptomata, de igne sacro loquens; sic scriptum reliquit; multis & ante febrem, & in febribus accidere; Vnde sicuti in hoc scæuo symptomate euenit, quod multi ante febrem ab igne sacro correpti fuere; ita in aliis mitioribus contingere etiam potuit, vt scilicet ipsa prius orirentur symptomata, antequã febris in corporibus reperiretur: Vnde sine febribus dicas tu, præcedentibus fiebant: Hæc ad Hippocratem. Galeno vero loco citato sic satisfactum volumus, quod cum ipse in boli armeni exhibitione maxime fideret, non tantum his, qui infirmabantur, sed pro præcautione, multis etiam in sanitate degentibus exhibuerit. propterea dixit, quod ex uino albo consistentia tenui, modice diluto, si plane febre caruissent, biberent: & hoc pro præcautio

ne, ne scilicet in febrem inciderent: Aliis vero, qui febriebant; si leuiter, eodem modo; si intésius, ex admodum aqueo dabat: Sed quæso consimilem locutionem, & exhibendi modum in libro de vsu Theriacæ ad Pamphilianum, parum à principio perpẽdamus dum ait: tunc itaque ex his, qui ægrotabant, complures assumpta theriaca conualuisse; paucos, in quibus vis morbi inualuerat, occidisse; reliquos omnes, quos nondum pestis occupauerat, non modo periculum euasisse, sed ne in morbum quidem incidisse: Vnde sicuti pro præcautione theriacam exhibuit, ita bolũ dedisse existimandum est, quos febre non fuisse correptos Galenus asserit: Quare concludendum videtur, pestilentem morbum non solum absque febre dari non posse, sed ipsam febrem communẽ esse, cum excellentiorem putredinem possidet; Atque hinc pestis definitionem venabimur.

Quid sit pestis, & primo aliorum opiniones circa eius essentiam examinantur, & ad placitum Hippocratis & Galeni propria assignatur.

Cap. IIII.



Onciliator differentia nonagesima quarta articulo primo de mente Haliabatis hanc definitionem ponit, Pestis est morbus multiplex, & subitus, vno, & eodem tempore hominum multitudini communis: Quæ definitio, vt deficit in proprio genere, ita non videtur exprimere essentiam, & differentias eius proprias: sed largo quodam modo, & communi, de omnibus popularibus morbis intelligi potest, non de isto, quem nos pertractamus: morbus enim iste febris venenata est ab excedenti putredine causata, & vt plurimum interimens, de quibus in definitione nulla mentio habetur. his adde, quod non videtur tangere subiectum, in quo dicta putredo fundatur. tanquam itaque defectuosa dimittatur. Fernelius, qui nouo quodam doctrinæ themate, de medicina subtiliter disputare professus est. lib. 4. cap. 17. de maligna, & pestilenti febre sermonem proponens, aliam definitionem sub his verbis assignauit, Pestis est pernicies, & venenata qua-

ta qualitas, è sublimi, cœlitusque in aerem demissa, quæ quasi fera venenata inuolat in vulgus. quæ definitio quantum deficiat, ex hoc patet, quod vniuersalissimam causam tangit, vt cœlum, & de humoribus putridis excedentem putredinem possidētibus, & de causis inferioribus ne verbum quidem, à quibus febrem pestilentem originem ducere, clare docuit Galenus primo de different. febrium. cap. 4. qui humores tantam per putredinem possunt acquirere venenositatem, vt veneni cum quo ad vires, tum quo ad qualitates vires æquent; quod Galenus. 6. de loc. aff. cap. 5 & 5. eiusdem cap. 7. doctissimè declarauit, quas Fernelius non pestis, sed febris simpliciter malignæ causas posuit: & ex hoc dixit, febrem pestilentem totius substantiæ morbum esse, & cœlitus tantum dimitti: Verum secus videtur tenendum, tam in doctrina Galeni, quam pro tuitione veritatis, Cum pestis, quæ Anno M. D. LXXVII. & M. D. LXXVII. in variis Italiæ locis grassata est, & modo grassatur, non ex inquinato aere, sed ex simplici contagio originem duxerit, & quoquo modo per propagationem à contagio viget, & durationem habet: etsi aliquis posset dicere, quod sicut aer coinquinatus pestilentium ægritudinum causa existit: ita pestilentes ægritudines, aeris infecti causæ esse possunt: Verum non ita esse, ad minus extra loca à peste nō molestata experientia ipsa docet; cum nonnulla finitimorū locorum per longum tempus, & vsque in finem intacta remanserint: quod alio modo contigisset, si aer aliqua corruptionis labe laborasset: Dimittatur itaque ista definitio. & quia communissimam causam tangit, & pestem à tota substantia morbum esse dicit. Fracastorius vir multiplicis doctrinæ, & qui de morbis contagiosis primus exactissimè pertractauit, lib. 2. cap. 5. dicti morbi dat sequentem definitionem, Pestis est sordidæ, profundæque putrefactionis, seminaria acutissimæ cōtagionis inducens, per se: propter quod & lethalis est & ad alium contagiosa: Quæ definitio omnino reiicienda non fuisset, nisi addidisset, per se, & Galeni sententiam explosisset, dicentis, febrem pestilentem fieri, quando vel contenta à corde, vel eius corpus putrescit. quam sententiam. 3. de præsagiis ex pulsibus cap. 3. & Auicennas prima. 4. tract. 4. cap. primo docuere. Et vt melius veritas elucescat, petam à Fracastorio, si febris pestilens dicitur, quia lethalis contagionis seminaria in se retinet, à quo lethalis contagionis seminaria

naria ſcateant ? ab ingenti putredine reſpondebit. tunc inſurgit petitio, in quo illa ingens putredo reperitur ? dicet in humoribus, vel in ſpiritibus, vt eodem 2.cap. 4. aſſerit: nunc remanet inquirendum, in qua parte corporis ſpiritus, & humores illi putres febrem peſtilentem generantes contineantur: quod certe Fracaſtorius debebat exponere, & nullo pacto Galeni ſententiam iudicio meo, veriorem, reſpuere, dicentis, non ratione excedentis putredinis tantum, ſed quia dicta putredo quandoque contenta à corde, & interdum corpus viſceris occupans, cauſa eſt febris peſtilentis. Melius itaque ad mentem Hippocratis, & Galeni ipſam definientes, dicimus, quod Peſtis eſt febris contagioſa, vni Ciuitati, vel pluribus communis, à nutrimentorum vel aeris corruptela proueniens, putredinem excedentem in contentis à corde, vel in ipſius corpore inducens, vt plurimum mortales perdens: Nec ita velim credatis adeo dictam putredinem eſſe in contentis a corde, & in ipſius corpore; quin alibi etiam eſſe poſſit. ſed in dictis locis, & alibi putredinem poſſe conſiſtere putandum eſt: ſed primario, & per ſe in contentis a corde, aut in corpore ipſius & vt Auicennæ placuit, in eo, quod circundat ipſum de humiditate ſolium ſuum fundare, propter quod fundamentum, & propter alias cauſas ſupradictas febris hæc peſtilens dicitur & peſtis: Cæterum quia dictum eſt in definitione, peſtem eſſe febrem contagioſam, primo quid ſit contagium, & quotuplex ſit, compendioſo ſermone pertractabimus, poſtea quomodo ab aliis febribus differat diſſeremus.

Auctoris Def.ne Pestis

Contagium quid ſit, à quibus cauſis fiat, & quotuplex ſit, explicatur. Cap. V.



CVm omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debeat à definitione proficiſci; vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur; propterea à contagij definitione exordiemur. quod nihil aliud eſt, quàm corporis corruptio in totum, vel in parte ab vno in alterum tranſiens, corruptione in particulis clàm facta. & certè ratione clam factam infectionem dicimus, cum eius cauſas nedum ſcire: ſed indagare difficillimum ſit: nec enim in

Contag.m qd sit

adu-

adustione, nec in acutie, nec in putredine simpliciter contagio fundatur; tunc enim febres adurentes & à putredine non leui ortæ contagium haberent; secus autem res se habet; nam plurimas febres ardentes, videmus, contagiosas non esse: & hoc quia contagio in siccitate & adustione non consistit; ab eis enim contagionis seminaria generari, & eleuari non possunt. Aliud itaq; ponere principium. in quo contagio fundetur, necessarium erit: quod certè duplex est, intrinsecum vnum, extrinsecum alterum; intrinsecũ principium erunt causæ, quæ putrefactionem giugnere possunt, vt obstructiones, plenitudines, & humorum prauitas: neque hoc simpliciter sed cum ab eas sordida conclusa ad minima elaborata in lentore constituta, & profunda putredo in nobis genita fuerit, vt inde cõtagionis seminaria enasci possint, quę in alium, contagionem, siue vt primo dispositus siue non, & in secundum, & tertium ob eorum exquisitam potentiam transfundere apprime possunt, etsi in magis dispositis, magis, & facilius agere valeant, vti magis malefica, & deleteria cẽsenda sunt, prout in maligniori materia, & iu loco nobiliori, nec non in maiori materia reperiuntur, ad quòd agendum, non sufficit, vt dictum est, putredo etiam valida, nisi dictis conditionibus fuerir dotata, per quas conditiones putredinem acquirere excellentiam putandum est: Vnde audiendi non sunt, qui contagionis principium putredinem non esse dixerunt, sed morbum à tota substãtia, cæca quadam, & abdita potestate perdentem; & quia nihil docent, cum docere causam possint; & quia alios damnent, qui tam abstrusę rei causam reddere conati sunt. & hæc de principio intrinseco.

Secundum principium contagionis, & illud extraneum, aerem scilicet ponimus, vt qui vniuersales morbos procreet, vt in lib. de flatibus nume. viij. docuit Hippocrates & non solum vni, sed pluribus Ciuitatibus communes, Qui aer qualitatibus primis interdum alterat solis, aliquando putridos vapores transmittit, & transfundit, qui seminaria contagionis includentes, & in se ipsis retinentes, contagio afficere, & venenare mortales possunt, præter id, quod aspectu syderum aer infici potest; quod melius, dum de pestis causis differemus, innotescet. Cæterum videndum remanet, quot contagij differentiæ existant, quæ vt placuit Fracastorio lib. primo contagionum. cap. 2. in vniuersum tres sunt; aut enim solo contactu afficit, quod contagiosum est: aut præter

contactum

contactum fomitem habent, quem in re, quam contagio afficit derelinquat: aut non contactu, & fomite tantum, sed potentia sua ad distans, transfundere contagium potest. Nunc ab his, quæ contactu afficiunt, exordiamur.

De contagio per contactum. Cap. VI.



VAE putrescunt, & marcida sunt, solo contactu inficiunt: omnis enim contagio in putrefactione quadã fundatur: vnde marcidum pomum aliud marcidum reddere potest, vt bene satyricus ille sequenti carmine protulit.

Vuáque contacta liuorem ducit ab uua,

Quod maxime in cumulatim, & aceruatim positis pomis spectare licet, putrefactione in proximum illabente, atque concepta: quæ putrefactio nihil aliud est, vt 4. Meteororum habetur, quã corruptio eius, quæ in vnoquoque humido proprie, & secundũ naturam caliditatis ab aliena caliditate: Quod itaque putrefactionis causa est, illa eadem contagionis causa existit: sed diuersimode, quia putrefactio in vno, contagio vero in duobus ad minus fiat vt fieri necesse est. Qua propter existimandũ est, calidas, & humidas particulas, quæ à primo euaporant, principium esse, & seminarium putrefactionis, quæ in secundo reperitur: quare in fructibus illã contagionẽ quæ fit, per hæc principia fieri putandum est. particulæ enim illæ insensibiles, quæ a putrefacto euaporant, calidæ & acres, humidæ tamen, commistione in altero receptæ intermedium aerem prius alterantes, etsi ab eo antea concurrentibus passi dispositionibus, fuerint genitæ, putredinis in adiacente pomo, vel corpore præcipue simili causæ existunt. Et hæc de contagio per contactum: Modo de his, quæ fomite afficiunt discurramus.

De his, quæ fomite afficiunt. Cap. VII.



FOMITE afficiunt, quæ morbificam affectionem intus in porositatibus latentem habent, a marcido corpore acquisitam, & alteri communicatam; qui fomes secundum aliquos atomi, & corpuscula quædam insen

sibilia

ſibilia ſunt, viſum ſubterfugentia, quæ in poroſitatibus rerum latent, eandem potentiam ſeruantes, quam corpora habent, à quibus fomitem contraxere: Alij vero, putridos vapores eodem modo à corporibus, à quibus contagium recepere eleuatos, cauſam aſſignarunt: qui in poroſitatibus rerum latentes alijs communicare cõtagiũ poſſunt: Quaſi omnia, quæ poros habẽt, fomitẽ in ſe ipſis includere & ſeruare poſſint, vt lectuli, ueſtes laneæ, pelliceæ: & vt vnico verbo rem abſoluam, poroſa omnia quæ calida, uel parum frigida ſunt, vti odorem diutius ſeruare poſſunt, ita & contagionis ſeminaria retinebũt, præcipuè ſi dicta ſeminaria quoquo modo ſubtilia fuerint, diu agitata, ad minima elaborata, & in lentore conſtituta: ſic enim in poroſitatibus latentia, ipſiſque valde inhærentia, contrarijs cauſis maximè reſiſtere poterunt, vt ab eis vel non patiantur, vel difficulter patiantur: facilius tamen dicta ſeminaria lędent, ſi diu per infectorum manus, res, quę fomitem, & contagionis ſeminaria contraxere, fuerint pertractatæ: & ab ipſis ablatæ, vel derelictæ ad aliorum manus cito peruenerint, & eò magis ſi à purificato aere, vel ab igne, vero expurgatore, vel in his, quæ a putrefactione vindicare poſſunt, immerſa non fuerint, vt in aceto: ſed in aere putrido, vel concluſo permanſerit, vt in eis magis nutriri cõtagionis ſeminaria potuerint, & inde validiorem, & magis imprimentem dictorum ſeminariorum cauſam receperint ut per longiſſimum tempus, & vltra captum intellectus ſeruari facilè poſſint. Modo de cõtagio ad diſtans ꝑtractare congruũ erit.

De contagio ad diſtans. Cap. VIII.



SQVE modo de contagio per contactum, nec nõ de eo, quod per fomitem inficere poteſt etſi compendioſo ſermone, pertractauimus. Modo de eo, quod ad diſtans transfundere contagium poteſt, agemus. Vnde ad diſtans inficiunt, quæ non contactu ſolum, non ſeruato fomite tantum, ſed in diſtantia conſtitutos commodè afficere poſſunt: hoc autem, quoniam contagionis ſeminaria, ſeu vaporationes fortes, & validas habent; quæ in lentore, ſorditie, profunda putrefactione, & ad minima elaborata, fundata ſunt, vt per euaporationem eleuatam à putridis corporibus, dictis conditionibus maculatam adeo aerem inficiãt,

vt ab eo consimilis infici possit, quod vel per vocatas species, rerumque simulacra, vt Fracastorio placuit, vel per vapores in aere multiplicatos à re infecta eleuatos facere valent, vt in phthisi, peste, & in nonnullis lippitudinibus spectare licet, vt Galen. primo de diff. febr. cap. 2. asseruit. Cæterum non paruam dubitationem habet, an per eadem principia hæc fiant, per quæ contagium contactu, & fomite fieri diximus: Non desunt qui ad occultas proprietates refugiunt, a quibus hæc fieri affirmant: Alij duo principia actiua ponentes, substantiam, & qualitatem, ab his contagium ad distans fieri conclusere, quod non nisi per aeris immutationem fieri certissimum est, qui aer ita corruptus vel per spirituales qualitates, vel a quacunque causa sit, ad distans mobiles vt a ventis ad longinquas regiones delatus in ipso contagionis seminaria retinens, ea ad distans transfundere valebit: quæ seminaria in aere adeo multiplicari poterunt per continuas, & reiteratas euaporationes à putrido corpore eleuatas, vt eius magnam quantitatem inficere possint. & hinc fieri crediderim, modo vnam Ciuitatem, modo plures infici secundum causę euaporantis, inficientisque magnitudinem, & potestatem. cuius venenati aeris portio ad alias etiam remotas regiones delata eas venenare, & inficere poterit, vt Galenus primo de diff. febr. cap. iiij. & in lib. de Theriaca ad Pisonem, placuit, cuius sententiæ Thucidides, dum de peste, quę Atheniẽses inuasit, verba fecit, astipulatur, cuius cõtagiosa seminaria ab Aethiopia fluxisse affirmat: Quod Lucretius lib. vi. his carminibus cecinit.

Finibus in Cecropis funestos reddidit agros,
Vastauitq; vias, exhausit Ciuibus Vrbem:
Nam penitus veniens Aegypti finibus orcus
Aera permensus multum, camposq; natantes
Incubuit tandem populo Pandionis omnes.

Quæ fęditas, si tamen dabitur, vt non tantum vnam, sed plures regiones inficere possit, in omnibus fædatis regionibus pestis erit: & si tanta daretur, vt totam inferiorem regionem aeris inficeret, pestis daretur vniuersalis: transfluit autem ab vna in alterã regionem venenata illa aeris qualitas, & per ventos trãsfunditur à quacunque re putri eleuata, vel in ea existens, & impressa à quacunque causa sit. Quas tres contagij differentias omnes, in peste reperiri, manifestissimum est, cum non contactu solùm, non

seruato

seruato fomite tantum, sed ad distans etiam peste quis infici pos sit; Modo, quomodo ista febris ab aliis putridis, necnon à diariis, & ab hecticis dissentiat; videamus, à differentia, quam cum putridis habet, exordientes.

Quomodo, & in quibus febris pestilens ab alijs febribus putridis differat. Cap. IX.



VPRA sancitum à nobis est, febrem omnem pestilentem putridam esse, vt primo, de diff. febr. cap. v. conscriptis uerbis docuit Galenus. siquidem de febribus pestilentibus facta est mentio, quæ omnes à putredine ortum habent. Modo quomodo ab aliis putridis differat, inquiramus: quam differētiam in tribus potissimū consistere putandū est, primo in modo putredinis, & gradu ipsius; secūdo ratione loci, ī quo putredo excitatur, & oritur; tertio in accidentibus, quæ in ea reperiuntur. Modo de prima primo dicamus, quæ est gradus putredinis: si quæ enim ingens putredo reperitur, in hac febre modo quodam excellentiori reperiri, certissimum est, vt 6. de morb. vulg. sect. prima comm. 29. docuit Galenus, ita vt omnibus quo ad gradus absoluta summe inueniatur, sic vt materia putris formam veneni acquirat, & æquet, & quantum ad vires, & quantum ad qualitates. neque hoc sufficit, nisi modus putredinis adiungatur: multæ namque sunt febres putridæ, & à non vulgari putredine ortæ, quæ malignæ tantum, & non pestilentes dicuntur, etsi cito, & cum sceuissimis accidentibus enecent; cum tamen contagiosæ non sint, appellari pestilentes non poterunt. Alia itaque assignanda erit differentiæ causa, quæ nisi dictus modus putredinis esse non potest, vel sit à principio extrinseco, vel ab intrinseco, vt in cap. de contagio dictum fuit: Vnde putredo pestilentem febrem constituens vulgaris esse non debet. vulgaris autem non dicetur si erit larga, profunda, sordida, conclusa, ad minima elaborata, & ī lentore constituta, à qua seminaria contagionis, tanquàm à proprio fonte emanent. larga appellatur uel quia multum locum occupat, vel quia latæ potentiæ existit, unde extensiue (vt dicunt,) & intensiue larga dicetur; hoc autē inde ac- P.a diff.a

cidit

cidit, quia ſeminaria multa, & fortia habet, quia viciniorem par tem corrumpere, & illa alteram commodè poteſt: Profunda vo catur, quia in intimioribus partibus latet: ſordida inſuper, quia immunditiis plena eſt, & fœtens: concluſa vero, quia cõtagionis ſeminaria retinet, nec illa dimittit, aut exhalare ſinit, quoad mi- nima ſint elaborata, & in ipſis ſit impreſſa putredo eiuſdẽ naturę cum materia putri, à qua prima ſeminaria euaporarunt: lata tan dem dicitur, quia putredo, & eius ſeminaria tenacia ſunt, & ad- hærentia, ita vt facile diſcuti, aut diſſipari non poſſint. ex quibus omnibus fit, vt excellentiam putredo acquirat, quam loco ſupra citato 6. de morb. vulg. docuit Galenus: quæ excedentem poten- tiam habet, cum qua inficere, & venenare mortales poteſt, etiam quòd in ipſis humiditas ſuperflua, aut obſtructio, vel humorum multitudo nõ recipiatur. Etſi aũt conſonũ rationi ſit, magis, & ci tius illos infici, in quib. vel obſtructio, vel humiditas ſuperflua, aut humorum copia, vel corruptela inuenitur, concurrente præ cipuè caloris extranei victoria ſuper naturalem, & innatum: pu- tandum tamen eſt, quòd qui in ſublunari hoc mundo vitam de gunt, inculpatæ temperaturæ vt plurimum non ſunt, ſic vt in eis aliquis affectus, & in aliqua corporis parte non inueniatur, etiã quòd nobis manifeſtum nõ ſit. hinc quandoque ſpiritus, aliquã do humores, & interdum corpus cordis pro maiori, aut mino- ri dictorum ad ſuſcipiendum diſpoſitione putredo occupabit.

2ª Diffª

Modo de ſecunda cauſa faciẽte differre hanc febrem ab aliis pu tridis dicamus. quæ certè niſi locus, in quo dicta putredo reperi tur, non eſt: non enim ſufficit ingens putredo ſupradictas diffe- rentias habens, vt febris peſtilẽs fiat, niſi dicta putredo ſpiritus, & humores in cordis ſinibus exiſtentes vel corpus ipſum viſce ris, aut (vt Auicennæ placuit) quod circundat ipſum de humidi tate, occupauerit: Vnde ſigna varia, accidentia diuerſa, citior, tar diorve interitus, & aliquando euaſio prouenire conſueuit, vt 3. de pręſag. ex pulſibus clare habetur. nã quibus calor putridus, ad humores, quos continẽt cordis ſinus, magis defluxerit, quàm ad corpus ipſum viſceris, multi eorum fuerunt ſuperſtites: Quanto itaque facilius, & melius euaderent hi, qui in aliis partibus cor poris remotiorib. à corde putrefactionem patiẽtur; etiam quòd in parte humorum putredo conſiſteret, & malis conditionibus eſſet conditionata, dummodo contenta à corde, & corpus viſce-

ris

ris non detinuerit, sed ab illa putredine per eleuatas sensim exhalationes dictæ partes incaluerint. Quare cum nominata putredo in dictis partibus à corde remotioribus existens, vt plurimum lethalis non sit, pestis dici nequaquam potest, de cuius essentia est vt plurimum mortales perdere, vt primo acut. Com. 9. docuit Galenus. Vnde si secundum omnes gradus, & ipsius conditiones daretur putredo; in contentis tamen à corde, vel in corpore ipsius, aut in eo, quod circundat ipsum de humiditate, non extiterit, contagiosa forsan erit, vel maligna; pestilens autem nequaquam, cum plurimi eorum possint euadere, vt supra ex Galeni decreto 3. de presagiis ex pluribus visum fuit. & tunc Fracastorij seminaria lethalia non erunt. Quæ veritas ratione, & auctoritate firmatur. nam febris pestilens vel fit à principio intrinseco, vel ab extrinseco causatur. si ab extrinseco, sicuti vt plurimum esse solet, vt primo de diff. febr. loco sexcenties citato docuit Gal. quando dixit, in pestilenti autem aeris statu inspiratio plurimum causa est. verum cum inspiratio pro corde facta sit, vti à puro aere, & in qualitatibus moderato, temperatoque cor refrigeretur, & viuificetur; ita à vitiato, venenatoque, & in qualitatibus immoderato primo inficitur, & venenatur, vel sint contenta ab eo, vel eius corpus. Quod Galenus loco citato primo de diff. febr. sub his verbis demonstrauit. calidiores autem ambiẽtis aeris status quales maximè circa Canis ortũ contingunt, per inspirationem quidem manifestè cor calfaciunt, corpori autem extrinsecus circunfusi totum ipsum calidius efficiunt, & præsertim arterias, vt quæ substantiæ ipsius ambientis aliquid trahant. ex quibus omnibus simul cor affici est necessarium, & tunc cũ supramodũ incaluerit, ipsum primum, atque potissimum febrilem calorem suscipere, atque ad vniuersum corpus transmittere. Ex quibus verbis colligi potest, ꝙ sicut a supercalefacto aere cor incalescit, & inde per arterias toti corpori calor cõmunicatur, & febre corripitur animal; ita à coinquinato, & venenato cor coinquinabitur, & peste corpus afficietur. quod Auicennas prima 4. tract. 4. cap. primo confirmauit. nam post factam mẽtionem de corrumpentibus aerem, sic subdit. & quandoque aer secundum hunc modum venit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus, qui est in ipso, aut putrefit qui circundat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa à natura, & spargitur in corpore., tunc per

causam suam erit febris pestilentialis. Ex quibus luce clarius patet, putredinem à principio extrinseco causatam habere ortum in corde, vel sit in eius corpore, vel in contentis ab eo, aut in eo, quòd circundat ipsum de humiditate, prout magis vnum quam alterum ad venenatam qualitatem putredinemq; suscipiendum erunt parata. Cæterũ si à principio intrinseco putredo originem traxerit, in eisdem dictam putredinem fundari necessarium erit, cum tam cito, & vt plurimum enecet. quod, si alibi dicta putredo consisteret dictis partibus putredine carentibus, & affatim liberis, facere nullo modo posset, vt ex 3. de præsag. & pulsibus ca. 3. probatum est. Quare concludendum videtur, febrem pestilentem non tantum dici, & esse pestilentem, quia in sordida, profunda, larga, conclusa, & ad minima elaborata putredine fundatur; sed quia dicta putredo quandoque spiritus, aliquando humores in finibus cordis contentos, interdum qui circundat ipsum humiditate, quandoque corpus ipsum visceris occupauit. Differt itaque ab aliis putridis in excellentia putredinis, vt dictum est, cum in aliis putridis semper aliqua dictarum conditionum desit, & quia in locis supradictis putredo non reperitur. In accidentibus etiam iuxta tertium partitionis membrum ab aliis differt. nam præter id, quod sceuiora accidentia in hac, quam in aliis putridis reperiuntur, consimilia magis existunt: & si ratione diuersitatis materiæ, & quia in diuersis locis, & naturis variis reperitur, accidentia variari posse non negamus. vt plurimum tamen in omnibus patientibus eadem visuntur, vt sitis inexhausta, appetitus deiectio, bubones, carbunculi, & reliqua varia, quæ magis dum de signis agemus, innotescent. Modo quomodo à Diariis, & ab hecticis differat, explicemus.

3.a Diff.a

Quæ pestilentem febrem à Diarijs differre faciant. Cap. X.



IN præcedentibus pestilentem febrem omnẽ putridam esse, statutum fuit. hinc concludi posse iure optimo videretur, febrem nempe pestilentem Diariam nullo modo dici debere, cum in ephemera spiritus non putrescant, sed tantum incalescãt

vt

vt primo de diff. febr. cap. 7. & 8. Meth. cap. primo docuit Galen. Quibus autoritatibus non obstantibus, febrem pestilentem etiã diariam putridam esse cum eodem Galeno affirmamus, à quo Herculanus vir nunquam satis laudatus dissentire videtur. expo nens enim verba illa Auicennæ, & quandoque aer secundum istũ modum venit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus qui sunt in ipso, & putrefit, quod circundat ipsum de humidita te, inquit Herculanus aut ergo putrefacit ipsum, aut inflammat absque putredine. ex qua expositione sequitur, febrem omnem pestilentem putridam non esse, cum ab incalefactis tantum spiritibus fieri per ipsum possit. nec valet iudicio meo eius glosa verborum Galeni, dicens, quod vox omnis vt in pluribus debet in telligi. Verum non ita fuisse exponendum Galenum, ipsemet 3. de præsag. ex pulsibus cap. 3. declarauit, vbi faciens mentionem de febre pestilente, dixit, putredinem quãdoque contenta in cordis finibus occupare, & hæc sunt spiritus & humores, aliquando vero corpus ipsum visceris detinere, ex quorum varietate modo fit febris pestilens putrida, interdum putrida Diaria, & quandoque putrida hectica, vt infra melius patebit. Quare non datur fe bris pestilens simpliciter ephimera per incalefactionem tãtum spi rituum, vt dixit, Herculanus: nec verba Auicennæ hoc sonant, dum ait, aerem complexionem spirituum corrumpere. Illa enim corruptio in complexione non est, vt scilicet alterentur spiritus ad maiorem caliditatem tantum, sed magis vt a corrupto aere cor rumpantur. quod enim tangitur a putrido putridum fit. Vnde quia aer est corruptus, aliquando ipsos corrumpit spiritus, aliquã do vero secundum passi dispositionem validius agens, quod circundat cor de humiditate corrumpit. Quare cum Galeno tenẽ dum putamus, omnes febres pestilentes putridas esse, cum aut circa putridos spiritus, aut circa humores in finibus cordis existentes, vel circa cordis substantiam corruptam vertentur. Cæterum cum febres pestilentes in Britania vna die vel perdant, vel liberẽt ægrotantes, & in spiritibus fundentur, ephemeræ ex hoc dicendæ viderentur, de quibus Fracastorius lib. 2. cap. v. sermonem habuit hoc vel maxime, quia ephemera ab ephemeron pisce nomen suscepit, qui die naturali oritur, & interimit. verum hoc magis vo cabuli similitudinem, ethimologiamq; quam rei essentiam tangit. nam si vera ephemera esset, in ea tantum spiritus incalescerent,

rent, & non putreſcerent. Vnde febres peſtilentes omnes, vt probatum eſt, putridæ non eſſent. Quare cum Galeno, dicimus, peſtilentem febrem iam dictam ad hunc ſenſum ephemeram dici poſſe, quia pro ſubiecto ſpiritus habet. non eſſe autem ephemeram ex hoc patet, quia propriè ephemera circa incalefactos ſpiritus tantum verſatur, & totius ſecuritatis morbus eſt. ephemera vero peſtilens circa corruptos, & putridos ſpiritus, & vt plurimũ perdens exiſtit. Modo quo pacto ab hecticis diſſentiat, videamus.

Quomodo peſtilens febris hectica dici poſſit, & in quibus cum ea non conueniat. Cap. XI.



ECTICAM febrem ex ſolidarum partium calidiori intemperie oritur haberi primo de diff. febr. ca.8. & 9. Meth. 3. de præſag. ex pulſibus. cap. 4. & in lib. de marcore demonſtrauit Galenus. Peſtilens vero febris ex putredine corporis cordis interdum fit. ex quibus peſtilentem febrem nullo pacto hecticam appellari poſſe videretur dicendum, cum illa, vt dictum eſt, circa incalefactionem cordis firmatam; hæc autem cordis ſubſtantiæ, eiuſque corporis putredinem ſequatur, vt loco citato primo de diff. febr. ſed melius, & clarius 3. de præſag. ex pulſ. cap. 3. & 4. idem docuit Galenus. quæ febres peſtilentes vſque ab initio quandoque hecticæ fiunt, differuntque ab aliis omnibus, quæ ex magna putredine oriuntur, vt eodem mox citato loco 3. de præſag. cap. 4. habetur; quæ differentia penes materiæ putridæ conditiones, & corporis cordis putredinem exiſtimari debet: extenditur nempe magis putredo in materia humorali, cum latior ſit eius campus, quam in cordis corpore exiſtens. & ſic quando in cæteris, putredo in cordis corpore reperta, cum putredine in humoribus fundata, conſimiles ſortita fuerit conditiones, in hoc diſtare ad minus videbitur, quod iſtius extenſiue ſit maior, illius vero minor. non enim magna putredo requiritur, nec locus ipſam admittit, vt æger quando corpus cordis putreſcit, intereat: præter id, quod diuerſa, & ſcæuiora accidentia cõtingunt, tutior, & citior interitus in hac, quam in illa, quę a magna putredine humorali ortum habet. Cęterum quia hectica febris cum peſtilente in multis videtur conuenire, propter quam conuenientiam nonnulli peſtilentẽ

febrem

febrem simpliciter hecticam esse putauerunt; hac de re in quibus conueniant, & rursus in quibus dissentiāt accuratè videre operæpretium duximus. Videntur itaq; inter se conuenire. nam sicut in hectica dispositione laborantibus plurimum tepidæ, & ferè insensibiles contingunt, eodem met modo in peste dicta correptis apparent: rursus in intimis, & occultis, necnon & in cordis substantia pestis, vti hectica fundatur. Rasis quoque dixit, quod sicut hectica, curatur. Ex quibus videretur dicendum, quod febris pestilens hectica dici possit. Verum secus res se habet. nam in febre pestilenti purgatio imperatur, crisi finitur, diuersimodè multa, & mutationibus plurimis apparent. aliquando enim in exterioribus partib. tepor adest, interdum frigidæ conspiciuntur, etsi ægri intus vrantur, bubones exeunt, vomitus contingant. quæ omnia in hectica non reperiuntur, sed ita eodem modo se habent ægrotantes, vt insensibiliter consumantur, & intereant. Concludentes itaque dicimus febrem pestilentem adeo hecticam appellari posse, quia in mēbro solido fundatur. non esse autem vere hecticam ex hoc clarè patet, quod ista super calefactum cor; illa vero circa ipsum corruptum, & putridum versatur. Ex quibus cor putrescere posse decretum est: Verum quia hoc non paruam in se habet difficultatem, hac de re an Cor putrescat, diligentius examinemus.

Quomodo cor per essentiam ægrotet, & quomodo putrescat, & quod ab eius putrefactione ita cita mors non oriatur. Cap. XII.

DVBIVM non vulgare est, an corpus cordis putrescat quod in opinantium varietate, & quia res a sensibus est remota, maximopere fundatur. Arist. lib. 3. de partibus animalium. c. 4. conscriptis verbis cor non pati affirmauit, Cor solum viscerum, atque omnino partium corporis nullum vitium patitur graue, idq; certa ratione. cum enim principium corrumpitur, nihil est, quod cæteris, quæ inde pendent, præbere auxilium possit. & 4. de partibus animalium sic scriptum reliquit, Cordi enim nullus eiusmodi humor appropinquare potest, quoniam illud nullum affectū patitur violentum. Quam opinionem Hippo. 4. de morbis tex. 10. cōfirmauit, dū ait, est enim cor ipsum res densa, ac solida, & propterea dolore nō afficitur: & eo. lib. tex. 13. sic ha

bet, & simul cor ipsum solidum est, ac densum, vt ab humore non ægrotet, & propterea in eo nullus morbus oboritur. Hæ sunt validiores authoritates cor non ægrotare probantes. modo quæ contrariũ deponunt, videamus. Idem enim met Aristoteles loco supra citato 3. de partibus animalium c. 4. sic habet. inditium est, quod nullum affectum cor patitur; quod in nulla hostia, vel victima cor ita affectum visum est, vt in cæteris visceribus cernitur. Renes enim sæpenumero calculis, & pannis, & papulis referti videntur, atq; etiam iecur, & pulmo, & potissimum lien. at vero quę morbo ac vitiis eiusmodi pereũt animalia, his dissectis affect⁹ morbosi in corde conspiciuntur. Ex quibus verbis dictarum authoritatum solutio patet. Quando enim dixit Aristo. quod cor nullum vitium patitur graue, intelligere debemus, vt cum eo animal viuere possit: sed bene potest graui vitio cor laborare; sed ab eo animal interimitur. quod manifestauit, d ũait. At verò quæ morbo & vitiis eiusmodi pereunt animalia, his dissectis affectus morbosi in corde videlicet, calculi, pãni, & papulę cõspiciuntur. & per eadem verba alia ipsius authoritas soluta est, dũ dixit, quod nullum affectum patitur violentũ, vt cum eo animal viuere possit; quod declarauit 8. de natura animalium c. 24. dũ loquens de equo inquit, irremediabile malum, si cordis dolore vexatur equus, cuius indicium, vt latera subsidant, & ilia perstringantur. Patitur itaq; ex dictis cor dolorem, sed moritur. & sic Aristoteles per Aristotelẽ sit solutus. Sed ad Hippocratẽ accedamus, qui in lib. de morbo sacro tex. 7. sic scriptũ reliquit. si porrò ad cor progressum fecerit defluxio, palpitatio apprehẽdit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, & curui fiunt. & 7. de morbis popularib. tex. 1 ;. de Ctesiphonte loquẽs, inquit. ad noctem cordis ac oris vẽtriculi dolor. & non longè post: vocis interceptio, strãgulatio cum stertore & mortuus est. Ex quibus manifestissimè cernitur, cor morbos pati, & inter cæteros morbos dolorẽ, sed moritur. & ita poterit interpretari authoritas 4. de morbis dum dixit, quod cor solidũ est, & densum, & propterea dolore non afficitur .i. non afficitur dolore præsertim cõfirmato, vt animal viuat: nã 7. de morbis popularib. habuimus, quod dolore cor afficitur, inde tamẽ animal moritur. possumus ẽt dicere quod dolore frequenter nõ corripitur. & per eandẽ interpretationem soluatur alia authoritas, ꝙ cor membrum solidum ab humore non ægrotat, dicendo, quod ab humore non ægrotat frequenter, vel non ægrotat, vt cum eo vitam ducere animal possit.

hoc

hoc vel maximè si morbus est firmatus: quod Rasis in lib. diuisionum c. 88. cōscriptis verbis confirmauit. Cordis ægritudines, quas curare est possibile, sunt alteratio complexionis, tremor, syncopis, dolor, & debilitas: sed oportet, vt dicti morbi non sint cōfirmati. & subdit, apostema verò, disruptio, aut corruptio cōplexionis confirmatæ, nō sunt facilis curationis. Idē dixit Conciliator diffe. 97. vbi tenet, Cor magnos morbos sustinere non posse, vt cū ipsis vita seruetur: sustinet tamen morbos aliquos paucos, qui ante eorum confirmationē curari possunt. Fernelius quoq; lib. 5. c. 12. sic scriptum reliquit, Cor omne morbi genus obsidet, maximè verò simplex intemperies, phegmon, erisypelas, omnis præter naturam tumor, vlcus etiam, ac vulnus: sed hæc rarius: crebrius autem, atque præcipuè venenatus humor, qui tota substantia in sensus fit vitali robori: vbi recitat historiā alicuius sensim contabescentis, cui tandem è medio sublato, adapertum thorax, tria vlcera in corde non parū caua, sordidaq; & multo iam tēpore contracta reperta fuere. à quibus & tabescentia, tandē mors secutæ fuere. hæc Fernelius. Modo Galenū audiamus, qui 7. de anatomica administratione. c. 13. historiā pueri recitans in palestra percussi, cui os pectoris post reiteratā apostemationem computruit, & deinde pericardium, & euasit: quam met historiam primo de placitis Hippoc. & Platonis ad principium recenset, vbi videre licet, quid loco pericardij, & quomodo fuerit genitum, quo cor fuerit velatum. quinto quoq; de loc. aff. c. 2. postquam de affectu simiæ, & galli verba fecit, de vulnere cordis loquens, sic habet: inflammato manifestè corde gladiatoris vidimus haud aliter quàm qui cardiaca syncope pereunt, periisse. & his addit: igitur si ad cordis ventrem vulnus aliquando penetrauerit, protinus magno cum sanguinis fluore hominem mori necesse est, idque præcipuè si sinistræ partis venter fuerit vulneratus: si verò ad ventrem vsque nō pertingat, sed in cordis substantia consistat vulnus, ex ita affectis aliqui non solū ea die, qua vulnerati fuerunt; sed sequenti quoque nocte viuere potuerunt, qui oborta deinde inflammatione extincti sunt. Ex quibus credo summopere patere, quòd cor multa, & varia genera morborum patiatur, inter quæ dolor, inflammatio, erisypelas, apostema, vlcus, nec non & venenatus humor cōnumerantur. Quid itaq; prohibet cordis portionem putrescere posse? vel sit interior, vel exterior, secundum partis suscipientis dispositionem, & cum hoc, vt non ita repentina morte moriātur ægrotantes? Nec dicerem ego,

vti dixit vir ille doctissimus Trincauella, qui in tractatu de febre pestilenti tenet, quod in dicta febre nullatenus putrescat, sed bene prauam, venenatamq; qualitatē à putredine suscipiat, exēplū dolij afferens, quod cum à corrupto vino prauam susceperit qualitatem, etsi doliū non corrūpatur, vinū tamen quod in eo reponitur, etiam quod de se bonum sit, corrūpet: Vbi notandum, dictā comparationē non valere, cum non sit corruptibile doliū ad vini corruptionē, vt est putrescibile cor ab aeris corruptela, vel ab humorū excellēti putredine: hoc vel maximè si aliqua intēperie cor prius laborauerit, propter quā redditū debile facilè in se à dictis causis putredinem suscipere poterit, à cuius putredine tuta, & cita mors animāti succedet. quam enim excogitet medicinā ad putredinem, quæ Cor occupauit, vt 3. de præsag. ex pul. docuit Galenus? Ex quibus, Cor putrescere cōcludendum videtur, & ꝙ ab eius putredine ita cita mors nō oriatur nam vulneratus in corde, si ad eius sinus vulnus nō peruenerit, per diē naturalē viuere potuit, vt sup. 5. de loc. affec. ostensum fuit, & vlceratus tribus vlceribus in eod. viscere, & illis cauis & sordidis, diu vixit, vt Fernelius refert. Quare cū Galeno tenendū censemus, quod in febre pestilēti quandoq; spiritus, aliquando humores, interdū corpus ipsum visceris putrescat. quod adhuc clarius eod. 3. de præsagiis sub illis verbis demonstrauit, vbi aer, quem inspirando attrahimus, infectus putredine sit, ac putredo ad corpus cordis attigerit, illi pulsus fiunt &c. & rursus rūpit in hac verba. Nā quib. calor hic putridus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexit, quàm ad corpus ipsum visceris, multi eorū fuerunt superstites. Quid manifestius inquirimus, vt corpus Cordis aliquādo putrescere nobis ostendat Galenus? Nec sunt audiēdi illi, qui quia sensim in corde spiritus generātur, & sensim ad omnes corporis partes pro eorum viuificatione transmittuntur, vt propterea in corde nullā morā cōtrahant, sic vt à venenata causa corrūpi, & venenari posint. verū nō ita cito spiritus transmitti putandū est, cū pro eorū cōmoda elaboratione, tum vt ex ipsis cor in vita seruetur. præter id ꝙ cū respiratio pro caloris in corde existentis refrigeratione, nutritioneq; animanti à natura tributa sit, vt in lib. de vtilitate respirationis Galeno attributo habetur, nisi in corde spiritus dicti morarentur, innatus calor refrigerari non valeret: Cui id accidit, quod fonti contingere in dies cernimus, qui etsi semper aquam fundat, cum semper plenus reperitur, nec illa statim cū suscepta est funditur aqua, sic vt in eo nul-

lam moram contrahat, similiter & in corde se habent spiritus, qui quum sint cum calore innato, ex 5. de simpl. medicina ca. 9. sciri potest. vnde non possent spiritus, uel innatus calor refrigerari & nutriri ab inspirato aere; nisi in corde moram traherent. quare consonum rationi fit, quod sicut a bono aere refrigerari & nutriri spiritos possunt, ita à corrupto, & venenato coinquinantur, & venenantur. quod Auic. prima 4. Tract. 4. ca. primo confirmauit, dum dixit, quod à corrupto aere complexio spiritus, quę est in corde, corrumpitur; & secunda secundæ ca. 9. Aerem non tantum spiritus, sed humores à corde circundatos corrumpere asseruit, sic inquiens. cum. n. putrescit aer, facit putrescere humores, & incipit putrefacere humoré, qui à corde circũdatus est. & reddens rationem subdit, qa ꝓpinquius ad ipsum accedit. Quare tuto tenendum uidetur, in febre pestilente quãdoq; spiritus, aliquando humores, & interdũ corpus ipsum uisceris putrescere, & ego uidi cor gallinæ ab Isabella Bononiensi vxore quondam Mancini mactatæ, ut ex ipsa in die accepti pharmaci reficeretur, quæ cristã rubeam, & oua etsi pauca in utero gestabat. quinque panis, vel stheatematib. apostematib. refertum, & non tm̃ cor, sed hepar similibus panis erat repletum, & bene uiuebat, quæ dominus Ventura venturinus Pisanus egregius Physicus, & anathomicus; & dominus Angelus Antoninus Elpidianus Chirurgus non sine magna admiratione videre. Cæterum quia supra dictum est, si calor ille putridus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexit, quàm ad corpus ipsum visceris, quod plurimi eorum potuerunt euadere; cum non paruam hæc uerba habeant dubitationem: calor enim innatus non tantum in corpore cordis, sed etiam in humoribus, & magis in spiritibus residet, in quibus si loco innati caloris putridus, & igneus residebit, difficile credi potest, animal uiuere posse: quod dubium ut melius enodare valeamus, quotnam sint calores, & quomodo inter se dissentiant, accuratè erit uidendum.

Quot sint calores, quomodo inter se differant, & quod eorum subiectum sit. Cap. XIII.

Ex Aristotele de calore.



ARistoteles secundo de generat. animalium cap. 3. tres posuit calores, cœlestem, innatum, & elementalem. dixit innatum

natũ ſub his verbis. ineſt in ſemine omniũ, quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, quod calor vocatur, & illum elemento ſtellarum aſſeruit correſpondere: de cœleſti aũt sermonẽ habuit ſic inquiẽs. at vero ſolis calor & animaliũ non modo quæ in ſemine continentur, ſed in his, quę ex putri fiunt, ſolis calorem, loco caloris, qui in ſemine continetur, vires ſuas exercere, & generationẽ explere affirmauit: elementalẽ tandẽ innuit, & ſi priuatiuẽ quando poſuit calorem in animalibus contentum nec ignẽ eſſe, nec ab eo originẽ ducere, etſi 2. de anima tex. 41. ab igne in corpore noſtro coctiones fieri poſuerit; in quo loco reddens rationẽ, quare non cõburat ignis in infinitum, dixit, quia regulatur ab anima. Quare ſi ab igne coctio fit, ergo & generatio, cũ eiuſdẽ potentiæ ſit nutrire, augere, & generare: quã potentiã animã vegetalẽ nuncupauit Ariſt. vnde ſi cum igne, moderato tamen, coctiones aĩa facit; q̃d prohibet; vt cũ eodẽ generare cõmodè poſſit? & ſic qñ ſecundo de generatione animaliũ dixit Ariſt. quod calor in animalib. cõtẽtus nõ eſt ignis, nec ab igne originẽ ducit, intelligere debemus, ignẽ ſimpliciter nõ eſſe, nec ab eo ſimpliciter originẽ ducere; verum ignẽ eſſe, & ab eo originẽ ducere, vt ex omniũ elementorũ permiſtione contemperatus exiſtit, qui non ſolùm dictas operationes, ſed alias qualcunq; cũ regulatrice anima in corpore noſtro cõplet, & perficit: qui met ita contẽperatus, cũ generatiuus efficiatur, elemento ſtellarum dicetur correſpondere: ab eo. n. vel excedente, uel moderato, aut diminuto, omniũ entiũ generationẽ, & corruptionẽ fieri, certiſſimũ eſt. ꝑpterea in lib. de cauſis longitudinis, & breuitatis vitæ ſic Ariſtoteles ſcriptũ reliquit. omne quod attribuitur animali de generatione & corruptione, cremẽto & diminutione, ſomno & vigilia, & vniuerſaliter de omni tranſmutatione, nõ attribuitur niſi quatuor qualitatibus, caliditati, frigiditati, humiditati, & ſiccitati, ex quib. lõgitudo & breuitas vitæ cauſatur: Cõplexio. n. naturalis eſt in proportione naturali, inter virtutes actiuas & paſſiuas: qñ igitur virtus calida actiua fuerit maior, q̃ debet, cõburẽtur humores, vti ſi fuerit minor accidet indigeſtio, & cruditas. Et hæc de calore cõplexionali præter innatum, cæleſtem, & elementalem ſuperius deſcriptos dixit Ariſt. Modo q̃d de eo ſentiat Auerroes videamus.

Ex Auerroe de Calore. Cap. XIIII.

AVerroes tertio colliget cap. 3. de febre loquens ſic habet: & dicamus poſtquam dictum eſt, quod febris eſt calor,

qui continet totũ corpus &c.in quo loco posuit tres calores, naturalem, influentem, & præter naturalem, & secundo colliget ca. 7. tres alios posuit calores, duos à primis diuersos, innatum. s. complexionalẽ, & influentem. & 4. Meteororum prima, com. naturali addidit extraneũ, à quo corruptiones oriri affirmauit, naturalem vero generationis authorem decreuit. vbi calorẽ extraneum in re duplicẽ habere causam affirmauit, vnam. s. per se, & est quando calor extrinsecus non est conueniens calori naturali; dissoluit, n. ipsum, & ideo putrefactio multiplicatur in æstate: altera causa est per accidens, & est frigiditas, & congelatio caloris naturalis nõ potentis dominari supra materiam, vnde putrefit, vt in corporibus mortuorum, & senũ spectare licet. Posuit elementalẽ 4. c. de subst. orb. 2. de gener. 3. cœli. & 2. de anima: quẽ ab aliis trib. corporibus contemperatum, & à motu corporum cœlestium adiutum productricem omnium entium causam assignauit: Vnde dixit, si motus cœli destrueretur, motus entium inferiorum destrueretur, & consequenter mundus. ex hoc verificatur, quòd dator continuationis motus est dator esse omnib. aliis entib. quorum permanẽtia ab ipsa oritur natura, ac ordinata trasmutatione quatuor corporum, ex quibus constat, quod eum calorẽ, quia instrumentum est quo corpora cœlestia, eorum incessabili motu omnia generant, & omnia producunt, cœlestem apprime ipsum nominare valeamus. Hæc Auerroes. Modo ad Hippocratem accedamus.

Quid senserit de calore Hippocrates. Cap. XV.

HIppocrates quatuor uisus fuit ponere calores, æthereum vnum innatum alterũ, tertiũ non naturalem, vltimum vero igneum uel febrilem. De æthereo, habuit sermonem in lib. de carnibus, num. primo, sic inquiens. Et videtur sane mihi, id quod calidum uocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, tum præsentia, tum futura. Quæ verba etsi multa indigeant contemplatione, elucidationeue, nos tamen dicimus, de intelligentia, orbe, & sphæra ignis, simul aggregatis Hippocratem intellexisse. Calidum enim elementale, in inferiora agere minime posset, nisi corporum cœlestium motu impartiretur. Nec corpora cœlestia suo lumine & motu, media sphæra ignis, calorem inferioribus producere valerent, nisi ab intelligen-

tia moti essent, illaue successiue, a prima moueretur. Qui calor ea gratia procedit, quia reflexione præsertim producitur, uti motu in prima regione causatur, media remanente frigidissima; cũ nec à motu, nec à reflexione calescat, per ipsam resistentia minime facta. Quam primã intelligentiam, quis ambigit, immortalẽ esse, cũ cta intelligere, futura præsentiaue scire, & per allegoriam audire, & videre, etiã ꝙ oculos & aures, (cum incorporea, & simplicissima sit) non habeat aliquo modo? Ignis.n. ꝙ nesciat præsentia & futura, ꝙ non audiat, non uideat, nec intelligat, adeo clarum est, vt non sit ꝙ probem. Nec dicerem calidum Hippocratis, ad animam referendum esse. tum quia, futura contingentia anima ignorat; tũ etiam, quia si calidum anima foret, immortalis non esset. Quare ad primã intelligentiam, cuncta referenda esse putamus. & hęc de Aethereo. Modo de innato dicamus. de quo legere est in lib. de corde, nu. 5. sub his verbis. Nã insitus à natura ignis non est in dextro uẽtriculo cordis, sed in sinistro. De quo met prima, aphor. 14 ita scriptum reliquit. Qui crescunt, plurimum habent calidi innati. & reliqua. Rursus in lib. de carnibus, nu. 7. plurimnm calidũ in corde & venis inesse dixit; & propterea cor spiritus habere ut pote quod vnum intra hominem mẽbrorum, calidissimum existat. quo loco legant studiosi, frigidũ calido alimeutum esse. De nõ naturali uerba fecit, in lib. de chirurgiæ officina, dum ait, non naturalis uero calor, is qui membra iuuet, sumptus ex sex rebus non naturalibus, & intra corpus vel extra applicitus, sit tamen qui manũ non lædat tactu. qui met si modum excesserit, calore non naturali calescet corpus, venas exiccabit, quæ deinde acres biliosasue humiditates attrahentes, ut quæ tenues sunt, febrem ardentem accendunt, vt 4. acut. primo docuit Hippocrates. & hæc de febrili. Modo Galenum audiamus.

De Calore ex Galeno. Cap. XVI.



Galenus 6. de morb. vulg. sect. 4. comm. 25. in libro aduersus Lycum cap. 7. primo Aphor. Com. 14. & in quãplurimis aliis locis duos posuit calores, ingenitum vnum, & igneum alterum, quem aliquando non naturalem, quandoq; à natura alienum uocare consueuit. Ingenitũ in sanguine, sanguineisque visceribus locauit, in quib. quasi fontem ignis habet, vt 8. de placitis Hippocratis & Platonis ca. 7. spectare licet, etsi in primor

diis generationis in semine, & sanguine mẽstruo ab eo reponatur cuius substãtia aerea, & aquea existit, & proinde vaporosa blanda mitisque sentitur, qui met calor mutatione substantiæ propter ætatis ad vigorem mutationem, acris, m ordaxque efficitur: tunc enim in substantia terrestriori fundatur; At puerorum calor, qui in plurimo humido radicali fundatur, blandus mitis & tactu suauis esse solet: quoquo enim modo ab excedenti humiditate opprimittur, & ferè suffocatur: vnde non actu, sed potentia magis in ipsis esse dicemus: Contra adultorum, vt qui in sicciori substãtia reperitur, acris mordax, & tactui ingratus sentitur. qui quia naturalis adhuc, & infra latitudinis sanitatis terminos persistit, respectu febrilis, qui multum dictos terminos excedere potuit, mitis blandusque dicetur, quem naturalem calorem ex quatuor elementorum moderata permistione resultare, & fieri, & primo Aphor. & in lib. aduersus Lycum locis supra citatis manifestissimè demonstrauit: Ait enim puerilia corpora multum aereæ & aqueæ substantiæ habere, terrestris verò minimum: Contra autẽ qui in ætatis vigore consistunt à terrestriori siccitate vincuntur, quorum elementorum qualitates in animali reperiri in summo putandum non est, vt primo de temperam. cap. 1. docuit Gal. Sed in esse refracto. quod primo de elementis cap. 8. & 9. nec non 2. eorumdem cap. 1. confirmauit, dum duo principia in generatione decreuit, Vniuersale vnum commune appellatum, & Particulare, vel proprium alterum: Commune quatuor simplicia corpora constituit, vti proprium quatuor humores, sanguinem videlicet, pituitam, & vtramque bilem: qui omnes in sanguine potestate reperiuntur, in quo vt dictum est naturalis Calor maximè viget. & non tantum in sanguine, sed in spirituoso sanguine, quæ ambo natiui Caloris sunt adæquatum subiectum, qui naturalis Calor à cibo, & potu restaurationẽ recipit, in dies enim resoluitur & dissipatur, qui cibi ex eisdẽ et quatuor corporibus fieri, & constare nemo sanę mẽtis dubitat: ex quibus enim cõstamus, ex eisdẽ nutrimur. hinc fames appetitus est calidi, & sicci; sitis verò frigidi, & humidi, vt, 2. de anim. docuit Arist. à quorũ commẽsurato vsu temperies moderata reficitur, & seruatur: At si calor adauctus vltra limites fuerit, infra quos sanitas consistit, febrem facit. quod 8. Meth. cap. 1. & 2. de nat. facult. cap. 8. Gal. demonstrauit, actiones scilicet ex commoda oriri temperie, & ex eadem corrupta eas

lædi,

lædi, & aboleri dicens; quod primo de diff. febr. conscriptis verbis explicauit: sunt igitur suppositiones hæ, calidum frigidum humidum & siccum, esse corporum elementa, primasque ex eorum intemperaturis oriri ægritudines, ex quarum numero febris est vna, quando in corde quædam præter naturam caliditas generatur: generabit autem caliditatem præter naturam in corpore, rerum calidarum vsus, motus validus, meatuum angustatio, & putredo: similiter & ex vicinia alterius corporis calidioris calor: à quibus omnibus calor naturalis tantum incrementum suscipere potest, vt eius intemperies frangatur, & febris inde generetur, vt in lib. de Caus. morborum cap. 2. docuit Galenus. febris enim per ipsum nihil aliud est, nisi mutatio caloris natiui in igneum, vt 8. Meth. 1. acutorum com. 18. & 1. Aphor. com. 16. præter alia loca innumera clarè habetur. Tres itaque de mente Galeni ponemus calores, Innatum vnum in substantia aquea, & aerea vnctuosa tamen fundatum; Non naturalem alterum à rebus nō naturalibus in corpore genitum; Tertium præter naturam, cum innatus ab alio calore non naturali ita adauctus fuerit, vt eius temperatura frangatur, & infra latitudinis sanitatis terminos amplius non contineatur. Nec plura de calore ad mentem Galeni. Sed conciliatorem, vt qui ex omnibus plura colligere potuit, audiamus.

Quid senserit de calore Conciliator. Cap. XVII.



ONCILIATOR differentia quinquagesima nona, partitus est calores in simplicem, & permistum, & rursus simplicem in cœlestem, & elementalem: & dixit, quod elementalis est propria qualitas ignis ita ipsum concomitans, vt plurimi eius formam esse dixerint, qui per ipsum minime generatiuus existit, confert tamen ad materiæ præparationem pro introductione formæ. Cœlestis verò est simplex, viuificans, & in esse omnium viuētium germina conseruans, nunquam peremptionem, aut cōsumptionem inducens, quod in omniū spermate inexistit, cui innixa fulcitur anima in esse & operari: Permistus autem calor est ex elementali, & cœlesti compositus, qui est calor animalium, & vegetabilium vtcunque: nam vt dictum est, vnus est præparatiuus materiæ, alter verò datiuus est formæ: primus est elementalis, secundus

dus cœlestis, qui calor in omnium solidarum partium humido inhærescens, potissimum in corde, innatus complantatusq; appellatur, à cuius caloris in corde existentis virtute calor alius generatur, qui quia fluit, & ad omnia membra à corde demandatur, influens dicitur: ex quo calore influente, & innato complexio in mēbris oritur, qua mediante, & virtute animæ velut principaliori, omnes actiones & passiones in corpore explentur. Nūc ad propriam opinionem accedamus.

Quod calor cœlestis, elementalis Innatus uel naturalis influens, complexionalis, & præter naturalis, ratione tantum, & non specie differunt, ut multi putauerunt. Ca. XVIII.



HVCVSQVE aliorum opiniones de calore examinauimus, qui cum diuersis nominibus nominetur, & ab eo diuersi effectus non solum ratione, sed specie differentes; rursus quia in subiectis specie differentibus reperitur; non ratione tantum, sed specie dictos calores inter se distare, grauissimi viri putauerūt, ipsum in simplicem & permistum, in cœlestem & elementalem diuidentes. Alij innatum, influentem, & acquisititium. Tertii in complexionalem, & præter naturalem. vt non facilè sit rei veritatem colligere. quæ vnica cum sit, & in puncto, vt dicebat Aristoteles consistat, à tanta opinantium varietate adeo adumbratur, ne dicam obscuratur, vt vix quis nam sit dictus calor intelligi possit. Verum enimuero, etsi dicti calores tantum insimul videantur differre, quantum distant cœlestia à naturalibus & elementalibus; non essentialiter tamen inter se differre, sed tantum ratione, & secundum operandi modum, materiæque diuersitatem, & quatenus diuersorum agentiū instrumēta sunt; distingui affirmamus. Nam si recto oculo, ex quibus omnia creata constent prospicere voluerimus, ex quatuor elementis omnia constare dicemus: & ab animantibus tanquam à perfectioribus exordientes, hæc ab instrumētalibus, & organicis mēbris cōposita esse organica à similarib. similaria ab humoribus, humores ab elementis,

tis,elementa à primis quatuor qualitatibus fieri, recte dicemus: Quæ primæ quatuor qualitates accidẽtia cum ſint, ſine ſubiecto ſtare nequeunt, quod ſubiectum ſupradicta omnia eſſe poſſunt, ſed primario quatuor dicta corpora,ex quorum moderata permi ſtione calor naturalis originem trahit, cum quo naturali calore anima,omnes actiones, & paſſiones in corpore exercet: quo met calore anima per ſe, vt inſtrumento ad miſti generationẽ vtitur; calor enim qui eſt in ſpiritu gingituro, per quem fęcunda fiunt ſemina,idem ſpecie eſt cum calore ignis,etſi ſimpliciter ignis non ſit, vt in expoſitione tex. 2. de generatione animalium ſupra dictum fuit,cum tantum caliditatis gradum non poſſideat; quia tamen agit directus à virtute formatiua ſeminis partis,& in primordijs generationis in ſemine,& ſanguine mẽſtruo, pro fœtus generatione reperitur, ingenitus,complantatusque appellatur: qui pro fundamento cor habet,& membra ſimilaria. qui calor quia vt fluens, & ad diuerſa membra diſcurrens à corde per arterias demandatur, influens dicitur, vt in argumento primi in primũ de morb. vulgaribus docuit Gal. Idem calor complantatus mutatione ſubſtantiæ(deperditur enim & conſumitur humi dum illud radicale à calore naturali cum eo veſcatur,& ſubſtan tia exiccetur)acrior & mordax in dies efficitur,& acquiſititius à Gal.pri.Aphor.14.& in lib.aduerſus Lycum nominatur, vt qui in ſicciori, terreſtrioriq; ſubſtantia fundetur, quimet calor concoquit,& generat,vt 2. de anima probatum eſt. dicitur elementalis,& igneus,quia ab igne manat.moderatus tamen & ab aliis elementis cõmenſuratus in gradu complexionalis euadit, & vt cõmodum regulatiuũ animæ vegetalis in coctione,& generatione inſtrumentum efficitur; idẽ quoq; calor in animalium ſemine inhæreſcens elemento ſtellarũ dicitur correſpõdere, qui,quia corporum cęleſtium continuo motu fouetur,illuſtratur,& perficitur,vt pri.Metheo.4. habetur; cœleſtis dici apprime poterit: perfectio enim cuiuſlibet viuentis in quantum viuit, eſt motus, vt bene dixit Auer.in diſputatione 14. in ſolutione primi dubij, qui motus in ſpiritu,exiſtẽte in ſemine,viuente in potẽtia, a cęli motu impartitur, vt ad viuendi actũ deducatur. Qui ſpiritus, quia calidæ,humidæq;, eſt naturæ,Iouius dicitur. appellatur ẽt ſolaris,quatenus ingentẽ ſolis in ſe tẽperat poteſtatem,dum Iuppiter ipſum infundit,lucidus enim ſubtiliſque & à corde admo-

dum

dum feruens oritur etsi vt à sanguine nascitur vapor quidam sanguineus iure merito vocari possit: nam post tot conditiones, totque elambicationes, sanguis aereus æthereusque & in spiritum facile conuertibilis efficitur, qui Veneris quoque virtutem in se continet: motu enim venereo prorsus exundat, profluit, transfertur, prolemque propagat, ad voluptatem cuiuslibet sensus se dilatat; doloremque refugit, & in summa vt spiritus ad vitam, motum propagarionemque inducit, Iouius, Venereus, Solarisque existimatur: quatenus vero animum ad sensum, imaginationemque ministrat, Solaris, Mercurialisve censetur, qui spiritus semper Mercurium sequitur, cum adeo nobilis, ita facile conuertibilis, & formabilis existat. Cæterum Saturni, Martis, & Lunæ sanus spiritus non multum habet, cũ ex Saturno stupidus, ex Marte furiosus, ex luna obtusus quandoque foret, etsi ex dictorum corporum commensurato concursu cum aliorum mutuis, blandisque amplexibus, commensuratam sortiri naturam commodè possit. Elementalis vero calor est propria qualitas ignis, ita ipsum concomitans, vt plures eius formam esse dixerint, qui omnium vnus est Calor, qui poteniæ diuersitate, in graduum diuersitate existentis, modo vrit, modo concoquit, aliquando generat, & interdum corrumpit, quimet secundum subiectorum varietatem modo mitis, blandusque, aliquando vero aeris, & mordax sentitur. si enim aqua lapis ligna caro ab eodem igneo calore calefient & in clybano à commensurato clybani calore, ab ouo pullus generatur: etsi vnius calor sit vrens, alterius concoquens, tertij generans, quoniam diuersi immo contrarij sunt effectus, & non tantum specie, sed genere distantes; nõ dicemus propterea dictorum diuersorum effectuum causam diuersam esse: cũ hoc, quod vnus sit mitis, blandusque calor, vt aquæ; vstiuus alterius, vt accensorum lignorum; aridus mordax & acris, vt lapidum; generatiuus, vt pullorum in clybano: sed omnia ab eodem calore, etsi diuerso in gradu, & ratione diuersi subiecti fieri affirmabimus, in quibus artifex moderator est, & rector, vt in natutalibus operationibus moderatrix, & regulatrix est anima, quæ vti artifex secundum materiæ dispositionem, & ignis graduum varietatem modo vrit, modo concoquit, & aliquando generat: Vnde certissimum est, quod quando calor ignis de potentia ad actum medio motu, & transmutatione ex ouo in clybano pullum generat, ignis calor

tunc elemento ſtellarum proportionatur, & correſpondet, vti dicimus, ignem vires ſuas ſumme exercere, quando vrit; tunc enim agit, caliditate, & ſiccitate, quæ ambo ſunt in eo in ſummo, vt 3. cœli. 67. com. docuit Auerroes: Vnde rationabiliter concludere poterimus, ab eodem igne modo moderato, modo excedente, & in ſummo omnes dictas operationes prouenire, etſi inter ſe maximè diuerſæ, & contrariæ conſpiciantur, & exiſtant, niſi velimus dicere, quod vt ignis caliditas ad diuerſas formas ſpecie differentes terminatur, quod etiam ſpecie inter ſe calores dictas formas terminantes diſtent, ita vt ſubſtantias, ad quas terminantur, ſequantur, etſi per ſe, & radicaliter vnus ſit calor, & vtinam chimici ignis gradus perfectè ſcirent, eis enim corporum tranſmigrationem facere difficilè non eſſet: ſed tempus eſt, vt quæſito pro viribus ſatisfaciamus, in cuius explanatione, expoſitioneque quid ſit calor præternaturalis, & in quo à naturali differat, innoteſcet.

Examinatur caloris cum naturalis, tum præternaturalis latitudo, & quomodo poßit ſtare dictum Galeni ſi putridus calor magis ad humores, quos continent cordis ſinus, quàm ad corpus viſceris deflexerit, quod plurimi eorum potuerint euadere. Cap. XIX.



SATIS, ſuperq; per amœniſſimos caloris, cãpos ipſum multo ſtudio inquirẽdo vagati ſumus, vt petitioni in 13. cap. factæ ſatisfacere poſſemus, a cuius varietate, ſplendore, & pulchritudine allecti hucuſque digredi, & quæſito reſpondere diſtulimus; Quod vt commodius, clariuſve facere poſſimus, quinque ſupponenda erunt, animam regulatricem primo, caloris latitudinem, materiæ conditionem, gradum putredinis, & vltimo locum in quo putredo ipſa reperitur: & a primo tanquam a nobiliori exordientes, animam non eſſe complexionẽ, neque temperiem, ſed à temperie, & à complexione vegetalem, & ſenſibilem animam à penetralibus, & potentia materiæ per verum motum, & veram alterationem deduci dicimus; ſecus autem de intellectiua tenemus,

quam

quam nec temperiem esse, nec à temperie ortum habere, sed de foris venire tenemus, propterea mortales primas, intellectiuam vero separari ab alijs, tanquam incorruptibile à corruptibili, certo à firmamus: vt tertio. de anima text. 20. docuit Arist. Si enim vna ab altera seiungi, separariq; ue non posset, plantæ vegetali, nec animalia sensibili viuerent, sed in vno omnes, & in omnibus vna reperiretur, quæ est actus corporis, vt 2. de anima, & non solum est actus, quia constituit corpus in actu vitam ei tribuens; sed etiam quia actiones omnes, & passiones cum moderato calore, naturali appellato, in corpore nostro agit, & perficit: spiritum enim caloremve innatum essentiam animæ non esse, sed primum eius instrumentum ex 2. de simplici Medicina cap. 9. clarè habetur; qui naturalis calor latitudinem habet, vt decretum reliquit Galenus 8. Meth. cap. primo sic inquiens, sanè vnusquispiam morborum est, qui per intemperiem fit & febris: nam cum adeò immodicè, adauctus est calori, vt & hominē offendat, & actiones lędat, febris erit, quando si neutrum adhuc efficiat, quantumuis sit homo nunc, quàm antea calidior, nō tamen eum febricitare monstrauimus; Ex quibus luce clarius patet, quod si ex caloris adauctione homo non offenditur, nec actio læditur, quod febris non erit; quam caloris latitudinem, & augmentum non tantum in calore naturali, sed in præternaturali ponere debemus, qui calor præternaturalis nil aliud est, quàm naturalis adauctus, vt in lib. de causis morborum cap. secundo, primo acut. Com. 18. prima Aph. Com. 16. & 8. Meth c. primo notatum fuit. Vnde vti calor naturalis adauctus regulatus ab anima hominē nō lædet, nec actiones offendet, adhuc sub eo sanitas seruetur; similiter & de pternaturali dicendū est; nā in febre cum dictus calor igneus idest ad naturam ignis proximior fuerit factus, infra certos tamen latitudinis confines persistens, cum eo anima, etsi diminutè, vel corruptè, tales tamen exercere actiones in corpore poterit, vt cum eis animal viuere queat, vltra quos terminos expansus, & igneus magis effectus, cum eius natura consumere, vrere, destruereq; sit, sub regulatiuis animæ imperio amplius non subsistens, operationes ita destruet, vt cum eis viuere animal non possit; Ad quod gradus putredinis plurimum valet, quæ si omnibus numeris absoluta erit, ita vt sit lata profunda conclusa sordida ad minima elaborata, & in lentore constituta, vt ab ipsa contagionis seminaria gingi, & ele

uari possint propter putredinis potentiam cum supra vulgaris pu tredinis conditionem existat, reddita venenata materia, eam anima superare non poterit, hoc vel maximè si in partibus cordi vicinis, vel in corde ipso reperiatur, & adhuc magis si materia, in qua putredo fundat mali moris sit, videlicet, si in cholera prassina, vel æruginosa, necnon in phegmate salso cōsisterit, à quibus omnibus adeo latitudinem calor præter naturalis excedet, vt cum eo viuere animal non possit, vti econtra si putredo ita valida non erit, & in partibus à corde remotioribus persistet, & in benigniori materia reperietur, & hinc caloris præternaturalis latitudinem ab anima vincibilem non excedat, pauco adminiculo morbum anima superabit, & calorem ad naturalitatem, & temperiem reducet. Modò tēpus est, vt proposito quæsito satisfaciamus. propterea dicimus, quod quando putredo in humoribus in finibus cordis contentis reperietur, plurimi eorum poterunt euadere, si putredo omnibus numeris absoluta non erit, & quia in benigniori materia erit fundata, ex quo latitudinis terminos non excesserit, vltra quos ser uari animal non possit. rursus si cæteræ corporis partes ante morbi inchoationem in propria eorum temperie perstitissent, tunc enim anima cum calore non solum corporis cordis non læsi, sed aliorum etiam membrorum, necnon & aliorum humorum in ambitu totius corporis existentium, & non corruptorum in calefieri tantum, & non in calefacto esse positorum actiones in corpore diminutas exercere valebit, at nō ita diminutas, vt calorem pu tredinalem, in humoribus in finibus cordis contentum anima superare, & materiam consumere, vel expellere (præcipuè ab arte congruè adiuta) non possit. Nam sicut omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augumenti, vt 2. de anima 41. notatum fuit, qui auctionis terminus in calore naturali à regulatrice anima seruatur, vt cū eo actiones in corpore compleat, hinc dixit Arist. quod apposito combustibili calori naturali non comburit in infinitum, & hoc quia regulatur ab anima. similiter de calore præternaturali dicendum, qui ab anima etiam regulabitur, quoad vires animæ non superabit, cum quo præternaturali calore actiones, & passiones in corpore exercebit, diminutas tamen, verum non ita diminutas vt dictum est, vt cum eo calorem præter naturalem ad naturalitatem reducere non valeat, hoc vel maximè quia naturalia præter naturaliter disposita vi propria ad

ipsarum

ipsarum naturam naturaliter tendunt; quod in aqua feruefacta in dies conspicimus, quæ vi naturæ quæ est proprie frigiditas, obstaculo amoto, ad frigiditatẽ reducitur. non secus anima humores in sinibus cordis contentos, cum calore præternaturali, qui adhuc sub eius dominio continetur, cum in calefieri tantum positus sit, & non in calefacto esse, præcipuè substantiæ cordis, eum superare, & euincere poterit: Galenus num. 3. de præsagijs ex pulsibus cap. 3. variationem notabilem in pulsibus apparere docuit, si temperies, vel intemperantia diuersa, vel contraria in corpore cordis a derit, à temperie, vel intemperie quæ in contentis reperitur. quãto itaque maior sequetur variatio, si contenta erunt corrupta corpore cordis à corruptione seruato, cum cuius calore, & membrorum similarium, necnon humorum in ambitu corporis existentium, & adhuc non corruptorum, corrupta à corde contenta consumendo tollere, vel non consumpta per insensibilem transpirationem, vel per aliquam partem corporis sibi commodiorem educere anima poterit, & sic plurimos seruare: secus autem læso cordis corpore euenit. quam enim excogitare possumus medicinam ad putredinem, quæ cor occupauit? Cæterum qui caloris multiplicitatem tenent, scio dicere posse, calorem præternaturalem in calore influente, vel complexionali fundari, calore innato permanente illæso, cum quo anima supradicta agere, & perficere in corde poterit. sed prima expositio, & declaratio menti Galeni magis accommodatur, in quibus tamen tantum immorandum non est, vt pestis causas relinquamus.

Quot sint pestis causæ, & primo de extrinsecis: & de his, qui in Deum omnem causam reiecerunt, inter quos quid senserit gentilitas, explanatur. Cap. XX.

VAE in vniuersum pestis causæ sunt, intrinseca vna, extrinseca altera. Nos ab extrinsecis, vti à communioribus, quæ etiam quòd plures sint, ab his tamen, qui in Deum omnem pestis causam reiecerunt; exordiemur. Quæ etsi medicam artem transcendere quoquo modo

videntur, cum tamen à nonnullis celebribus viris causæ è sublimi verę pestis causæ assignentur, & sub his dictæ causæ comprehendantur, quę apud nos Christianos præcipuè existimari debet, cum omnium potissimum moderator, & rector Deus ipse gloriosus existat. hac de re de eis pertractare nec incōgruum, nec inutile visum fuit. Et primo quomodo gentilitas suo tempore in eorum Deos pestis causas retulerit, recensere, & nonnullis authoritatibus roborare non grauabimur: & à Romulo primo Romanorum Rege exordientes, anno ante Christi Natale 735. pestis inter Romanos, & Laurentios populos viguit, quam Deorum ira contigisse Plutarchus in vita Romuli, & Dionisius Alicarnasseus libro secundo dixere. Nuntij enim Laurentij & Tatius Sabinorum Rex pręter gentium expectationem interfecti fuere, quorum Deorum iram vt pacatam redderent non nulla sacrificia iuxta eorum ritum celebrauere: Anno quoque 638. altera valida Vrbem pestis inuasit, cuius timore deterrita, tota fuit religione, etsi vana, repleta. hæc Liuius libr. primo. Anno etiam 381. strages validissima Romam occupauit, cuius causam in Deos capitolinos retulerunt, quos indignatos arbitrati sunt, quia a dicto loco Manlium præcipitarunt, cum prius capitolium ipse seruasset. hæc Liuius lib. 6. Addam & quartam, quæ anno 274. ante mundum redemptum Romam detinuit, quo tēpore ab Epidauro Romam Æsculapiū maximo cum honore tra duxere, cuius præsentia pestis euanuit. hæc Liuius in epitomis lib. 1. Non deessent varia, & innumera exempla, quæ breuitati indulgentes consulto dimittimus, in quibus lectisternia, preces, feriæ supplicationesue, celebratæ fuere: Quibus Galenus in procœmio primi in primum de morbis vulgaribus sic inquiens astipulatur, At pestes appellant omnes homines, sciuntque exitiales morbos esse: & subdit, & vero etiam ad Deos sæpe referunt, de curatione earum consulentes. Cæterum quomodo hæc prodesse potuerint, cum eorum vana esset religio, iure merito erit inquirendum; quod ad duo referendum censemus, quorum alterum est, quia princeps mundi huius non erat eiectus foras, propterea in Ioanne cap. 16. Saluator mundi ait, Nunc princeps mundi huius eiicietur foras, suæ passionis efficaciam innuens, Qui princeps diabolus est, qui non ideo dicitur princeps, vt Manichei malè intellexerunt, quia creauerit mundum, nec quod duo sint Dij, vnus

bonus,

bonus, & alter malus, illum inuisibilium, & hunc visibilium Creatorem. Sed ad hunc sensum princeps dicitur, quia eorum qui plus æquo mundum diligunt, caput diabolus est, & princeps, cuius potentia maxima erat cum super terram potentia aliqua nõ fuerit, quæ ei comparari posset, vt ex Iob. cap. xj. habetur qui a Saluatore mundi debellatus fuit. Verum quia Gentilitatis tempore adhuc passus non erat, principem diabolum foras non eiecerat, qui gentilitatem decipiens, vt dicta sacrificia vota, lectisternia, supplicationesque eis prodessent, ne verum Deum agnoscerent, operabatur: præter id quod Deum etsi verum non agnoscerent, colebant, qui affectus in Deum, etsi verum non colerent, eis prodesse poterat. Secunda causa in suscipientium fortem imaginationem referenda est, vt in libro de adiuratione, incantatione, & suspensione conscripta oratio. habetur. Quando mens humana rem amat aliquam licet naturaliter non iuuatiuam, sibi tamen prodesse certificat, ex sola mentis intentione res illa iuuat. Et subdit, verbi gratia, siquis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscunque sit, eum nihilominus iuuat: propterea Socrates ait, Incantationes verba sunt decipientia rationales animas secundum spei inceptionem, & secundum timoris incisionem: hæc ille; ex quibus sat patet ex suscipientium intentione non iuuatiua natura iuuatiua effici. Modo quomodo pestis vltoris Dei ministra in lege veteri, & in noua fuerit videamus.

Quod in lege veteri, & in noua, è sublimi, & à Deo glorioso gladius, fames, & pestis in homines vt flagellum irruerint. Cap. XXI.



IAM de pestis causis secundum gentiles, & quomodo in Deos vanos causas retulerint, cap. præcedenti monstrauimus. Modo quomodo in Deum verũ omnes pestis causas Patres veteris legis reiecerint videamus: Vnde in Deutheronomico ait Moyses ad Populum, si audire nolueris vocem Domini Dei tui, & eius cerimonias, & mandata, quæ præcepi tibi non seruaueris, super te omnes maledictiones venient. & præter cæteras subdit, adiungam tibi pestilentiam, donec de terra consumet te, & paulo infe-

rius subdit, percutiet te Dominus egestate, febre, frigore, ardore, æstu, aere corrupto, & rubigine, donec pereas: & 2. Regum cap. 24. & primo Paralipomenon cap. xxj. cum peccasset Dauid in Populi numeratione, tantum enim vana gloria ductus illud peregit, per Gad Dominus Dauid nunciare fecit, se eum velle percutere, propterea quid horum trium mallet, eligeret, aut per septem annos famem, aut per tres menses prælium, aut tribus diebus peste conflictari. cui Dauid, coarctor nimis, malo tamen in Dei, quam in hominum manus incidere, quare tribus tantum diebus ad septuaginta millia de populo percussi iacere potuerũt, donec Angelo diceret Dominus, sufficit, contine manum tuam. Hieremias etiam cap. 14 dum ad Deum pro Populi peccatis orauit, dixit Hieremiæ Dominus, Noli orare pro populo isto in bonum, nam si ieiunauerint, preces eorum non exaudiam, & si obtulerint holocausta, & victimas, non suscipiam ea, quoniam & gladio, & peste, & fame ego consumam eos. & rursus per Hieremiam cap. 38. post eius captiuitatem locutus est Dominus, dicẽs, Qui manserint in Ciuitate hac, gladio, fame, & peste peribunt: Qui vero aufugient ad Caldeos, viuent. & per Ezechielem ca. v. ait Dominus omnipotens, Quia sanctum meum violastis, & in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam te, & non parcet oculus meus, & non miserebor, quare tertia tui pars peste, & fame, & gladio in medio tui morietur, & consumetur, & in circuitu tuo cadet. Hæc ex lege veteri pręter alia innumera loca dicta sint satis. Cęterũ Saluatoris nostri futuri iudicij præsagia perpendamus, dũ Luc. xxi. ca. sic ait, Insurget gens cõtra gentem, & regnum aduersus regnum, & terremotus erunt per loca, & pestilentię, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt, & reliqua. anno quoque à Christo nato 590. validissima fuit pestis, quæ præter cæteros Pelagiũ occidit, quæ inquinaria dicta fuit: hęc tãtę fuit potẽtiæ, vt siquis oscitasset, vel sternutasset statim moreretur: hinc signo crucis os signari, & dũ aliquis sternutat; dici aue initiũ habuit, pro qua fuganda cum ad Deum preces, rogationesq; diuus Gregorius funderet, iuxta Adriani molem Angelum sanguine conspersum ensem eo mundare, & abstergere, & in vagina recondere vidit: vocem quoque sic dicentem audiuit, Regina cœli lætare halleluia, quia quẽ meruisti portare halleluia, tunc Diuus Gregorius statim subdit, ora pro nobis

Deum

Deum halleluia. hæc Platina in vita Pelagij ij. & Gregorij primi, & Blondus lib. viij. suarum historiarum, & Paulus Diaconus lib. 3. & Petrus Messia in vita Mauritij Imperatoris. alia ad hæc fuit Romæ pestis à partu Virginis 533. quæ non tantum Romam, sed alia Italiæ loca occupauit, quo tempore multis bonus & malus apparuit Angelus, veru manibus gestans quo quoties alicuius ianuam percutiebat, tot è domo illa mortui efferebantur. eo tempore cuidam reuelatum fuit, pestem extinctam iri, cum in ecclesia Diui Petri ad vincula, Diuo Sebastiano altare erigeretur, ibique à populo adoraretur: quo expleto, pestis euanuit, authore Paulo Diacono lib. 6. & in legendario dicti sancti legitur: quod altare vsque in præsentem diem cernitur, & colitur. Ex his patere arbitramur, pestem à Deo altissimo in inferiora interdum mitti, & iræ eius, vt mortalium peccata puniantur, corriganturve, vltricem, & ministram esse. caueant itaque mortales non seruare legem Domini exercituum, ne peccatorum multitudine, & in eis duratione iram Dei vltricem super se prouocent, & ab eo peste puniantur, & intereāt. Modo de causis pestis secundū Astrologos disseramus.

De pestis causis secundum Astrologos. Cap. XXII.



QVOMODO secundum Patres veteris legis, & nouæ, pestis causæ in Deum relatæ fuerint, enarrauimus, modo causas secundum Astrologos dicamus; Qui tunc fieri pestem asserunt, cum aer malo quodam modo à corporum cœlestium varijs aspectibus humanæ naturæ inimicis vitiatur, vt puta, quando fit coniunctio Saturni cum Marte in Gemini, aut Virgine, à Ioue & Venere nō impedita. necnon & coniunctio Iouis & Martis pestem causare possunt: quæ met, & multa alia mundi generalia accidentia, vt fames, terremotus, inundationes, aerisque maximas perturbationes, præcipuè ex luminarium eclipsibus mortalibus ingruere peritissimi Astronomi obseruarunt. quæ eclipses non omnes, sed certo quodam modo conditionatæ hæc præstare possunt: hoc vel maxime, quando solis, & lunæ defectus in partibus signorum contingunt, ex quibus hoc, vel illud significatur, vt in exemplo, quando solis

ſolis eclipſis in vltimis decem gradibus contingit, peſtem, famẽ-que inducit. idem quoque luna deficiens in medio denario Arietis efficit: & in vniuerſum alterutrius labor inſignis Geminorũ lib. & aquarij, fames, & ſæuiſſimas ægritudines, atque peſtiferas inferunt, præcipuè cum infauſta Saturni radiatio, vel Martis eclipſium ſignificatis atteſtatur, dummodo à fauſta Iouis, & Veneris radiatione mitiora omnia non reddantur. Relinquo modo, quod luminum defectus in ſupernis magnis luminaribus, manca, & defectuoſa hæc inferiora reddunt, & efficiunt, cum ab eorum lumine, & motu producantur, & viuant: ita peſtis 538. à partenopeo partu contigit, quæ à ſolis eclipſi originem traxit, authore Paulo Diacono li. 6. & anno 703. à partu Virginis, à ſolis, & lunæ eclipſibus, immo ab eorum præter conſuetudinem obſcuratione, die tertia Maij, valida Italiam peſtis occupauit, à qua Agaton Pontifex fuit interfectus, authore Platina in vita dicti Pontificis, & Blondo lib. 9. & Tarcagnotta, eodem libr. Anno etiam 260. à Christo nato præter cætera prodigia ſol per plures dies perdidit lumen ſuum, quo tempore ita ſæua, & rabida Romæ fuit peſtis, vt vna die ad quinque millia iacerent, authore Petro Meſſia in vita Galieni Imperatoris. Verum quia multi dicunt, quòd à corporibus cœleſtibus nullum malum in hęc inferiora ingruere poteſt, an dictis corporibus peſtis, & alia mundi accidentia cauſari poſſint, videamus.

Notandum

An accidentium, quæ in ſublunari mundo fiunt, & præcipue peſtis corpora Cœleſtia cauſæ eſſe poßint. Cap. XXIII.



CORPORA Cœleſtia vario eorum aſpectu, nec non & magnorum luminarium eclipſes non tantum peſtis, ſed variorum accidentium in iſtis inferiotibus cauſas eſſe, cap. præcedenti monſtrauimus. Verum quia non deſunt, qui corpora cœleſtia nullo pacto infenſa, deleteriaque inferioribus eſſe putauerunt, hac de re iure merito, an dicta corpora infenſa, & inimica ſint, & quomodo ſint, inquirendum duximus. Plato enim in Epinomide conſcripta oratione à Cœlo non infici inferiora aſſeruit. Hæc cęleſtia exiſtimamus

ani-

animalia esse diuinum astrorum genus, corpore quidem pulcherrimo, anima vero tum beatissima, tum optima constitutum: His itaque animalibus è duabus sortibus alteram tribuendam putamus; nam aut absque pernicie immortalia, atque diuina necessario singula sunt, aut vitam longęuã agunt, singulis adeo sufficientem, vt longiore non indigeant. quam sententiam paulo inferius ita scribens confirmauit. hanc astrorum naturam esse, visu quidem pulcherrimam progressu, & chorea optima vtentem, omniumque chorearũ decentissima, & magnificentissima, quæ cunctis animalibus commoda præbet. Chalcidius quoque dictorum interpres sic ait. aut omnes stellæ diuinæ sunt, & bonæ, nec quidquam faciunt mali, aut quædam maleficæ: sed maleficas esse in illo sancto & pleno bonitatis loco, quatenus conuenit? Cumque omnia sydera plena sint cœlestis sapiẽtiæ, malitiamque sciamus ex dementia nasci, quatenus conuenit maleficas stellas dicere (nisi id quod fas non est) interdum easdem bonas, interdum malignas esse existimemus, proptereaque promiscue benefica, & malefica præbere. sed hoc absurdum est putare, cœlestem substantiam vna eademque natura præditam non in omnibus stellis eandem esse, sed plerasque tanquam à propria degenerare natura; & hoc si maleficæ essent: cum natura propria quidquam non facian t mali, sed salutares, & beneficæ censeantur. Modo Aristotelem audiamus, qui 9. Metaph. tex. 19. facta prius inquisitione de actu, & potẽtia, sic subdit. ergo in rebus quæ sunt in principio, & quæ sunt æternæ non est aliquod inc alitur omnino, neque error, neque corruptio. corruptio enim est ex rebus malis. quæ verba Auerroes sic exposuit. manifestum est igitur quod in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna, sed esse eorum est principium; nõ est malum omnino, neq; error, neque corruptio. corruptio enim est ex rebus malis. Et subdit. ex hoc cognoscitur, quod hoc, qđ dicunt Astronomi, quod quædam stellæ sunt fortunatæ, & quædam infortunatę, impossibile est scire; sed tantum, quod quædam sunt meliores quibusdam sciri potest. Ex quibus authoritatibus irritum iri astrorum scientiam manifestissimum est, quæ si irrita, & vana esset, ad quid prædictio ortus, & occasus syderum, necnon magnorum luminarium eclipsium, à quibus tempora modo æstuosa, interdum frigidiora, quandoque sicciora, & aliquando humidiora redduntur, quæ mu

tationes

tationes non tantum congruis fiunt temporibus, ſed ſæpe ſæpius in contrarijs contingunt, vt in æſtate frigus, in hyeme vero calor temporum habita ratione, multoties ſentiatur. ſimiliter & de alijs qualitatibus dicendum eſt. relinquo modo turbulentias, & alias varias mutationes, quæ à dicto ortu, & occaſu ſyderũ cauſantur; vt doctè Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis tex. 30. demonſtrauit, quem Aetius ſermone 3. primi tretrabili cap. 164. ſequutus eſt. dictis adde, quod tot viri celebres, qui de peſte tractatum conſtruxere, & peſtis cauſam in aſtra retulerunt, vana, & irrita docuiſſent: inter quos Ficinus cap. 2. ſuæ epidemiæ ita ſcriptum reliquit. concreatur huiuſmodi vapor in aere, vniuerſalioris tempore peſtis, ex malignis quibuſdam conſtellationibus, præſertim ex Martis cũ Saturno in ſignis humanis coniunctione, & ex luminarium eclipſibus. Auicen. vero 4. pri. cap. proprio ſic habet. cauſę peſtis ſunt formæ ex formis cœleſtibus facientes eſſe neceſſarium illud, cuius aduentus ignoratur. quod Gale. in lib. de theriaca ad Piſonem ſic inquiens cõfirmauit, immutat enim aerem malo quodam modo, vt homines interficiat. quæ mutatio ad cœleſtia corpora referenda erit. quod Hippocr. quoque primo progn. viſus fuit innuere, dum diuinum in morbis reperiri aſſeruit: nec Ariſt. pri. Meth. 4. dixiſſet, neceſſariam fore lationibus ſuperioribus inferiorum continuationem, vt inde tota eius virtus gubernaretur, niſi aſtra, rerum, quæ extra mortaliũ volũtatem, & decretum eueniunt, modulantia, diſponentia, & producentia eſſent: quare cum chorea optima ſyderum, & chorearum omnium decentiſſima, magnificentiſſima, & pulcherrima, à primo. Motore diuturnitate immẽſa, & inceſſabili conſeruata, per ſe malefica à Platone, Ariſtotele, & Chalcidio non habeatur, vt per accidens inimica, & inferioribus infenſa exiſtat; exiſtimandum cenſemus. quod tribus modis agere poſſe, Pauli Veneti etiam in lib. de cœlo. cap. 14. teſtimonio confirmatur, dum ait, neceſſitatem pluralitatis motuum cœli oſtendit philoſophus 2. Cœli ex neceſſitate motuum inferiorum. poſtea ſubdit, ad quod inueſtigandum, eſt primo notandum, quod cœlum tripliciter in hæc inferiora agit, motu ſcilicet, lumine, & influentia, Motu, trahendo ſecum ſphæram ignis vna cum aere exiſtente vltra montes altiſſimos, ſicut patet pri. Meth. Vnde de motu loquens Ariſto. 9. Meta. 17. dixit, non eſt timendum, quod cœlum quieſcat, cum ab eius ceſſatione omnia corrumperentur, &

in-

interirent: Vnde causas generationis, & corruptionis 2.de gene. & cor. tex. com. 56. docens sic scriptũ reliquit. quo circa si accedẽdo, & in prope esse corpus cœleste generat; in recedẽdo, & lõge fieri idipsum corrumpit: Quæ verba Auer. in commen. ita exposuit, manifestũ est, quod generatio, & corruptio sint cõtinuę, vt sint motus secundum dispositiones contrarias, in respectu generatorum, & corruptorum; iste ergo motus nõ est primus, sed motus solum in orbe decliui, qui orbis, sicut dixit Arist. habet continuè motus duos, propinquum scilicet, & remotum, ne ex eo vna procedat operatio propria. dixit Arist. quod accessus & recessus solis in circulo obliquo est causa generationis, & corruptionis omnium rerum, ex cuius met accessu & recessu ratione varietatis syderum, per quæ sol in Zodiaco peragratur, modo ver, aliquando æstatẽ, interdum Autumnum, & tandem hyemem parere solet; & hæc de motu. Lumine quoque agunt corpora cœlestia, vt experientia docet, quo calorem in hæc inferiora inducendo agunt: influentia vero, quia in profundo terræ, vbi motus, & lumen non attingunt, ab ea metalla, & alia in visceribus terræ abscondita generantur. Quæ influentia, dicit Paulus loco supra citato, est qualitas spiritualis, & sensu non perceptibilis, sicut lumen, & motus: & hæc est illa, quam viri peritissimi venenatam, abditam, & cæcam qualitatem appellarunt: & forsan idem voluit innuere, quando eodem loco scilicet in lib. de cœlo ca. 14. dixit, quòd in diuersis punctis cœli sunt diuersæ virtutes, à quibus secundum æquiualentiam nunquam recedunt, ita quòd in oriente sunt aliquæ virtutes, quæ non possunt esse in Occidente, & econtra; quæ quidem virtutes numero, vel specie nunquam sunt in partibus existentibus in sitibus secundum æquiualentiam. hæc Paulus. Quare sicuti temporum varios status lumine, & motu constituunt, & aeris plurimas, & varias mutationes pariunt, & influentia in terræ visceribus metalla, & multa alia diuersa gignere valent; Quid prohibet, vt contrarij aspectus, motus, & loca syderum malo quodam modo inficere, & venenare aerem possint, vt deleterius mortalibus euadat? Cæterum sciendum, quod dictorum corporum in varijs signis, & variis cœli locis existentium, propter quæ varij aspectus contingũt, nec non ratione zenith syderum magis vnum, quàm alterum locum respicientium, & dominantium, ob graduum numerum, & latitudinem magis vnus, quàm alter locus inficietur, & peste corripietur

Quare magis vnus locus inficiatur aliis

pietur etiam quòd non multum inter ſe diſtantia exiſtant hoc, vel maximè ſi dicta loca meridionalibus ventis ſint expoſita & earum poſſeſſores intemperantes ſint, & prauo victu viuunt, vel aliquam ex inferioribus qua facilè infici poſſint coniunctam cauſam habeant hinc etiam continget, quòd magis bruta, quàm homines, & interdum magis homines, quàm bruta, præter illud, quòd dixit Hippocr. q́ differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimẽtum à nutrimento; peſte erunt correpta, & detenta, etſi rationabiliter etiam dicere poſſumus, quòd tunc bruta magis erunt correpta peſte, quando à terra originem peſtis habuerit, cũ prona ſemper terram reſpiciant eam depaſcentia. Vnde vti ab ea nutrimentum carpunt, ita venenum cum nutrimento carpere poſſint. Modo quomodo ab ignitis Metheorologicis impreſſionibus peſtis fiat videamus.

Quomodo ignitæ impreſſiones Metheorologicæ peſtis cauſæ ſint. Cap. XXIIII.

NON ſolum corpora cœleſtia vario eorum motu, lumine & influentia peſtem cauſare valẽt, ſed impreſſiones ignitæ ab hipocaumate, & ab exhalatione procreatę, vi corporum cœleſtium eleuatæ, & à motu cum earum, tum cœli, & ignis accenſæ peſtem parere poſſunt, vt ſunt ſtellæ cadentes, comatæ, faſces, ſoles varij, & ſimilia: verum non omnes imprexiones ignitæ id præſtare poſſunt, ſed quæ potentiorem cauſam habent, vt Cometa ſoles varii, & ſimiles, quæ validam exhalationem vi corporum ſuperiorum eleuatam ſupponunt, quæ præter id, quod aerem ſicciorem reddit, malo etiam modo immutat, vt cæteris concurrentibus, peſtis cauſa eſſe poſſit, vt anno 462. ante Chriſti aduẽtum cõtigit, quo tempore fuit viſum, cœlum ardere, & multi ignes in aere, præter cætera tremenda, timendaque apparuere, authore Liuio libr. 2. Dioniſio alicarnaſſeo lib. 9. & Tarcagnotta lib. 1. primi voluminis ſuę hiſtoriæ: anno quoque 174. ante Chriſtum natum præter alia prodigia tres ſoles viſi fuere, & multæ ignitæ faſces è cœlo ceciderunt, authore Liuio lib. primo quintæ decadis: & anno 985. à partu Virginis ſtella comata apparuit, authore Platina in vita Ioan-

nis

nis 16. vti anno 1308. Comata ſtella viſa fuit, authore eodem Platina in vita Clementis. v. & Petrarcha in vita Pontificum: anno quoque 1340. Comata ſtella apparuit, authore Leone Aretino lib. 6. & Ioan Villano lib. 11. ſecundæ partis, & Petro Marcello in vita Dugium Venetiarum, in quibus ſupradictis temporibus validiſſimæ peſtes fuere, quę aliquando vnum, quandoque alium, & vt plurimum varia loca, vt ſuis locis videre licet, occuparunt; pręcipue tamen loca, ſupra quæ dictarum imprexionum zenit viſum fuit: Quę omnia mutare aerem malo quodam modo poſſunt, vt inde peſtis commodè oriatur: animaduertentes, quod dictæ apparitiones virtutes corporum ſuperiorum ſequuntur: quę maiotem, & minorem poteſtatem; citiorem, & tardiorem effectum producunt, ſecundum varia cœli loca, in quibus reperiuntur; & ſecũdum maiorem, & minorem exhalationis copiam, in qua fundantur; & ſecundum maiorem, minoremve eorum durationem: etſi à Dei altiſſimi beneplacito, vt cætera omnia, moderentur, & regulẽtur, cum vt ipſius inſtrumenta, tam corpora cœleſtia in cap. præcedenti enarrata, quàm apparitiones in pręſenti capite deſcriptæ, dicta peragere, & cauſare poſſint. Modo de ea, quę ab excedenti aeris qualitate, qua aer putreſcit, & peſtis cauſa efficitur; dicamus.

Quomodo Aer ſecundum Philoſophos peſtis cauſa exiſtat. Cap. XXV.



HVCVSQVE quomodo Aer malo quodam modo infici poſſit, rurſusque quomodo peſtis cauſæ à patribus veteris, & nouæ legis, nec non & à gentilitate in Deum relatæ fuerint; enarrauimus: Modo extrinſecas cauſas, quæ aerem excedenti earum qualitate putreſcere faciunt; explicemus, quæ dubio procul caliditas, & humiditas primario exiſtunt, etſi à cæteris qualitatibus id præſtari etiã poſſit: Vnde Auerroes 4. colliget cap. 14. poſtquam dixit, quod aeris intemperies in vna qualitatum ægritudines ſibi ſimiles generat; ſubdit deinde, aer vero peſtilentialis non ratione intemperiei in vna qualitatum, ſed à ſuæ ſubſtantiæ corruptione peſtilens efficitur, & hoc propter multam pluuiam contingit, & præcipuè in æſtate. quam ſententiam 6. colliget cap. 12. confirmauit dicens, quod

quod à caliditate extranea, & humiditate superflua putrefactio generatur: quam veritatem princeps pri. 4. tract. 4. cap. pri. non tacuit, dum febres pestilentes ab aere turbido, & humido fieri dixit: Auenzoar quoque lib. 3. tract. 3. cap. primo à calidiori, humidiorique aere pestem ortum habere, asseruit: vnde protulit, quod deterior aer est calidus, & humidus, & qui ad recipiendum corruptiones, & putredines aptior, quam si alias possideret qualitates; existit. Dictis astipulatur Hippocrates 2. de morb. vulg. ad principium, dum de morbis, qui in Cranone contigere, verba fecit, inter quos, carbunculos à nimia humiditate ortos recenset. & 3. eiusdem ad principium, Austrinum statum describens, sic scriptum reliquit. annus austrinus pluuius, venti perpetuo quiescentes, cũ squallores fuissent, superioribus temporibus ad annum in austrinis circa arcturũ, vmbrosus, nubilus, aquarum copia, hyems austrina, humida, mollis post solstitium longe postea propè ęquinoctium seræ hyemes, & iam circa ęquinoctium aquilonares venti niuosi non multo tempore. ver rursus austrinum sine ventis, aquæ multæ perpetuo vsque ad Canem, æstas serena, calida, ęstus magni, ethesiæ parum dispersum spirarunt. Rursus circa arcturum in aquilonaribus aquæ multæ. cum autem esset annus austrinus humidus mollis pestem sæuissimam peperit, quam Hippocr. accuratè describit, quæ adeo sæua fuit, vt sæuior in posterum visa non fuerit, nec immerito, cum tam longo tempore humiditas perdurarit. hanc veritatem Gale. pri. de diff. febr. cap. 4. sic inquiens comprobauit. cum aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodicè fuerit conuersa, pestilentes quidem oriri morbos necessarium erit, quo modo inundationes pestem causare credimus, quæ largam, longamque pluuiam supponunt; non enim omnis humiditas causa pestis esse potest, sed quę diuturnitate cæteris concurrentibus aerem corrumpere valet, vt Anno ante Domini aduentum 363. à Tyberis excessu contigit, Liuio lib. 7. & Valerio Maximo authoribus: Anno quoque 27. ante natale Redemptoris à Tyberis Romæ excessu valida pestis originem habuit, authore Dione lib. 45 & anno 61 (. à parthenopeo partu ob copiosas pluuias maximum fuit diluuium, vt inde totam Italiam pestis occupauerit, authore Platina in vita Bonifacij iiij. frigiditas vero, & siccitas per se pestis causæ non sunt, cũ per se putredinis causæ non existant: potest tamen frigiditas, & siccitas

ſiccitas per accidens nedum putredinis, ſed & peſtis cauſa fieri. 4. enim Met. com. pri. dum Auer. corruptionem à calore extrinſeco fieri aſſeruit, cauſam productionis caloris extranei in re aſſignans, duplicem ipſam poſuit, vnam per ſe, ſcilicet cum calor extraneus non fuerit conueniens calori naturali; diſſoluit enim ipſum, & propterea putrefactiones multiplicantur in æſtate: Alteram poſuit per accidens, & eſt frigiditas, & congelatio caloris naturalis, non potentis ſupra materiam dominari, vnde putrefit, vt in corporibus mortuorum, & ſenum ſpectare licet: Valeſius vero de tharanta lib. 7. cap. primo frigiditatem eſſe cauſam putredinis & peſtis, dixit, conculcando humores, cum malorum humorum debitæ reſolutiones non fiant, immo maximè retineantur, & præcipuè ſi præceſſerit annus fertilis, in quo plurimi fructus reperiantur. Siccitas vero poteſt eſſe cauſa peſtis ſterilitatem inducens, vt anno 363. à Chriſto nato euenit, quo tempore cum multis menſibus non pluiſſet, ſterilitas maxima ſucceſſit, propter quã cum conuenientia cibaria mortales non habuiſſent, beſtialia comedere coacti fuere; vnde humores in ipſis geniti, cum putredini eſſent obnoxij, peſtis cauſa eſſe potuerunt, authore Sozomeno lib. 6. Cæterum in vniuerſum ſciendum, quod ſicut temperatæ temporum temperaturæ ſanitatem, ita intemperatæ ægritudines, & illas varias ſecundum eorundem varias intemperaturas, parere conſueuerunt, vt prima problematum Ariſt. & 3. Aphor. Hippo. multis problematibus, & aphoriſmis, ambo oſtenderunt, ad quæ loca breuitatis gratia lectorem remittimus. Modo quomodo aer ſecundum Medicos inficiatur, inquiramus.

Peſtis cauſa extrinſeca ſecundum Medicos explanatur. Cap. XXVI.



CAVSARVM extrinſecarum proximior peſtis cauſa àer ipſe cenſendus eſt, à quo plurimum peſtis originem trahit, vt conſcripta oratione primo de diff. febr. ca. proprio Galenus demonſtrauit. in peſtilenti vero Aeris ſtatu inſpiratio plurimum cauſa eſt; & illinc ad parum, magna autem ex parte ex inſpiratione incipit Aeris circũ ſtantis à putreſcibili euaporatione infecti: Qui aer vel manifeſte

vitiatus est, vel occulte, ita vt a tota substantia humanæ naturæ infensus factus sit, & inimicus : de occulta vitiatione superioribus capitibus disseruimus, in præsenti cap. de eius manifesta fœdatione dicamus; Quæ quandoque à terra, aliquando ab aqua, interdum ab animalibus, & hoc vel à mortuis, & cadaueribus etsi aliquando ab ipsis viuentibus aeris fædatio contingat: quandoque etiam à baratro, vel ab aere diu in aliquo loco concluso vitiari potest. Vitiatur rursus a terra, vt Auicen. prima seu 4. lib. trac. 4. cap. primo asseruit sub his verbis. & quandoque accidunt putredines in interioribus terræ, propter causas, quarum euentus ignoratur, & nocere faciunt aquam, & aerem. Quæ sint aũt dictæ putredines in interioribus terræ non docet; Nos præter aerem conclusum vt infra patebit, venenatas mineras, & stagnantes aquas, quia lumine priuatæ, sole, & motu, putrescentes, causas ponimus. Neapoli enim in agro de Agnano appellato stat quædã parua cauerna lucida satis, in qua nec aer corruptus, nec res aliqua corrupta cernitur; & tamẽ si vltra eius medium homo, aut Canis, vel aliud animal ponatur, paulo momento, & fere in instanti perit. Quod non nisi à vaporibus a minera venenata eleuatis fieri credimus. nam si quis attentè locum respiciat, tenuem quandã auram per interualla a dextra parte cauernæ eleuari conspiciet, quæ alium aerem infra cauernę medium non inquinat, quoniam exhalatio non est continuata, sed adeo intermissa, & subtilis, vt à bono aere vitiatus dissipari, beneficiari, & corrigi magis valeat. quam vt ipse bonum inficere, & venenare possit. secus autem esset, si euaporationes essent continuatæ substantia crassę. nam sic propter earum multiplicationem, & crassitiem inficere, & venenare aerem possent, vt inde pestis oriri valeret. Coinquinatur etiam aer ab aqua, quando a lacubus, & stagnis æstatis tempore vi solis, & aliorum astrorum euaporationes corruptæ fiunt, vt Galeno, & Auicennæ locis citatis, nec non & Auenzoar lib. 3. Tract. 3. cap. 2. placuit, pręcipuè si in dictis aquis linum, aut cãnabis macerentur, aut oryza seratur. A cadaueribus inficitur Aer, vt sequentibus verbis loco citato asserit Galenus. putredinis autẽ principium ex cadauerum multitudine non crematorum prouenit. quod Princeps eodem citato loco sic inquiens confirmauit. Vitiatur autem Aer ex vaporibus à corporibus in prælio interfectis non tumulatis, vel exiccatis, per ventos ad proximiores regiones

demandatis, vel in propriis commorantibus locis : vnde dixit, & fortasse est causa propinqua in loco vnde venit. Quæ infectio à mortuis locustis fieri etiam potest, vt Aphricæ contigit, Pauli Orosij testimonio lib.v.& Eutropij lib. iiij.Galliç quoque eadem met causa anno. 864. pestis accidit, vt Gregorius Toronensis li. 6.cap.44. suarum historiarum recenset; & Anno à Christi natali 900. a vermibus a puluere ortis pestis originem traxit, authore Berardino Corio in prima sua parte. Ab animalibus etiam pluri mo veneno scatentibus pestis aliquando originem habuit, vt de Draconibus prauo halitu aerem inficiētibus iuxta Athenas, Guar nerius in tractatu proprio, Aristotelis testimonio, accidisse testatur. Anno quoque 590. vel circa, cum Tyberis adeo excreuisset, vt ciuitatis mœnia superasset, extra flumen derelictus fuit Draco cum aliis paruis Draconibus, a quibus adeo vitiatus fuit Aer, vt inde commodum pestis initium haberet, inguinaria appellata, Authore Platina in vita Pelagij secundi, & Gregorij primi,& Blondo 8.lib.suarum historiarum, & Paulo Diacono lib. 2.& Petro Messia in vita Mauritij Imperatoris, & in historia dicti sancti. Interdum a Baratro prauam, venenatãq; euaporationē iaculante pestis originē trahit, vt Aetio primo sermone 2. tetrabili cap.94. placuit: idem quoque à latrinis, & à cimiterijs euenire potest; & vt vno verbo multa complectar, ab omnibus rebus putridis, etsi magis ab vna, quàm ab altera, prout maiorem in se retinet putredinem, pestem ortum habere, certissimum est à qua re putri eleuatus vapor aera coinquinare valet, quem cum non attrahere non possimus, tanquam præsentaneum venenum illum carpimus, vt docti in lib.de Theriaca ad Pisonem ca.16.docuit Galenus. fit rursus pestis interdum ab aere diu in aliquo loco incluso, vt tempore Antonini pij, post Christi aduentum 162.euenit, quo tempore validissima fuit pestis, cuius ab Asia fluxere contagia. in Asia vero ab aperta diu clausa vrna originem traxit, quam Imperatoris milites, vt inde aurum raperent, aperuere, à cuius apertione auri loco pestem furati sunt: aer enim adeo prauus, & corruptus inde euaporauit, vt purum, & limpidum fœdare posset, vt ab eo commodum principium pestis haberet: Quæ corruptio, etsi à pauco aere, fieri tamen potuit, cum in crassa lenta ad minima elaborata putrefactione fundata fuisset, vt à limpido, & puro aere corrigi, & ad benignum reduci prauus ille non potuerit: sed econtra

cum magnæ, & venenatæ potentiæ paucus ille aer fuisset, bonum fœdare, & corrũpere valuit; Quæ à Venetiis ĩ Italiã vecta tertiã hominũ partẽ enecauit: hæc Tarcagnotta in prima parte li. 3. & Cardanus li. 2. subtilitatũ: eodemmet modo terremotus pestis causæ esse possunt, diro in profundo latente vapore, q̃ pigritia lõgo situ, & æterna nocte torpescit, ad cuius exitum purus aer vitiatur, sicuti nedum Romæ, sed Italiæ anno 434. euenit; Quo tempore à terremotu multa ædificia in Romano comitatu diruta fuere, & tribus annis sçæuissima dicta loca pestis detinuit. Hæc Liuius lib. 4. Dionisius Alicarnasseus lib. 10. & Tarcagnotta in parte secunda lib. 13. eiusdem voluminis affirmarunt: & anno 160. à Parthenopeo partu adeo validi fuerunt terremotus, vt plurima ædificia diruta iacerẽt, quæ ad millia hominum necauere: in Asia itidem plures euertit ciuitates, & ab apertione terrę adeo magna copia aquæ sallæ scaturijt, vt inde lacus commodè nasceretur: Mare vero sic pertransijt fines suos, vt multas submerserit ciuitates: quo tempore tam valida Romæ fuit pestis, vt vna tantum die ad quinque millia virorum extincti iacerent, authore Pet o Messia in vita Galieni Imperatoris: idem quoque ex apertione putei in cãpania contigit, in quodam Castro Nicolini de Beccaria, à cuius euaporatione infecta, & venenata coinquinatus aer pestis causa esse potuit, authore Guaynerio in tract. proprio cap. primo, fuit adhuc validissima pestis à terremotibus orta anno Domini 132. quæ è decem viris vnum seruatum reliquit, in qua à Diuo Rocho de Mompolieri in infirmis curandis caritas eximia ostensa fuit, & forsan vt Diui nomen acquireret, & super pestem potestatẽ habere putaretur, occasio fuit, authore Platina in vita Gregorij octaui, & Blõdo lib. 17 in lectione dicti sancti: verũ quia dictũ est, aerem putrescere, quomodo putrescat, accuratè videamus.

Putredinem in aere cum corpus simplex sit, an admittere debeamus. Cap. XXVII.



CVM aer corpus simplex sit, propterea an putrescat, dubitationem non paruam habet, præcipuè cum quæ putrescunt, superfluam humiditatem habere necessarium sit: quare cum humiditatem in summo possideat aer, vt 2. de gener. tex. 23. in primarũ

qualitatum partitione docuit Arist. putrescere posse non videtur, cum quæ putrescunt, caliditate extranea, & humiditate superflua putrescere habeant, vt 4. Meteor. notatum fuit: quare cum maiorem, quàm habet, humiditatem habere non possit, nam tunc ipsam in summo non haberet, putredini obnoxium nullo pacto esse, videretur dicendum. Verum ex dictis in capite superiori contrarium sancitum est: Quare dum putrescit aer, propriam simplicitatem non retinere, sed à vaporum permistione infici, & coinquinare, putandum est: Quod Auic. prima, 4. Tract. 4. cap. primo sequentibus verbis declarauit, quandoque accidit aeri, sicut accidit aquæ, de alteratione in qualitatibus suis ad calorem, & frigus: & subdit; & de alteratione in natura sua ad profunditatem, & putredinem, sicut profundatur aqua, & fœtet, & putrefit: & sicut aqua non putrefit propter suam simplicitatem, immo propter illud, quod admiscetur ei, & accidit toti qualitas mala. similiter aer, non putrefit vllo modo propter suam simplicitatem, immo propter illud, quòd admiscetur ei de vaporibus malis, & accidit toti qualitas mala: & paulo inferius subdit; & quandoque faciũt virtutes agentes cœlestes, & virtutes patientes terrestres humectationem vehementem fieri: expelluntur enim vapores, & fumi ad ipsum, & sparguntur in ipso, & putrefaciunt eum cum caliditate debili: & hoc ad primam dubitationem, quæ respicit aeris simplicitatem. Ad secundam vero dicimus, etsi humiditas sit in summo in aere, & adaugeri non possit, hoc tamen intelligendum esse, de humiditate elaborata, & subtili, ex qua aerem cũ caliditate sibi competenti constare, Aristo. docuit: Verum cum eo potest admisceri humiditas vaporosa, turbidaque, quæ ipsum inficere potest, quam Auic. loco supra citato explicauit, dum dixit, pestilentiales vero febres fiunt ex aere turbido, & humido, quæ humiditas turbida a causis in superioribus capitibus notatis gigni potest, hæcque humiditas aeri duobus modis superflua dicitur, & quia ei non competit, cum non sit elaborata, & subtilis, idest in materia pura, simplicique fundata, vt ex ipsa purum, simplexque elementum fieri possit: Vnde posito, quod non addat aliquod in gradu humiditatis, addit tamẽ in gradu corporeitatis, quia densioris corporis efficitur, quam par esse deberet: Alio modo dicitur superflua, quia per putredinem acquisitam maiorem gradum humiditatis retinet: nam humiditas, quæ dicitur esse in summo in aere,

est humiditas naturalis: dicta autem est præternaturalis: vnde humiditate non naturali excedere naturalem dicemus: & hoc quia corpus mixtum, & non simplex tunc temporis aer existit: vapor enim ille non est aer, neque aqua; sed quid ex aere, & aqua compositum, vt bene docuit Alex.pri.Meth.11.quando dixit, quod ex aqua aer commodè ratione symboleitatis efficitur. dictis addidit, vaporem esse medium inter aerem & aquam, quod medium per participationem esse intelligendum est, etsi adhuc dicere possimus maiorem in se dictum vaporem ratione corporeitatis retinere caliditatem, quam sibi deberet: quæ cum humiditate superflua, acquisititia tamen, immediata causa putredinis efficiatur, à qua pestis ortum habere perbelle potest, præter id, quod à putridis vaporibus, qui aeris simplicitatem frangunt, à quacunque re putri eleuatis, aer infici, & venenari potest; similiter & abdito, cæcoque quodam modo vi superum ita coinquinari potest, vt deleterius efficiatur: ex quibus colligere est, aerem putrescere, quando simplicitatem, puritatemque suam non retinet; sed aliud ipsi corpus vaporosum, turbidum, nec non & putridum admiscetur: vnde quandoque in tota substantia propter dictam vaporum mixtionem, aliquando vero in qualitatibus immutatur, vt de mēte Auicennæ notatum fuit: Quę mutatio in qualitatibus duplex est, vel enim manifestæ sunt qualitates, & materiales, vt calidum, humidum, & reliquæ; vel occultæ, & hæ qualitates spirituales appellantur, quę vi superum in aera delapsę in ipso necis seminaria imprimunt. Quod Galenus primo de diff. feb.cap 4. sic inquiens significauit. supponatur igitur in ambiente quidem aere non nulla pestilentiæ seminaria contineri, quæ dubio procul nihil aliud sunt, quàm contagium ipsum: nam sicut semen sibi similem generādi facultatē habet, ita & contagiū, quòd vel per simplicē cōtactū, vel per fomitē, aut sit ad distans, alterum inficere valet, infectione in particulis clam facta, quā ipsum à corpore putri, uel corporū cœlestiū vi, prius acquisiuit. An autē dicta rerū seminaria, & contagiū similes tm̄ inficere habeāt, an ad alios etiam se transferant; respondendum putamus, quod primo ad simile, si ei occurrerit, sin minus aliis etiam non omnino similibus inpartiantur. diximus autem non omnino similibus, quia si in vno non aderit similitudo, in altero similis reperietur: hinc indiscriminatim senes inficiunt infantes, & econtra, vt nec varietas sexuum, aut naturarum,

rum, vel graduum tutos mortales, quin alter ab altero inficiatur, reddere potest: etsi consonum rationi sit, quod magis, & facilius in analogis contagio imprimatur, quàm in his, cum quibus paruam, aut nullam analogiam habet: verum ab homine ad hominē semper non tantum similitudo, sed identitas ad minus specifica reperitur, propter quam omnes homines sunt vnus homo. Habet itaque homo communicationem cum homine, non solum in materia, sed etiam in forma: vnde non confidat, qui sanguineæ complexionis est, cum morbido contrariæ complexionis versari: nam ratione alterius analogiæ, etsi non ratione temperaturæ, ab eo infici poterit. seminatium enim illud tantę est potentię propter conditiones in cap. de contagio recitatas, vt ab vno uiuentium in alterum sexu, temperatura, ętate, exercitio, & victu dissimilem, tantum miserabili effectu cognitum, trasfundatur: & hoc certè ratione, cum non tantum corpus inficiens, sed aer prius venenans, & homicida concurrat. quam veritatem docuit Hippocrates 2. de nat. hum. num. xviij. Nunc de vnguentis pestiferis agere, tanquàm de extrinsecis pestis causis locus esset, cum ab ipsis nedum particulares homines, sed consecutionis ordine ciuitates, & regna infici possint, præcipuè cum verissimum sit, vt à fide dignis habui mus, dicto modo pestē feri posse, & nos de his aliqualē habemus cognitionem: Ne tamen animæ demoniacæ eis vtendi aditus aperiatur, silentio præterire decreuimus, satisque sit, dicta vnguenta posse fieri affirmasse. Modo de causis intrinsecis pestis agamus. Vnguenta Pestifera arte fiut

Causæ intrinsecæ pestis examinantur. Cap. XXVIII.



QVOD supra, dum de causarum partitione egimus, modo memoria repetere, operępretium erit. pestis nempe causas duorum generum esse, extrinsecum vnum, intrinsecum alterum, de extrinsecis tanquam de vniuersalibus vsquemodo pertractatum est, in præsentiarum remanet, vt de intrinsecis causis agamus. Quæ sunt humores, vel spiritus in sinibus cordis contenti, aut corpus ipsum visceris primo excedenti putredine infecti, à qua fe-

bris pestilens generatur. Hæc autem antecedentes, & extrinsecas causas habent, vt prauos cibos, & potus, quemadmodum 2. de nat. humana tex. 3. docuit Hippocrates: quod confirmauit Galenus in argumento primi in primum. de morb. vulg. fere ad principium, quo in loco tres posuit causas communium morborum, primam in his, quæ offeruntur, secundum in operibus, tertiam in ambiente nos aere, etsi in tex. mox citato 2. de nat. huma posuerit humores putridos excedenti putredine causari ab eduliis, & potibus prauis, sub exemplo semiputris tritici, & aquæ vitiatæ. Verum non tantum ab his, sed à lauacris, exercitationibus, ocio, vigiliis, mœrore, ira, perfrigeratione, atque exustione generari posse asseruit, ex quibus omnibus præter modum adhibitis, tantam humores in corpore nostro existentes possunt acquirere putredinem, vt veneni cum vires, tum qualitates æquent, vt ab eodem Galeno 6. de loc. affect. cap. v. clarè habetur sub exemplo canis rabidi, cuius spuma alioquin salutaris, ab acquisita tamen venenata qualitate contagionis seminaria in se includens, hominē pernecare, nec non & ille alios inficere potest: Quandoque etiā ab ingenti penuria pestis causatur, vti anno 363. accidit. propter nimiam enim siccitatem, quæ illis temporibus fuit, cum multis mensibus non pluisset, valida penuria, & inde pestis rabida exorta fuit, authore Sozomeno lib. 6. Neque hoc mirum: nam cum conuenientia cibaria mortales non habeant, prauis, & bestialibus nutriri coacti sunt, a quibus humores geniti, præter id quod facillimè corrumpuntur, tantam possunt acquirere putredinem & in contentis a corde, vel in corpore ipsius residere, vt inde oriri pestis commode possit, vt primo de succorum bonitate, & vitio ad principium, nec non primo de diff. febr. cap. 3. & 4. docuit Galenus. Vsus quoque rerum ebullitioni paratarum, vt cepæ, vt ascaloniæ, pulticulæ, carnes pingues pręsertim porcinę, butirosa omnia, vina dulcia, fructus, qui natura putredini obnoxij sunt, cum humiditate plurima polleant, pestem procreare possunt, vt Rasis lib. 4. ca. xxv. clare monstrauit, quam opinionem Auenzoar lib. 3. Tract. 3. cap. 4. confirmauit. In omnibus autem concurrit aer, qui etsi putridus non sit, putrediuem tamen, & ebullitionem excitare potest, vt primo de diff. febr. loco citato conscripta oratione docuit Galenus. fit enim & aliquādo pestis ob eos, qui sunt in corpore, humores, ad putrescendum paratos; & subdit cum

aliquam

aliquam breuem occasionem ad febris originem ab ambiente acceperit animal. Vbi notandum, quod falluntur cum Antonio ab altomari (pace tanti viri dictum sit) omnes tenentes, quod febris pestilens ab aere putrido semper causetur. nam sic tantum vna, & non geminata causa daretur febris pestilentis; at contrarium docuit Galenus primo. de diff. febr. cap. proprio, nec dixisset, cum breuem aliquam occasionem ad febris originem ab ambiente acceperit animal. non enim sic breuis esset occasio, sed tota, & omnis occasio, & vis sola aeris, si tantum ab eo putrido, vel coinquinato originem pestis haberet: sed potius voluit nobis significare, humores ad putredinem paratos, indigere impulsore aere, vt in eis ebullitio fiat, & febris accendatur; etsi aer putridus, & venenata aliqua qualitate coinquinatus non sit, sed aliquam excedentem qualitatem in se retineat. Rursus loco supra citato non dixisset, in pestilenti aeris statu inspiratio plurimum causa est. nã sic semper, & non plurimum causa esset, si tantum à coinquinato aere pestis fieret. quod paulo inferius ex dictis Thucididis sequẽti oratione confirmauit: Contingit autem quandoque præcedere aeris ambientis caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quæ Athenienses inuasit, vt Thucidides inquit, sed in tuguriis suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabãt: & quia humores corporum ex victus prauitate putredini erant obnoxij, hinc febribus pestilentibus origo data est. Quibus omnibus authoritatibus Antonius Abaltomari conatur satisfacere, verum an eis integre satisfaciat accurate legentes ex eius verbis facillimè intelligent. Ex dictis colligitur, pestem ab humoribus putredini paratis, calidiore concurrente aere, etsi non corrupto, aut venenata qualitate prædito, aliquando fieri posse; vt in pestilentia, quæ anno 68. à Christo nato Romæ contigit, quæ ab aere corrupto minimè facta fuit, authore Cornelio Tacito lib. 16. suæ historiæ, & Tarcagnotta in parte secunda, vti quę Anno 1576. & 1577. in varijs Italiæ partibus grassata est, & adhuc grassatur, spectare licet: quæ per simplex contagium, præter id quod aer aliqua putrida, aut venenata qualitate, concurrerit, principium habuit, & incrementum. Sed circa dicta non parua oritur dubitatio, an scilicet morbi & maligni, & vt plurimum interimentes, qui ab humorum non vulgari corruptelæ proueniunt, epidemij appellari possint, & debeant. non enim

defue-

Calor ambiens immodic. est causa Pestis aliq̃do etiã si non fuerit corrupt. Aer

desuerunt viri peritissimi, qui non epidemiam, sed pandemiam perniciosam dixerunt: Nos autem, qui secundum varias pestis causas nomina inquirere superfluum putamus, hoc vel maximè, quia quæcunque causa sit, absque ambiente aere agere, & vniuersalis effici non potest, vt Galenus in proœmio primi in prim. de morb. vulg. in morborum partitione, sic inquiens declarauit. horũ perniciosissimi quique pestilẽtes vocantur, qui perinde ac totum vulgarium morborum genus ex Cœli statu proficiscitur, quo concurrente, vel coinquinato, vel non, epidemia effici & vocari potest, absque eo, quod cœlum suo influxu concurrat, vt in exemplo. quid habet cœlum cum pestilentia quæ à baratro ab inhumatis corporibus, à lacubus, ab aere diu in aliquo loco concluso, & tandem à draconibus (vt in causarum enarratione discurrimus) ortum ducit? Nisi dicere velimus, quod quia cœlum omnia amplectitur, & suo incessabili, & vario motu omnia generat, & omnia corrumpit, vt omnium sublunarium, & epidimię tam perniciosæ, quàm non pernitiosæ, causam ad minus mediatam, & vniuersalissimam admittamus: verum nos causas proprias quærimus, vt ipsas amputare valeamus, secundum quarum variationẽ ad mentem istorum varia nomina ponere necessarium esset: quare non pandemiam, sed pernitiosam epidemiam, & inde pestem, illam, quæ à nõ vulgari humorum putredine oritur, appellamus; quorum etsi variæ assignantur causæ, illud tamen memorabile, & tremendum non dimittam, quod Auenzoar lib. 3. tract. 3. cap. 4. recitat, sub illis verbis, & vidi similiter in quadam ciuitate, quę nominatur Mazarus, homines, qui propter intensam famem quærebant, & frangebant ossa antiqua, & vetusta cadauerum, comedebant medullas ipsorum, & subito moriebantur. Verum à reliquis cibarijs qui venenatam naturam non possident sine impulsore aere, vt supra ex Galeni decreto probatum est, dicti humores putredinem non vulgarem acquirere, & morbus pluribus fieri communis nequaquam potest; à quibus humoribus pestilentia genita non pandemiam perniciosam, vt dictum est, sed epidimiam perniciosam proculdubio dicere debemus. & quia supra popularis morbus est, cum aer impulsor concurrat, & supra populum ipsum interimens grassetur: Quod Galenus loco supracitato in argumento primi in primum de morbis vulgaribus conscripta oratione enodauit: Hoc nomen epydimiõ, idest publicè grasians, nos

vul-

vulgare semper appellamus, ac si in vulgus inuolans diceremus. idem 3. epidimiorum sect. 3. com. 20. confirmauit: Relinquo modo, quod eadem curatio & huic, & quæ influxu syderum venit, debetur, etiam quod ambo à diuersissimis causis oriantur. quam veritatem adhuc arctius inquiramus. Si cœlum pestilẽtiæ causam suo influxu putamus, dictum influxum agere, sine eo, quod humores putrescant, & vna temperies soluatur, dicendum non est. quo pro veritatis tuitione supposito, tam pro præcautione ab ea, quàm pro eius fuga, & remotione dictos putridos humores, vel putrescendos remouere, necessariũ erit: hoc autem venæ sectione, pharmacia, & cæteris, vt 2. & 3. lib. melius apparebit ex decreto Galeni, & Auicennæ potissimum expletur. Cum itaque à quacunque causa pestis proueniat, eadem, aut parum variata curatio conueniat, de nominibus disputare vanum & incongruum putamus: Quæ epidemia ab alterato, & immutato, sed non coinquinato aere proueniens nullo pacto endimia dici potest, cum quandoque sit, & aliquando non, & non tantũ in una regione, sed in pluribus morbus consimilis grassetur; endemius vero, vernaculus, & familiaris appellatus in vna tantum regione, & ab eadem causa semper oriatur: quæ itaque ab humorum corruptela, concurrente alterato, & in qualitatibus mutato, sed non coinquinato aere pestis fit, non pandemia, non endimia, sed perniciosa epidemia, & consecutionis ordine pestis appelletur. Modo de signis dicamus.

Varia pestis signa examinantur, & primo quæ ipsam præcedunt, explicantur. Cap. XXIX.



IGNA pestis inter se valde differunt: non nulla enim ipsam præcedunt, alia vero pestem comitantur, & ipsam præsentem ostendunt. Primo de his, quæ ipsam præcedunt, disseramus, quę maximè varia inter se existũt. nonnulla enim sunt è sublimi, alia ex inferioribus. e sublimi, & supernæ sunt apparitiones ignitæ, capræ saltantes, faices, cometæ, varij soles, necnon & insuetæ stellæ quãdoque solæ, aliquando vero cum aliis associatæ, signa pestem prædicentia esse possunt. Vnde Lucanus dicta signa sequentibus carminibus cecinit,

Ignota

Ignota obſcuræ viderunt ſydera noctes
Ardentemq; polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque tremendi
Syderis, & terris minitantem regna Comete.

Syderum quoque quædam coniunctiones, & aſpectus, præcedentia ſigna dicuntur, vti ſolis, & lunæ eclipſes, quæ omnia & cauſæ, & ſigna appellantur, & exiſtunt, vt in enumeratione cauſarum latè longeque monſtrauimus; & hæc e ſublimi. Inferiora vero ſigna varia numerantur: nonnulla enim ſunt ab aere, alia ab aqua, tertia a terra, quarta à corporibus. ab aere ſigna erunt. ſi proprias temperaturas ſecundum diuerſa tempora, & anni conſtitutiones, non ſeruat; hoc vel maximè, ſi caliginoſus, nebuloſuſq; cum pauca pluuia fuerit, vel ſi pluuiæ erunt diuturnæ, auſterque & ſubſolanus ſint Domini anni, nec non ſi æſtas æſtuoſa fuerit, cæteris cōcurrentibus, vt de peſte ex Thucidide loco ſupracitato in primo de diff febr. docuit Galenus. Inſuper ſi in nocte frigus, in die vero validus calor ſentiatur, & in ſumma ſi tempora proprias temperaturas non ſeruant, ſemper morbos pariunt, aut peſtilentes, ſecundum varias cum temporum; tum corporum diſpoſitiones, iuxta dictum Hippocratis, mutationes temporum potiſſimum cauſant morbum 3. aphor. primo. His adde ſi eadem die modo calor, & modo frigus, quod morbos autumnales expectare oportet; Qui morbi in vniuerſum acutiſſimi, & pernitioſiſſimi exiſtunt, vt 3. aphor. 9. qui & peſtilentes fient, ſi humores in corpore putredini erūt valde parati, vt ſupra ex Thucidide notatū fuit. ſignum manifeſtiſſimum aeris corrupti inter cætera erit, ſi aues derelinquentes oua in nidis ad alias regiones confugerint, ita vt in illis regionibus non videantur. Ab aqua vero ſigna erunt, ſi animalia, quæ in aqua ex putredine ortum habent, præter conſuetū, in ea, in maiori copia generabuntur: Rurſus ſi animalia, quæ promiſcue in aqua, & in terra vitam degunt, ab aqua exeuntes, in eam amplius non redeant, hoc vel maximè ſi in ea permanere conſueuerint, vt anates, & ſimilia. Inſuper ſi piſces, dum ab aqua remouentur, ſtatim putreſcunt, vel in ea cōmorantes intereunt, quod in lacuſtribus locis maximopere euenire conſueuerit.

A' terra ſigna erunt Aetij etiam lib. primo, 2. tetrabili cap. 95. teſtimonio, ſi quadrupedum corruptio primo continget: rurſus ſi animalia terreſtria, quæ per putredinem gignuntur, quibus terra

impura,

impura, est mater, pater vero est Sol, præter ordinem & modũ, in maiori copia generabuntur, vt ranæ, locustæ, muscæ variorum generum, mures, & reptilia, vt dixit Princeps cap. supra citato: quæ animalia à facie terræ aufugient, & loca propria, & forsan oua derelinquent: terremotus quoque pestem à terra pronunciãt: fructus quoque si putredinosi sunt, aut facilè putrescibiles, & in parua quantitate, terram esse morbificam ostendunt; etsi non minus aerem vitiatum demonstrent, tunc quod per Prophetam Psalmo 58. dictum est, continget, & dedit ærugini fructus eorum. & reliqua.

A corporibus pestis nunciatur per accidẽtia, quæ in dictis corporibus reperiuntur, vt si à variolis, & morbillis dicta corpora erunt correpta, præcipuè si hæc non tantum paruulos, sed adultiores, & senes occupauerint, hoc vel maximè si prauę, scæuæq; naturæ fuerint, ita vt plures interimãt: similiter si anthraces, & Carbunculi dictos detinuerint: præterea si mulieres vtero gerentes leui ex causa abortierint: insuper si animalia, quæ ex putredine gigni solent, post pluuiam generabuntur, vt ranæ, mures, vermes, & similia. Hic notandum, quod dicta signa tam cœlestia, quàm ex inferioribus, dum apparent, futuram pestem statim sæpe sæpius nõ prædicunt; sed signa, quæ in vere contingunt, autumni pestem aliquando prænunciant; vt quæ in autumno, æstatis pestem præmonstrant: quæ tanto citius, aut tardius succedet, quanto generantes causæ erunt validiores. Modo de signis præsentis pestis agamus.

signa futuræ pestis quo tempore praecedant

De signis pestem præsentem ostendentibus. Cap. XXX.



IGNA pestem præcedentia capite superiori descripsimus. modo quæ præsentem perniciem ostendunt, de his disseramus: varia enim, & in non pauco numero exiſtũt: quare maxima cum animaduersione notanda erunt, quę ex Auic. Galeno, & Hippocrate colligemus. Et vt melius, clariusve rem hãc intelligamus, in duo partiri signa decreuimus, nempe in ea, quæ ex diffinitione morbi contingunt: & in ea, quæ ex parte symptomatum oriuntur:

tur: ex pestis definitione hoc præcipuum habetur, vt non solum aliquos paucos perdat, sed ciuitates totas depascat. cum igitur in vna, vel pluribus ciuitatibus huiusmodi erit constitutio, tunc præsentis pestis certissimum signum erit, vt 3. epidemiorum 21. tex. sub his verbis docuit Hippocrates, Morborum dictorum specie complures ægrotabant, & moriebantur: Quæ verba sic Galenus exposuit, complures ægrotabant, & moriebantur, pestilentes fuisse morbos, qui populariter grassabantur, demonstrauit: quod 2. de nat. hum. 3. & 4. cõfirmauit. his adde, quòd Princeps prima. 4. tract. 4. cap. proprio dixit, quod hæc febris est quieta exterius conturbans interius, ex qua percipitur caliditas intensa, & inflãmatio fortis: Quod antea Galenus 6. de morb. vulg. sect. prima, cap. 29. descripserat, dum febrium differentias à calore venatus fuit: hanc enim mitem exterius, & vrentem interius nominauit. quam veritatem 9. de simpl. medicina. cap. de bolo armeno confirmauit, & Lucretius lib. 6. his carminibus cecinit.

Hæc nimio cuiquam posses ardore tueri
Corporis in summo, summam feruescere partem.
Sed potius tepidum manibus præponere tactum.

& paulo inferius subdit,

Intima pars homini vero flagrabat ad ossa
Flagrabat stomacho flamma, vt fornacibus intus.

Sed hoc vt plurimum, quia potest bene stare, vt & intus, & extra æstuent patientes secundum materiæ diuersitatem, & secundum quòd maiorem, aut minorem locum occupat putredo. Verum non tantum dicta signa, sed alia etiam tremenda accidentia à Thucidide lib. 2. non pauca cum diligentia pertractata fuere: & hæc erunt signa ex parte symptomatum, quæ febrem hanc consequuntur, vt in partitione supra docuimus. Quare præter febrẽ intus vrentem adest capitis dolor, interdum grauitas, modo adsunt vigiliæ molestæ, modo somnolentiæ & sopores, interdum memoriæ abolitio, aliquando lippitudines, quas flammantes oculi pcedũt, auriũ tinnitus auditusq; grauitates, horrores, spasmi, stillę sang. è naribus, lingua arida, nigra, sitis inexhausta, vt aliquando in puteos se immiserint ægrotantes, vnde Lucretius.

In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in vndas:
Multi præcipites limphis putealibus alte

Inci-

Inciderant, ipso venientes ore patente,
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.

Pustulæ quoque in ore oriuntur, vocis vitium, tusses præcipue siue anhelitus magnitudo, frequentia, fœtor, pulsus vt plurimũ frequentes, parui, in nocte magis vehementes, inæquales, celeres, languidi, & interdum deficientes; inappetentię validę, vomitus varij, singultus etiam aliquando eos fatigat: vnde Lucretius.

Singultusque frequens noctem persæpe, diemque
Corripere assidue neruos, & membra coarctans
Dissoluebat eos defessos ante fatigans.

Hypochondriorum præterea tensiones vehementes, & præsertim sinistri. & quandoque accidit eis dispositio hydropis, fluxus omnium generum cum doloribus, & malignis intestinorum vol uulis; egestiones enim sunt acres, crudę, tenues, fœtidæ, liuidæ, sanguineæ, nigræ, multæ, liquationem pręseferentes, vt plurimũ male iudicantes, vt 3. epid. sect. 3. ad principium & procedendo docuit Hippocrates. Tumores præterea maligni, modo post aures, modo sub axillis, & interdum in inguinibus contingunt, prout cerebrum, cor, aut hepar laborant. Vesicæ insuper ulcera aliquando contingunt, nec non & vrinæ difficultates, quæ interdum sunt rubeæ satis, interdum confusæ, liuidæ, nigræ, turbidæ, & non raro etiam multæ, crudæ, acres, graueolentes, liquationem multoties ostendentes, nihil boni deponentes, furfuracea pro coctione habentes: sudores præterea non vniuersales, sed potissimum circa caput, collum, & pectus, frigidi, fœtidi, morbum non alleuiantes, nec die iuridico, aliquando etiam diaforetici & ad interitum termin antes, efflorescentiæ diuersæ, quas pabulas vocant, non solum in colore, sed in figura, & in magnitudine distantes: phagedenæ, carbunculi, herpetes magni modo in pudendis, modo in aliis partibus: extremitates quoque frigidæ. quæ omnia ita diuersa contingunt propter materię diuersitatem, virtutis fortitudinem, & debilitatem, nec non membrorum maiorem, aut minorem resistentiam: Materia enim vel subtilior est, vel crassior; rursus aut est acrior, aut benignior. hoc autem vel à natura, vel quia maiorem possidet adustionem: hinc quoque varius eius raptus ad varias partes, vt ad caput, ad oculos, ad aures ad nares, ad os, ad neruos, ad pulmonem, ad stomachum, ad hy-

pochondria

pochondria, ad intestina, ad vesicam, ad cutim, per vniuersum corpus; & ita quandoque vnum, aliquando plura istorum apparent, prout materiã magis ad vnum, quam ad alterum locum trudi contigerit: vel in loco manens malo modo fuerit agitata. propterea loco citato dixit Hippocrates quod tales ægritudines vel non iudicant, vel ægrè: Crises enim in pestilentibus ut plurimum sunt malæ, & propterea peste laborantes ut plurimum intereunt, vt 2. Aphor. 13. com. affirmauit Galenus & hæc in putrida humorali pestilente: at in pestilenti Hectica putrida tamen, ex Gal. 3. de præsagiis ex pulsibus cap. 3. & 4. signa sunt hæc, quod ab ęgro febres non sunt perceptibiles, pulsus quoque propter aliqua frigida contra cordis caliditatem cooperantia (& non vt aliqui dicunt, quod contingit hoc, quando magis est venenum, quam putredo, cum à putredine in casu venenum oriatur) sunt similes sanorum pulsibus, quod potest etiam prouenire propter materiæ torporem, & difficulter incendibilem, vel quia corpus, quod incenditur, durum est, & densum, & ab extimis partibus remotum, vt est cor. vrina in dicta febre aquosa & tenuis reperitur, etsi interdum in colore, & contentis similis sit sanorum vrinis: hoc autem euenit, quia nocumentum non est in hepate, & venis. Vnde naturalibus bene se habentibus valide cor pati potest; etsi tractu temporis dicta membra in consortium trahantur. sitiunt isti, & supra modum frigida postulant. luctuosa quoque habent suspiria: cor enim ipsum laborat. tandem facies eis Hippocratica euadit, resupinique iacent. Quæ Lucretius sequentibus caminibus delineauit.

quare in Hectica Pestilenti Pulsus, et Vrina sit similis sanorum

Item ad supremum denique tempus.
Compressæ nares nisi primoris acumen,
Tenue cauati, oculi caua tempora, frigida pellis,
Duraque in ore iacens rectum frons tenta meabat,
Nec nimio rigida prostrati morte iacebant.

Inter cætera enumerata signa quatuor potissimum propria dicentur. primum quòd sit contagiosa febris vt plurimum ægrotãtes perdat; Bubonesque, & carbunculi appareant; & quod omnia accidentia præter id, quod conformia vt plurimum sunt, & consimilia, excellẽtiori quodammodo in hac febre, quàm in aliis reperiantur; cũ omnib. vel vt plurimũ par ad interitũ sit exitus. Modo quo tpe pestis magis mortales inuadere soleat; videamus.

Quo

Quo tempore magis mortales pestis inuadat. Cap. XXXI.



QVOD autem tempus ad pestem suscipiendum magis congruum sit, ut ab ea commodius præcaueri corpora possint; inquirendum duximus. Quod Valescus de Taranta finem æstatis, & autumni principiũ esse dixit. quam sententiam Princeps secunda, primo doct. 2. cap. 9. sequentibus verbis confirmauit, pestilentia autem & aeris putrefactio secundum plurimum in postremo Aestatis, & in Autũno euenit: idem dixit Rasis 4. ad Almansorem ca. 25. sic inquiẽs, pestilentia plerunque in fine æstatis, & autumno accidere solet. vbi futuræ pestis, in dicto tempore signa ita subdens recenset. Quapropter si in æstate multæ venerint pluuiæ, nubes quoque, & pluuiarum multitudo nocte & die permanserint, & meridionales venti multi perflauerint, & aer ita quietus sit, ut non moueatur, & cum hoc meridionalis ventus turbidus existat, tunc suspicandam credimus pestem: Hipp. quoque hanc ueritatẽ 3. aphor. 9. sequenti oratione confirmauit, autumno in vniuersum morbi acutissimi, & pernitiosissimi, ver autem saluberrimum, & minime exitiosum. Quæ verba ita Galenus explanauit, Cum anni tempora singula suam, & conuenientem seruant temperaturam; inter ea ver est saluberrimum: & reddens rationem dicti, subdit, vt pote quod eucratum, & moderatum existat: morbos autem acutissimos, & pernitiosissimos autumnus affert, siquidem ver magnã cœli temperiem apportat, autumno vero hoc in primis mali inest, quod eadem die modo calor, & modo frigus dominatur, vt 3. aphor. 4. habetur, prȩter id, quòd in æstate humores adusti plurimi generantur, propter quam acriorem acquirunt qualitatem, vnde magis malefici euadunt: Adde quòd mortalium vires propter efflationes, & insensibiles resolutiones sensim contingentes debiles redduntur. insuper humores, qui ad cutim mouebantur, eiusdemque præspiratu, vt dictum est, digerebantur, in autumno ab ambientis frigore quasi per antiperistasim intro, & in profundũ pellantur, & cogãtur. dictis adde ꝙ fructus, in maiori copia eo tempore reperiũtur: vnde eodem citato loco dixit Galenus quòd auctarii vice poma accedunt, quibus abundè repleti, & his prȩ-

cipuè qui corruptibiliores natura existunt, facilè malorum & pu trescibilium humorum copia colligitur, vt inde cæteris concurrentibus pestis commodum possit habere initium. Notandum tamen est, quòd etsi morbi alij ad alia tempora facilius, difficilius ve generantur, & soluuntur, vt 3. aphor. 3. docuit Hipp. & dictus morbus magis in Autumno propter causas dictas aptus sit fieri, non est propterea quin etiam in alijs temporibus gigni possit, hoc præcipuè confirmante Hippocrate 3. aphor. 19. dum ait, in omnibus temporibus fiunt omnes morbi, etsi magis in vno, quàm in alio tempore commodius fiant, vt 3. aphor. 20. 21. 22. & 23. aphorismis idem met docuit Hippocr. at pestis propter temporum inconstantiam, propter adustos humores æstate genitos, propter corporum imbecillitatem a resolutionibus habitis, & ab eorundē corporum angustationem, materię concentrationem, & superfluorum prohibitam resolutionem, similiter & ob fructuum largam comestionem, facilè febribus pestilentibus dicta corpora obnoxia eo tempore redduntur: quam veritatem Virgilius in Georgicis sequentibus carminibus confirmauit.

Hic quidem morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoq; autumni incanduit æstu
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
Corruptique lacus, infecit pabula tabo.

Ob.: Verum ex dictis oritur dubitatio, nam supra cap. 26. caliditatem & humiditatem ex Arist. Hippocr. Gal. & aliorum decreto, putredinis causas decreuimus; & in Medicina axioma est, quod contrariorum contraria remedia sunt: cum autem autumnus frigidus, & siccus 3. aphor. com. 10. à Galeno, & primo de nat. hum. 35. ab Hippocrate constituatur, remanet dicendum, autumnum maxime omnium anni temporum saluberrimum esse, cum dictæ qualitates hæ solæ sint, quæ putredini obsistere possunt. Cui obie-Sol.: ctioni sic satisfactum volumus, quod ratio esset vera, si autumnus à frigiditate, & siccitate tantum constitueretur: at res alio modo se habet: loco enim citato 3. aphor. Galenus non solum dixit autumnum frigidum & siccum esse, sed ipsum inæqualem nominauit. quam sententiam primo de temperamentis cap. 4. sic inquiēs confirmauit, non rectè autumnus frigidus & siccus dicitur. & red dens rationem, subdit, quod si per se spectetur, non est frigidus vt hyems; at æstate frigidior existit, vti ab eadem in siccitate supe

ratur:

ratur : nec ut ver est temperatum , sed intemperantia valida adeo pollet, vt per ipsam morbificus reddatur; meridie enim multo est calidior, quàm mane, & vesperi . his alias prauas conditiones adde, quæ ipsum pernitiosissimum reddũt, vt pororum angustatio, corporum ob resolutiones imbecillitas, & cætera supra notata ; quæ omnia vt pestis eo tẽpore insurgat, & validius mortales insi cere possit, in causa existunt. Modo quæ corpora pestem magis vereri debent, inquiramus.

Quæ corpora, & quæ ætates pestem magis timere debeant. Cap. XXXII.



VONIAM non solum tempus & agens, sed corporum dispositio maxime requiritur, vt in eis aliqua actio, & passio fiat, vt docte primo de diff. febr. cap. 4. sequentibus verbis docuit Gal. oportet, enim hoc ĩ toto sermone memoria repetere, quod nulla causarum sine patientis dispositione agere potest, alioquin omnes, qui sub æstiuo sole commorarentur, & ab alijs communibus causis incalescentibus incalescerent, febricitarent: item in pestilentibus æque morerẽtur . Vnde notandum, quod non tantum dicta dispositio requiritur, vt actio ab agente in passum imprimatur; sed alia quoque concurrunt, quæ in totum quatuor sunt, agẽtis nempe fortitudo, passi dispositio, contactus , & mora . requiritur primo fortitudo, quoniam ab agente minoris inæqualitatis non prouenit actio. hinc parua scintilla magnum lignum comburere non potest; cui passi dispositio accedit . nam vt primo physicorum habetur, non quilibet agit in quodlibet, sed determinatum in suum determinatum. vnde prima problematum septimo, & 2. de anima, actus actiuorum fiunt in patiente bene disposito , & Auic. prima 4. dixit, cum agens passo approximatur, patiente non existente bene disposito , actio & passio non sequitur: Magnes enim non attrahit ferrum , vel allio linitum , vel rubiginosum, quia factum est indispositum: vnde Arist. primo, de generat. & corrupt. tex. Com. 48. & 49. dixit, passionem esse , & fieri ratione similitudinis . requiritur tertio contactus . quomodo enim ignis calefacere aliquem poterit, si eius caliditas ad ipsum non perue-

uenit: vltimo mora conueniens necessaria est, nã si in magno igne stipulam posueris, & eam statim remouebis, nullo pacto combure tur, quæ alioqui à paruo etiam igne debita contracta mora ex ar descet. Ex quibus patet, quod cum pestis effectus quidam sit, vt in passo imprimatur, & ab ea actio in passum sequatur, dicta quatuor concurrere debent. Modo quæ corpora aptiora sint pestem pati dicamus. Quæ notitia, vt Galeno primo, de diff. febr. & Auic. prima, 4. placuit, ex duobus habenda erit, nempe ex parte temperaturæ vel ex parte generis vitæ. ex parte temperaturæ vel naturalis, vel acquisititiæ, quæ calida, & humida est quæcunque sit illa; rursus si huiusmodi corpora sunt latorum pororum, vel à natura, vel ob alias causas, etsi & quæ poros densos habent, & præ ter hæc obstructiones patiuntur, facilè peste tentantur. nam pluri bus superfluitatibus dicta corpora abundare rationabile est, vt à putredinoso attracto aere, aut in qualitatibus immoderato, à prima respiratione affici, & infici possint, & plurimum sensim in ma lo procedere. Cæterum quia à nobis dictum est, quod corpora la torum pororum magis pesti parata sunt, & rursus quod corpora arctos poros habentia pestem magis timere debent. Vt hæc apparens contradictio diluatur, notandum, quod pestis, vt supra, dum de causis agebamus, statuimus; duas primarias habet causas, quarum vnam externam, internam alteram diximus. externam causam aerem inficientem posuimus, internam vero humores ita putrescentes, vt veneni cum vires, tum qualitates æquarent. hinc dicimus, quod latorum pororũ corpora à causa externa magis infici habilia sunt, econtra vero si causa erit interna; causa enim externa aer facilius per corpora latos poros habentia, quàm per ea, quæ densioris cutis sunt, penetrare poterit, & ita citius, ac facilius ea occupabit, & venenabit: quòd Galenus primo, de diff. febr. cap. proprio ad principium, dum de calidiori aere circa canis ortum verba habuit, sequenti oratione demonstrauit, Corporis autem extrinsecus circumfusi totum ipsum calidius efficiunt; & præsertim arterias, vt quæ substantiæ aeris ambientis aliquid trahant, ex quibus cor affici est necessarium: secus autem his accidet, qui densos, & arctos poros habent, quæ tamen à corruptis intus humoribus, venenatam naturam possidentibus, magis infici poterunt: cum vnde natura per insensibilem, quam dicunt, transpirationem, ipsam iam in halitum redactam, resoluere, & dissipare

non

non habeat; quare ab eius retentione pestis oriri perbelle poterit. & si possumus dicere, & rectè, quod densitas pororum non naturalis tamen, sed ab humoribus superfluis poros replentibus genita, magis ac maximè corpora pestilentię obnoxia reddat, à quacunque causa pestis originem ducat. corpora præterea laxa satis, vel à natura, aut quia balneis frequenter utuntur, & victu humidiore viuunt, vitamque otiosam ducunt, maximè si in ebrietatibus, & sempiternis crapulis degunt, & rei venereæ immoderatus intempestiuusque eis est vsus, fieri non potest, vt multis superfluitatibus non abundent, vt inde facillimè peste corripiantur. Mulieres quoque, & præcipuè prægnantes à peste ocius inficiuntur: hoc enim quia natura humidiores sunt, cum vitam vmbratilem ducant, præcipue si inconstantes sunt, euenire credimus, & eo maximè si prægnantes sunt, vt diximus, vt quæ prauis humoribus sint refertæ, & non ut aliqui dicunt, quia retenta sunt mēstrua: non enim retenta dicuntur, cum habere non debeant, sed potius ab excrementis à fœtu genitis, & à prauis edulijs, & potibus acquisitis, quia varia, & insueta, ac plurimum praua appetere consueuerunt à quibus multas superfluitates eas colligere, certissimum est: hinc humidiores ad minus per accidens fiunt: quod copiosa in puerperio euacuatio planè ostendit. Enixæ quoque, necnon puellæ, & paruuli in quibusdam pestilentibus constitutionibus peste tenentur, & vt plurimum pereunt, vt anno ante Domini Aduentum. 510. contigit, authore Dionisio Alicarnasseo lib. 4. & Liuio lib. 2. quod ratione humiditatis superfluæ euenire putandum est, propter quam causam virgines nubiles, & pueri maxime peste corripiuntur; & vt vnico verbo multa complectar, calidæ humidæque temperaturæ in vniuersum plus aliis peste vexantur: Quod Rasis tract. 4. cap. 25. sub exemplo infantium, & corpora grossa habentium clarissimè demonstrauit. hinc senes cum contrariam dictis temperaturam possideant, peste non infici, Plinius libr. 7. cap. 50. cōfirmauit. identidem de his, quæ melancolica sunt, quę superfluitatibus carent, & temperata vita viuunt, quæ obstructionibus libera, moderateque exiccata existunt, dicendum putamus. Quæ autem non patientur, aut pauco adminiculo ad pristinum reducentur, vt Galenus primo de diff. febr. conscripta oratione docuit, quæcunque autem munda sunt, & superfluitatibus carent, non

nulla quidem nihil, nonnulla verò minimum mali ſentire, ita vt facilè ad naturalem habitum habeant regreſſum. Sed tempus eſt, vt quomodo, ſupradicta corpora à peſte præcaueri poſſint, videamus: cum quibus expletus feliciter ſit liber primus. ad laudem indiuiduæ Trinitatis. amen. Modo ſecundum aggrediamur.





ANTONII PORTI FIRMANI PHYSICI DE PESTE

LIBER SECVNDVS.

Quo de ingenijs, quibus Regna, ciuitates, & vnaquæque domus à peste præcaueri possint.

PRÆFATIO.



QVONIAM *duplex est medendi ratio, altera, quæ præseruat, altera quæ obsessos liberat; Nos ab ea quæ præseruare solet, exordiemur. Nam si in omnibus etiam leuioribus morbis verum est dicere, quod melius curat, qui præseruat, quā qui curat; in hoc sęuissimo, & immanissimo morbo, verissimum esse, experimento compertum est. Nulli enim ferè medicamēto cædit, sed indiscriminatim omnes, qui ab eo correpti sunt, plurimū mactat, & perdit: propterea omni ingenio, totisque viribus, quibus modis ab eo præcaueri possimus, accurate satis à nobis erit videndum. At quia non solum pro tanti negotij expletione particularium diligētia, sed Principum vis, & potestas requiritur, hoc vel maxime cum non vnius personæ, aut domus, sed Ciuitatum & Prouinciarum vtilitati intendatur, cum vniuersalissimus Communissimusúe morbus pestis existat: non particulares homines tantum, sed (vt dictum est) Ciuitates & Regna deuastans, prout communiores, & magis particulares*

causas habet. hinc quæ Principibus, & Ciuitatum Rectoribus, spectet primo, Quæve particulares facere expediat, deinceps differemus, à causarum remotione initium auspicantes.

Quomodo pestis per causarum amputationem euitari possit, & quid pro earum remotione Principes & Ciuitatum Rectores agere teneantur. Caput Primum.

Vide infra lib: 3. cap. 2 de Curatione



ON nisi summa cum ratione, vulgatissimum, & verissimum dictum illud proferri solet, Remota causa, remouetur effectus, præcipuę ante effectus productionem. Verum enimuero, quia ad pestis generationem, tria potissimum concurrunt: causæ superiores primo, inferiores secundo, tertio denique corporum dispositio; Ante omnia, vt præseruatio instituatur, dictarum causarum amputatio cum morbificæ causæ sint, omni ingenio molienda erit: Corpora quoque ita erunt paranda, vt ad dictarum prauarum causarum impressionem suscipiendam, idonea non reddantur, & à cœlestibus inchoantes, toto corde, tota, anima totis viribus, ad Deum Gloriosum, à modis creaturarum diuisum, per sacramenta prius expiati, expurgative, confugere debemus: vt qui misericordiarum fons inextinguibilis existit, nec in morientium perditione lætatur, sed magis cupit vt conuertantur, & viuant, enixe ipsum orantes, vt aeris vitia à cœlestibus corporibus abdito modo immissa, eius nutu expurgare emundareve dignetur; eodem met nutu, Angelis imperãs quibus datum est nocere terræ mari & arboribus, vt eis nullo pacto noceant, sed salutarē, (si quis adest) aerem conseruent, & coinquinatum expurgent, vt inde vitam carpere mortales possint, ad quod agendum. 2. paralipomenon cap. 7. post erectum à Salamone templum Domino, sequentibus verbis, Dominus omnipotens nos inuitauit. Si clausero Cœlum & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum deprecatus me fuerit, & quæsierit faciē meã, & egerint pœnitentiam

tiam

tiā à vijs suis pessimis, Ego exaudiā de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. quare tuto ad Dominum confugiamus, cum se exauditurum clamantium preces promittat: sic enim multas pestes extinctas fuisse, in causarum enarratione abunde demonstrauimus. Verum quia Deus Optimus Maximus res quas condidit ita gubernat vt suos cursus peragere sinat, ea propter cum aer non solum abdito modo, sed maifeste etiam vitietur, vel quia in caliditate humiditateque multum excedat, vel quia à latrinis, aut à Baratro, vel ab inhumatis corporibus in prælio interfectis, aut à locustis, & à serpentibus, vti à paludibus, & stagnis, rursus à fodinis, & ab omnibus vt vnico verbo complectar, quæ prauam, venenatamque euaporationem iaculare solent, suscipit nocumentum, etsi etiam quæ ad victum faciunt, multoties mortales inficere potuerint & modo etiam possint, propterea Principes maxima cū diligentia curare debent, vt hæc omnia (quantum fieri potest) arceantur, & tollantur, aeris turbulentiam excedentemque humiditatem, vt ex Hippocratis statuto, Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem cap. 16. docet, ignibus consumendo. Nec sunt audiendi illi, qui, quia pestis febris ardens est, dicunt ab aere feruido incendium augeri. maior enim est vtilitas consumptionis superfluæ humiditatis, & turbulentiæ, à qua excedens putredo excitatur, quàm incendij adauctio: præcipue cum (vt infra patebit) particularis aer possit, & debeat, ad suum contrarium (secundum tempora tamen) alterari. Quare non tantum in hyeme, sed & in æstate, ignes magni pro dictæ exuberantis humiditatis consumptione, accendi debent, maxime cum lignis odoratis vt iuniperi, lauri, roris marini, cupressi, quercus, & similium odoratorum. qui ignes fieri etiam debent, vt seminaria praua & contagiosa per aera dispersa, quæ aliunde per ventos aduehi possent, & præcipue meridionales, omnimode destruātur. Quę seminaria melius esset, si à dictis ventis (si fieri posset) aduehi prohiberentur, etiam occludendo, vnde meridionales venti spirare solent, cum vel maxime à dictis partibus, ad alias mundi regiones, vt plurimum, Plinij etiam testimonio lib. 2. cap. 50. dicta seminaria transfundantur & transuehantur. similiter si à baratro pestis immineat, baratrum impleatur, & obturetur, vt praua aeris infecti iaculatio, ab eo nequaquam fieri possit. si vero ab inhumatis cadaueribus, quæcunque sint illa, vel altius humentur, aut

Nota

in

in loco à ciuitatibus (quantũ fieri poteſt remoto) cremantur, latrinæ Cimiteriaque ita obſtruantur, & mundentur, vt fęda praua que euaporatio, illinc fieri nõ contingat. viæ publicæ omnino mũdentur, & mortua animalia cęnoſaque omnia, & fimus auferantur, quæ ad tam diſtantem locum transferantur, vt a b ipſis bonus aer infici amplius non poſſit: paludes & ſtagna aut omnino exſiccentur, aut eis aqueum nutrimentum tribuatur, ad ea viuentes fluuios dirigendo, vt multa aqua abundent, ne à cœnoſa & tabida euaporatione aer coinquinetur: & inter cætera ne in eis cãnabis aut linum macerentur, vel oriza ſeratur diligentiſſime curetur. Quod ſi à draconibus venenato halitu aer inficeretur, dracones citius interimantur, ſtatimque altius humentur: & ſi eos cõburere melius eſſet. ſimiliter terremotus euaporatorijs in pluribus terræ partibus factis (de illis loquor quæ ſæpius à terremotu tentari aſſueuerunt) prohibeãtur. à dictis enim euaporatorijs, ſenſim concluſus aer exire poterit, ne diu retentus, repentino eius exitu, prius torpore, & diuturna clauſura corruptus, bonum aerem fœdare poſſit. inſuper, vt aquæ nullo modo vitientur, à Principibus & Ciuitatum Rectoribus eſt curandum, & ante omnia quæ ſunt ad viuendum neceſſaria inquirant, & parent, ne plebs prauis cibarijs veſci coacta ſit, à quibus humores maxime putredini obnoxij generantur. ſimiliter putreſcibiles fructus, & omnia quæ citæ corruptionis ſunt exules fiant. Cæterum ſi in aliquo loco, aut vicino, aut remoto, peſtis uiguerit; ut ab ea regione nedũ homines ſuſpicione nõ carentes, ſed nec merces, aut aliæ res, quæ fomitem ſeruare poſſunt: ſed nec aer pro poſſe admittatur. & in hoc Principes, & ciuitatum rectores, rigidiſſime ſe gerere debẽt; nedum portarum cuſtodes, ſed in eorum dominii confinibus ſpeculatores fidos alendo: qui nullam dictarum rerum, in quibus etiam minima ſuſpicio reperitur, ſub aliqua cauſa, aut ratione, admittant, animaduertentes quod non eſt diligentia maior, vel maxima, qua maior, aut maxima in tam immaniſſimo morbo, non requiratur. Quare exitus omnibus, qui pro locorum tuitione, & auxilio non ſunt, libere pateat: acceſſus verò, & introitus tantum illis, qui à tutis regionibus, & intactis aduenerint, concedatur. faciant tamen accedentes per publicas literas prius locorũ cuſtodes certiores, ſe à locis intactis diſceſſiſſe, & per intacta, ſanaque loca, quo ad illuc aduenerint, peragraſſe. Cæterum vt

vnguen-

vnguenta aliqua venenata secum non habeant, accuratius inquiratur, ne pestis seminarium intus suscipiatur. Quare facto prius de vnguento periculo, (si quod habent,) quod per latorem in aliquo animali fieri poterit, alij vero ab eo dictum vnguentum non tangant: & deleterio non inuento, ei (maximè si ad præseruationem à peste faceret) & latori introitus non prohibeatur. Et hæc de præcautione à peste, generica tractatione dicta sufficiant. Modo arctius præseruationem perscrutemur. Nota

Quomodo corpora paranda sint, & de sex rerum non naturalium vsu, & primo de aere, vt à dictis corporibus pestis arceatur.

Cap. II.



IAM quomodo ciuitates, & regna, à peste præcaueri possint, per vniuersalium causarum amputationem monstrauimus. Verum cum vt pestis fiat, non tantum causæ agentes, sed corporum dispositio maximopere concurrat, vt à Galeno cap. proprio, etiam exemplo firmatum fuit, in quo non lædi temperata corpora, aut pauco adminiculo ad sanitatem reduci demonstrauit, propterea quomodo dicta corpora si intemperata sunt, ad tẽperiem reduci debeant, etsi temperata, vt in temperie seruentur, in sequentibus ostendemus. Temperantur autem corpora, Hippocratis etiam testimonio loco sexcenties citato, similiter, & Galeni primo, de diff. febr. cap. 4. si quæ humidiora sunt exiccantur, exiccabũtur autem cibariorum aridiorum, pauci potus, exercitij, vigiliarum, & sectionis venæ congruo vsu: quæ vero sicca sunt, ita regenda, vt siccitatem non amittant. quod si superfluitatibus abundant, exuberantes humores, educentibus proprijs, purgentur; vti si foramina essent obstructa, & vię clausæ, ea aperienda, & abstergenda erunt. Cæterum, quia causas vniuersales amputasse, necnon & corpora communi quadam pręparatione pręparasse, nisi arctiori diligentia seruarentur, parum certe profuisset; hac de re ad exactiorem, particulariorem ve pręcustodiam descendentes, de sex rerum non naturalium vsu, & de eius adiacentibus

primo:

primo: rursus quomodo à sectione venæ, pharmacia, humorum præparatione, & a Bezaharticis corpora præmuniri possint, secundo loco dicemus, à quibus in sanitate conseruari, & ab ipsa re moueri facile valent, vt quæ nutrire, alterare, exiccare, humectare, & ad alias contrarias qualitates ipsa mutare, item superflua educere, vias aperire, & corpora ferè impassibilia reddere, perbelle possint. Et ab aere tanquam a communiori exordientes dicimus, ipsum intus & extra corpus nutrire, & alterare, vt Galeno. 6. de morb. vulg. sect. 6. com. primo, & primo, de diff. febr. cap. 4. placuit. potest enim, inquit ipse, per arterias, ad cutim pertinẽtes, ad carnes ferri, ab ipsis attractus aer, præter id quod per inspirationem visibiliter fit, ne insitus calor dissipatus intereat, sed ab attractione, & inspiratione roboretur, & recreetur. Hipp. quoque in libro de flatibus postquam supra num. 5. in omnibus tam inferioribus, quàm cœlestibus aerem inesse dixit, subdit nu. 6. Mortalibus autem vitæ, & ægrotis morborum solus author est aer, tantaque omnibus corporibus spiritus extat necessitas, vt si quidem omnibus alijs abstineat homo, neque cibum sumat, neque potũ, possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere: si cui vero spiritus in corpus viæ intercipiatur, in breui parte vnius diei intereat, vt vel hinc quanto vsui spiritus corpori sit, liceat æstimare: vbi plura de aere studiosi legere poterunt, quæ scienter omitto, ne lõgitudine sermonis tædio lectores afficiam. relinquo modo, quæ in libro de natura humana num. 18. & 19. idem met dixit Hipp. dum causas morborum, tam communium, & vniuersalium, quàm particulatim apprehendentium docuit, vbi aerem communium morborum causam, dietam verò particularium esse demõstrauit, etsi tam cibus, quàm potus vitiatus, communis tamen, communium morborum præcipue contagiosorum, causa esse possit, vt secundo de nat. hum. com. 3. sub exemplo semiputris tritici, (vt aliàs dictum est) & aquæ vitiatæ à Galeno habetur, vnde primo, aer sincerus, & nullo pacto vitiatus eligatur, qui si in loco in quo quis moratur non aderit, ad alia, & remotiora loca, tutiora tamen, aufugere debebit. Hoc autem vt prouerbium sonat, diligentissime exequatur, cito, longe, tarde: quare cito discedat, tarde redeat, & ad longinqua secedat, iuxta dictum Hippocratis 2. de nat. hum. nume. 19. cum ait, locus in quo inquinatus aer reperitur, quantocius fieri potest mutetur. quod Rasis tract. 4. cap.

24. con-

24. confirmauit. Verum si hoc aliquo impedimento exequutioni mandari non poterit, prouidendum (vt eodem loco dixit Hippocrates) vt quam purissimus, aeris influxus in corpus ingrediatur, & ille vt quàm peregrinissimus existat, peregrinus autem reddetur, diuersimode ipsum secundum diuersa anni tempora alterando. Æstate enim cum folijs salicis, vitis, violarum, rosarum rubearum, foliorum cannarum, mirtillorum, sumitatum rubi, quercus, necnon florum nenufaris, cum sandalis, & camfora alteratur, & certe ratione. nam sicuti caliditas, & humiditas ipsum ad putredinem redigere potest, ita frigida, & sicca à putredine vendicare valent, quæ tamen corroborandi cor potestatem habeant, cũ putridus aer ipsum lædere sensim tentet, vnde cum his summitates aranciorum, citriorum, & limonum, vt ad cor eorum virtus ab istis commodius aduehi possit, immiscendæ erunt. ad eandem intentionem aqua rosata, cum aceto rosato mixta, plurimum valet, quæ & odoretur, & domus ea aspergatur: pauperes verò, cũ aqua pura cellulam aspergant, & pomis domos stratas habeant, præsertim cotoniis, appijs, & roseis. Non desunt qui aquæ limpidæ fontem commendent, à quo riuulus scaturiat, qui murmure delectationem & solamen, vti frigiditate aerem alterando, iuuamentum afferre possit. pro diuitibus autem hoc maxime laudatur, quod.

℞. aquæ ros. ℔. ij.
Aceti ros. ℔. s.
Sandalorum citrinorum. } ana. ℥. ij.
Sandalorum rub. }
Camforæ ℥. j.

misce, & ex eo supradicta folia irrorentur, vel in eis panni linei infundantur, & in camera suspendantur, qui exiccati iterum irrorentur, & iterum suspendantur. Valet insuper pro aeris munimine, & alteratione, quod sequitur.

℞. corticum citri. } ana. ℥. ij.
Citrangulorum. }
Rosarum rubearum. } ana. ℥. iij.
Florum nenufaris. }
Camforę ℈. ij.
Charabe ℥. s.

Terantur grosso modo, & cum aqua rosata, & pauca terbentina

na fiant trociſci duarum drachmarum pro quolibet, & cum eadem aqua roſata, aqua florum citrangulorum, & aceto roſato, fiant cum ſuffumigatorio ſuffumigia, quæ præter id, quod aerem ad frigidum & ſiccum alterant, odore ſpiritus maximopere recreant nam quemadmodum male olentia omnia, ſtomachum ſubuertunt, vt 8. de comp. med. local. cap. 3. docuit Galenus, cerebrũ lædunt, & vitales ſpiritus inficiunt; ita bene olentia delectant animam, ſpiritus & virtutes reparant, virtutumque mineras confortant. hæc Meſ. in de conſolatione medicinarum cap. primo. quare odoribus bonis, & præcipue aerem ad contrariam qualitatem alterantibus, ſi in ea exceſſerit, incumbendum erit, & hęc in æſtate.

In hyeme vero cum odoriferis calefacientibus, & exiccantibus corrigere, & alterare aerem procures, ignem cum lignis redolentibus iam dictis, domi alendo, vel cum lignis mitem & clarum ignẽ facientibus, vt ſarmentorum, ſalicis, & aliorum eiuſdem generis. vitent omnino putridorum lignorum ignẽ, pro qua explenda intẽtione, trochiſci de alipta moſchata, de gallia moſchata, ſummopere commendantur, ex quibus, & aqua ex floribus aranciorum, & tribulorum, modo ſupradicto ſuffumigia parari poterunt, valent etiam ex ſequentibus confecti.

℞. Thuris, Cort. citri, Meliſſæ — ana. ʒ. ij.
Ligni aloes — ʒ. j.
Nucis moſchatæ, Coſti, Gariophyllorum, Cinnamomi, Ladani, Styracis calamitæ, Croci — ana. ʒ. j. s.

Fiant trochiſci cũ terebinthina, & cum aqua tribulorum & florum aranciorum, & vt dictum eſt ſuffitus fiant, quibus ſi adderentur.

Moſchi, Ambræ — ana ℈. s. maioris potentię eſſent. Qui aer pro pauperibus cum folijs aranciorum, citriorum, limonum, ruta, ſaluia rore

roremarino, lauro, spica, radicibus, ireos & similibus alterari poterit. Et quoniam de alterantibus & corrigentibus aerem tempore æstatis, & hyemis factus est sermo, facile tibi erit intermediis temporibus, frigida calidis, & calida frigidis immiscere, nec non maiorem aut minorem dictorum ponere portionem, prout magis ad vnum, quàm ad alterum extremorum, aer declinare videbitur. Verum quia ex 4. met. supra suppositum est, humiditatem & caliditatem excedentem putredinis causas esse; alteratio aeris ad frigidum & siccum, erit valde tuta. hoc vnum notando quòd dicta suffumigia, ne capita, eorum vsu grauentur, maximè moderata esse debent. Cęterũ domus si fieri põt, sit ampla, sed omnino ab omnibus immunditijs munda, & ab omni fœtore distãs & aliena: imo cum iam dictis, odorus aer eius reddatur, fenestræ, quæ meridiem respiciunt, ex toto claudantur, cum ex illa regione vt alias dictum est, pestis inuadat: in cuius domus cameris quæ a borea ad ortum solis sitæ sunt, manere tutius erit, vt docte notauit Rasis trac. 4. cap. 25. nec vt in eadem semper persistatis consulumus: sed modo vna modo altera camera immutetur, & ante introeuntium accessum, secundum tempora, vt supra dictum est, diuersimode paretur. sed si quis infectus aderit aer, expellatur, vel alteretur, aut cõsumatur: quæ consumptio nullo alio meliori modo quã igne fieri potest. quare in media camera ignis etiã in æstate cum lignis præcipue salicis aut sarmentorum accendatur, qui ita per horam dimittatur, deinde cum his quæ aerem ad contrariam qualitatem alterare possunt (si in æstate eritis) corrigatur, animaduertentes, si aliqua vicinarum regionum aut locorum peste infecta fuerit, vt fenestræ, quæ illam partem respiciunt, quæcunque sint, ex toto claudantur; quæ vero ad contrariam partem se habent aperiantur, quo tempore domi se, & suos perpetuo contineri proficuum putamus.

Vestes sint mundæ de serico confectæ. sed quæcunque sint illæ mundæ sint, & odoribus alteratæ: quæ sæpe immutentur si fieri potest. Dicta vero si nusquam alibi, tempore pestis vel pręsentis, vel non multum distantis, maxime seruanda erunt. Poma insuper ex supradictis, & consimilibus confecta ne vitales spiritus à prauo aere corrumpantur, optima censentur, quę in æstate ex frigidioribus, in hyeme vero ex calidioribus, vti in inter medijs temporibus, ex temperatis conficidebent, ex sequentibus

bus verò confecta ſatis ſalutaria omni tempore habentur:

℞. Carlinæ
Florum nenufaris
Angelicæ
Dictamni
Scordij
Ireos
Benzui
Cinamomi
Ros: rub.
Violarum. ana. ℥. ij.
Sandalorum citr.
Alborum.
Rubeorum.
Camforę.
Charabæ
Styracis calamitæ
Croci.
Cort. citri.
Ligni aloes.
Garyofillorum
Viſci quercini. ana. ℥. j. s.
Tormentillæ.
Vinci toxici.
Muſci ℈. ij.
Ambræ ℈. j.

Cum mucilagine draganti in aqua roſ. nutriti, vel cum albumine oui, fiant poma, quæ à magnatibus in pilis aureis, à diuitibus in argenteis, à pauperibus in ligneis redolentibus, vt ſandalinis, cupreſſinis, & ſimilibus omnibus perforatis includãtur. Hic quæri ſolet, an in locis montanis & eleuatis, an verò in conuallibus, & ſubterraneis magis habitandum ſit tempore peſtis. Cui petitioni vt melius ſatisfacere poſſimus, notandum, quod aeris vitiatio triplex eſt, vna ſecundum philoſophos, & eſt, quando à caliditate humiditateve excedenti & diuturna vitiatur: ſecunda eſt ſecundum medicos, & erit ſi à ſtagnis, & ab alijs rebus putridos vapores euaporantibus coinquinatur. tertia eſt, quando malo quodam modo, & ſecũdum aſtrologos inficitur. Modo ad quæ ſitum

An loca sublim.ia vel in Convallib. sint eligenda.?

Aer tribus modis Vitiari potest

situm ita dicimns quod quando vitiatio est in substantia, tunc subterranea loca magis tuta erunt, vt quæ magis distantia sint à cœlo; & euaporationes, quę solent aerē in substantia vitiare, satis à dictis locis eleuantur, & dilongantur. è contra, si ab excedētibus dictis qualitatibus aer erit corruptus, tunc altiora & montana loca tutiora erunt, vt quæ calidiorem aerem propter ventos non admittant. quam responsionem docuit Auer. 6. colligit ca. 18 & Auic. 2. primi doct. 2. cap. 5. & si aliter teneat Guainerius, in tract. suo de peste cap. primo, qui in omni aeris coinquinatione, loca altiora habitanda esse docuit: & dicti rationem reddens inquit, quod altorum locorum aer, magis sincerus est, & purus, faciliusque potest alterari, & corrigi, quàm existens in caverni, & locis subterraneis, qui vaporibus est permixtus, & propterea crassior. quę loca altiora, borealibus ventis sint exposita, meridionalibus abscondita, à sole visitata, & illustrata: ipse enim aeris verus est illustrator, mundator, & fęcundator. & hæc de aere, & eius alteratione dicta sint satis. modo de cibarijs agamus.

Notandum

Quæ cibaria eligenda sunt vt per ea à peste præcaueri possimus. & primo panis eligitur. Cap. III.



QVONIAM non solum à calore naturali per consumptionem humidi, sed etiam ab ambiente nos aere, multæ fiunt in corpore nostro dissolutiones, & resolutiones, quare si deperditi restauratio non fieret, breui vitam cum morte mutaremus. ideo congruum erit de cibo, tanquam de restaurante facere mentionem. & quoniam panis inter alios cibos, veluti ipsorum basis, & fundamentum existit, panis enim cor hominis confirmat, hinc ab eo inchoare intēdimus. sit itaque panis de bono tritico, nec vetustate, nec alia occasione corrupto, à furfure mundus, competenter fermentatus, cum pauco sale, & laudabili aqua pinsatus, nec non & mediocris magnitudinis, & hoc tempore ęstatis: tempore verò frigidiori, cū maiore salis, & furfuris permixtione confici poterit, qui in clybano lignis odoriferis, & ad minus non corruptis calefacto, decoquatur, qui ex alio cereali semine (si fieri potest) non conficiatur. quod si miscellā aliquā fieri oportebit, cum hordeo, & milio, tri-

ticum miſceatur, qui panis vſque ad quartum diem remanet lau dabilis, vltra ſi neceſſitas non urget, non comedatur: qui cum comeditur, calidus eſſe non debet, cum vt Hjpp. 2. acut. tex. 34. docuit, ſitim inferat, & repentinam plenitudinem, vt qui exiccet, & tarde deſcendat. & hæc de pane. Modo de carnibus dicamus.

Carnes longo vſu comprobatæ. Cap. IIII.



VM non in ſolo pane uiuat homo, hac de re, quæ ſint laudabiles carnes dicemus. illæ verò laudabiles eſſe cenſentur, quæ facilis coctionis ſunt, paucarum ſuperfluitatum, & difficulter putreſcibiles. imo quantum fieri poteſt corruptioni reſiſtant. quæ animalium in paſcuis odoratarum herbarum paſcentium exiſtimantur. inter quæ, lactãtes vituli, a ſecundo ad quartum menſem incluſiue laudantur. Montoninæ vnius anni, hœdinæ à menſe ad menſem, cum dimidio, non deſunt qui porcinas annuales, & ſalitas, pręcipue ſilueſtres, commendent, alij verò vituperant, quibus adhæreo. capreolinæ, & ceruinæ annuales, & infra, præcipue lactantes laudantur. leporinæ trium, vel quatuor menſium non eſſent dimittendæ, ver uecis ſinceri carnes bonæ ſunt, partes verò dictorum animalium anteriores, & ex anterioribus dextrę comprobantur. interiora tam quam humidiora non ita laudantur, aſſæ tamen non omnino reſpuũtur. At magnorũ animalium carnes ex pręcepto Ali in prac. cap. 26. dimittantur, ex bipedibus verò carnes probantur gallorũ nondum coeuntium, caponum, gallinarum, perdicum, faſianorũ præſertim iuuenum, coturnicum, turturum, ſtarnarum, turdorũ, alaudarum & aliarum paruarum auium montanarũ. pulli quoque columborum in turris degẽtium non ſpernantur. an autem dictæ carnes debeant elixari, vel aſſari, tẽpus anni, ars, regio, ætas, ſexus, complexio, conſuetudove ſpectanda veniunt, quæ ſi calidæ erunt & ſiccæ, & in his qualitatibus aliqualiter exceſſerint, elixa potius quàm aſſa commendamus. contraria his, per aſſationẽ expedient parata, etſi communiter aſſata humiditatem ſuperfluã exiccando, elixis præponantur, Manardi lib. 5. Epiſt. 3. teſtimonio. Nos autem vt communiter fieri ſolet, ſi cum elixis, aſſa mi-

ſcerentur, optimam mixtionem putaremus, & ſi interdum aſſa & aliquando elixa manducentur, magis commendamus. Nunc de ouis agere opportunum erit.

Oua quæ eligenda & cocturę modus. Cap. V.



ARIA animalia oua parere ſolent, verum nõ omniũ, ſed perdicum, faſianorum, & gallinarum, potiſſimũ laudantur, quæ recentia eſſe debent, in aqua decocta, communi appellatione diſperſa dicuntur: nec debent ita coqui vt dureſcant, ſed vt tremula tantum exiſtant, quorum albumen lacteum, tunc temporis efficitur, ſic enim temperatam ſortiuntur temperaturam, vitellum enim calidum & humidum eſt, quod ſi temperatum diceremus, non aberraremus, & ſi ſymmetro dictas qualitates aliquanto potiores poſſideat, quæ ab albumine temperantur, & ſymmetro frigidiora euadunt, vt 2. de comp. med. loc. & xi. de ſimpl. med. cap. proprio docuit Galenus. non deſunt qui in aqua, cum cortice, & ſuper cineres decoquũt. Nos vt primo modo cocta dureſcant, ita ſecundo, vt à cineribus non cooperiantur cõſulimus, quæ ſi ſale, agreſta, & aceto, vel pau co cinnamomo condirentur, ſapidiora, & laudabiliora efficerentur, quæ tantum ponderant, tantum nutriunt, hoc uel maxime ſi ſorbilia fiant: Verùm ut calorem in ſtomacho condecentem inueniant, à quo confici poſſint, neceſſarium erit. ſtomachum enim languentem ſubuertunt, cum prius corrumpantur, quàm concoquantur, vt primo, de rat. vic. com. 18. aſſerit Galenus. Cæterum frixa in oleo, vel in butyro, & ſimilibus, item, & dura, præter id, quod prauum odorem acquirunt, difficilioris coctionis euadũt, malum præſtant nutrimentum, & facile putreſcibilem, vt Galenus, in lib. de ſuccorum bonit. & vit. cap. 4. & 3. de alim. facul. ca. 22. ſimiliter, & Iſaac lib. primo, de dictis vniuerſalibus cap. 43. docuere. Modo de lacte agamus.

Oua languentẽ stomachũ subuertunt

De lacte, & lacticiniorum vſu. Cap. VI.



ACTIS vſus niſi vt medicamentum ab omnibus interdicitur. nam cum corpora à peſte præſeruari velimus, & quæ humidiora ſunt, peſti maxime obnoxia exiſtant, vt ſupra cap. vlt. primi libri decretum fuit, &

ab vſu lactis humidiora euadant. Reliquum eſt vt communiter lactis vſus prohibeatur, ſi quod autem competit, illud acetoſum eſt, vel ſit caprillum, aut vaccinum, vel ouillum, aliorum enim animalium lactis vſus, in cibarijs non habetur, & de cibis tantũ peragere modo mihi in animo eſt. Cæterum de caſeo quod Hippocrates in lib. de vet. medicina num. 37. docuit id ipſum dicam, nempe quod caſeus non omnes homines lædit, ſed ſunt qui ex illo repleti, ne tantillum quidem offenduntur, imo gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur. ſi enim toti humanę naturæ malus eſſet, omnes vtique læderet. ex quibus patet quod non ſolum omnibus non nocet, ſed aliquibus auxilio eſt. quapropter dictis freti, & vt conſuetudini aliquid cõdonemus, ipſum (vt dicũt) pro ſigillo ſtomachi in fine mẽſæ concedimus, ſit tamen recens, non multum ſalitus, eius vero alias conditiones docet Gal. 3. de alim. facul. cap. 17. Verum quicunque ſit in moderata quantitate ſumatur. Modo de piſcibus dicamus.

Qui piſces concedi poſſint. Cap. VII.



ISCES, vt ſpecie varij ſunt, & in variis locis viuunt, varias etiam facultates poſſident. etſi omnes frigidi, & humidi ſint, qui tamen in aquis ſalſis degunt, cæteris paribus, his qui in aquis dulcibus vitam ducunt, ſicciores exiſtunt: quæ aquæ dulces variæ ſunt, nam aut ſunt flumina, aut riuuli, aut lacus, & hi non ſtagnantes, ſed viui, & currentes, aut ſemper eodem loco permanentes. vnde ſtagnorum piſces vt qui putreſcibiles ſint omnium deterrimi habentur: curren tium vero lacuum non ita damnãtur. his laudibiliores ſunt, qui in magnis fluminibus viuunt: ſed omnibus meliores, qui in lapidoſis fluuiis & rapido curſu currentibus, necnon & lapidoſis riuulis degunt, exiſtimantur, vt Truttæ, lampredæ, carpiones, luccij, barbuli, & ſimiles. ex marinis verò turdi, merulæ, corui, ſturiones, paruuli paſſeres, auratæ, dentales, trigliæ, ſpiculæ, fragulini, ſardę, capones & cõſimiles cõmendantur. in ſumma piſces ſquãmoſi, & qui à celebrioribus doctoribus pro ſalutaribus habẽtur, ſimiliter qui longo vſu à regionalibus ſunt comprobati, in cibarijs tantum admittantur, qui in craticula cum oleo aceto, ſale & fęniculo aſſi, vel in vino, & aceto (vt Germani faciunt) ebulliti, nec

non

non in aqua cum aneto aut petroselino, oleo sale, pipere, & gariophyllis cocti minus noxij habētur, etsi Rasis. tract. 4. ca. 25. assatos magis commendet. De salitis piscibus, hoc vnum dicam, supradictos omnes, salitos moderate sumptos, concedi posse, sal enim eorum superfluam humiditatem frangit, & tollit. nunc de herbis agamus.

De herbis, floribus, & radicibus, quæ tam pro nutrimento, quàm vt quis à peste præcaueri possit commendantur. Cap. VIII.



ERBÆ; quæ in vsu mortalibus venere, variæ sunt. nam aliæ sunt frigidæ, aliæ calidæ, & rursus non nullæ veneno, & putredini obsistunt, aliæ minime. quare inter cætera, quæ ad contrariam qualitatem, secundum anni diuersa tempora corpora mutare valent, insuperque veneno & putredini inimica sunt, cæteris præstantiores existunt. Corpora enim non tantum excedēti aeris, & humoris qualitate læduntur, sed eorundem veneno, & putredine corrumpuntur, & necantur. Quare in æstate endiuia, lactuca, lupuli, cicorea, quinquefolium, portulaca senectiū, borago, buglossā, spinachia, blitis, primulaueris, at sequentes omnium maxime commendantur, acetosa, scilicet alleluia à Plinio oxis appellata, pimpinella, cicerbita, & melissa, flores autem dictarum salutares, cicoreæ, borraginis, buglossæ, primulæ veris, & Caltę Plinij, Radices insuper laudantur cicoreæ, & cicerbitæ.

In hyeme vero conueniunt menta, maiorana, betonica, valeriana, origanum, saluia, rosmarinus, pulegium, petroselinum, anetum, apium, ruta, apium alexandrinum, & fœniculus, asparagus vero tempore quo inuenitur probatur. sunt qui maxime vincitoxicum & chamedreos commendent, quia tamen in vsu non habentur in arbitrio eis volentium vti dimittimus. Dictorum flores boni sunt, saluiæ, roris marini, & pulegij, vti radices petroselini, carotarum, apiorum alexandrinorum, & pastinacæ, quæ herbæ, flores, & radices in intermediis temporibus misceri debent; vt ex calidorum, & frigidorum miscella temperata compositio reddatur. Nunc de leguminibus tractabimus.

Quæ legumina concedantur. Cap. IX.


EGVMINA ferè omnia, præter fractos ciceres, & lentes excoriatas, & cum aceto, oleo, pipere, & allio conditas interdicuntur. quòd si necessitas ad alia legumina comedenda coegerit, cum pulegio origano, fęniculo, petroselino, anetho, pipere, & garyophillis, vel cõsimilibus condiantur: flatuosa enim sunt, & malos succos generant.

An acetaria, & quæ econuniant. Cap. X.


CETARIA proculdubio iudicio meo conueniunt, præsertim ex herbis pesti obsistentibus parata, quæ & ipsa secundum tempora variari poterunt. vnde in æstate ex herbis, floribus, & radicibus frigidis supradictis, vti in hyeme ex calidis conficere acetaria congruum erit: quæ radices cum difficilioris coctionis sint, coctæ magis quàm crudæ concedi debent. inter cætera pimpinella, cicerbita, acetosa, melissa, cicorea, borrago, & cappares primum retinẽt locum, quę aceto rosato, passulato, oleo dulci, vel amigd. dulcium recenti, & sale condiri poterunt. quibus in hyeme, bertonica, mẽta, serpillum, rosmarinus, saluia, ruta, valeriana, & petroselinum addi poterunt. nec desunt, qui limonum frusta, vel citriorum immiscent, & optime faciunt. & quoniam de his, quæ appetitum excitant verba fecimus, inter quæ sapores, & salsamenta connumerantur, de eis modo agere locus erit.

De saporibus, & condimentis. Cap. XI.


T I de herbis diximus, ita de saporibus dicere debemus, quæ secundum varia anni tempora, varianda erunt. In æstate enim ex pane, acetosa, amygdalis aceto & pauco cinnamomo sapor salutaris conficitur. similiter si ex syrupo de acredine citri, & aceto rosato fiat sapor, addita portione cinnamomi, & gustui sapidus, & maxime salutaris erit. è marenis, cerasijs & ex pomis appijs dimittendus non est. Non desunt qui ex pulpa prunorum,

recentium cum zuccaro,& cinnamomo ipſum parant,qui præter id quod gratus exiſtit, ventrem etiam lubrium reddit. alij ex hepate pulli prius elixo, & bene contuſo cum brodio pulli, vitello oui, ad duritiem per cocturam redacto amygdalis, ſucco agreſtæ, vel acredine citri,& pauco cinnamomo ſaporem parant: cui ſi zuccarum addes ſi dulcia non abhorres,non aberrabis.

In hyeme vero ſapor ex petroſelino, ſaluia menta, betonica mica panis,aceto garyophillato, & fœniculo,addito zinzibere,& pauco ſapæ paretur.quorum formulam oſtẽdiſſe ſatis fuit. addendo enim,& immutando,varia ſecundum opportunitatem conficere poteris.Modo de liquoribus agamus.

De liquoribus, & ſuccis qui ex vſu in cibarijs exiſtunt. Cap. XII.



LIQVORES probati ſunt aqua roſata, acetum roſatum,acetum garyophillatũ,ſu ccus citri, limonum, aranciorum berberis mali punici, agreſtæ, & vnico verbo complectar,acetoſa omnia proſunt:nam pręter id, quod guſtui grata ſunt, & appetitum excitant, cor confortant, putredini, ac veneno maxime aduerſantur, vt docte Raſis tract. 4.cap.25. demonſtrauit.Sed in his tantum immorandum non eſt vt de ferculis agere dimittamus.

De ferculis. Cap. XIII.



FERCVLA ne tædio afficiamur, variare oportet, vnde, quandoque brodettus aliquando panis grattatus, interdum panis,quem ſtufatum vocant parandus erit.quod ſi radices vel folia petroſelini in brodio ebullierint, bonæ erunt. ſimiliter far à Gal. 8. meth.commendatur,vbi dixit quod habet plurimum, quod nutrit,& minimum inutile.oryzæ quoque fercula aliquando concedi poſſunt,ſicut & milij,& hęc tempore hiemis,additis aliquibus ſpeciebus,vt infra dicemus,vti ſine his in æſtate commendantur. quo tempore cucurbita, endiuia, borrago, acetoſa, ſpinachia cicerbita & pimpinella laudantur,ſimiliter auenatum,& hordea

re, quod cum varijs modis confici possit, an aliquod tempore pestis admittere debeamus videndum remanet, vnde fugienda omnia dicimus, vt quæ præter cetera incommoda difficulter concoquantur, crassum generent nutrimentum, vt inde oppilationes oriri commode possint. si quæ tamen concedenda erunt, ex pulpa caponum, perdicum, fasianorum, ouis, amygdalis, cinnamomo, & zuccaro, cum pauco caseo, recenti tamen, confecta, admittantur, & hoc lurconibus, & assuetis, in pauca copia & tempore competenti manducata. similiter si ex herbis fiant vt fieri solent, ex beta cum quo acetosa immisceatur, cum recocta, pipere caseoque recenti, zuccaro, ouis & aqua rosata, vti e marenis cerasis, & ex pomis appijs, confectæ, minus noxiæ habentur. placẽtæ vero, quæ ex zuccaro, amygdalisque fiunt, & si bonum generẽt nutrimentum, quia tamen dure concoquuntur, in pauca copia comedantur. cum quibus si pulueres supradicti cæterarum quæ pesti infensa sunt, miscebuntur, magis salutaria, aut minus noxia censenda erunt. Modo de agrumiuibus dicamus.

An cæteris agruminibus seclusis, allia & cepæ, pro præcautione à pestè conueniant.
Cap. XVI.



AGNA profecto inter celebriores medicinæ professores vertitur controuersia, an scilicet, agruminibus alijs seclusis, cepæ, & allia pro præcautione à peste concedi debeant. nec immerito. Galenus enim primo de diff. feb. cap. 3. dũ de causis, à quibus febris oritur, verba fecit, postquam tria posuit febrium genera, inter alias causas, acris & mordax superfluitas, ab eo febriũ causa numeratur. quæ à quibus fiat, sequentibus verbis ostendit: acris autem, & mordax defluit his superfluitas, qui aut natura vitiosos habent humores, aut prauis cibarijs utuntur: & paulo inferius subdit, voco autem praua cibaria, ea quibus hoc ipsum est à natura insitũ, sicuti allia, cæpas, nasturcia, porros, brassicas, ocyma, vrticas, & quæ apud nos lampsanas vocant. & in lib. de caus. symp. cap. 2. dum venatus fuit causas adauctionis caloris

natu-

naturalis, sic scriptum reliquit. Quinta vero species adauctæ supra modum caliditatis, sunt esculentorum acres ac calidæ qualitates, veluti alliorum, cæparum atque huiusmodi omnium. hæc Galenus. Auenzoar quoque lib. 3. cap. 4. sequentibus verbis dicta confirmauit. & quidam medici memorati fuerunt, quod comedere allia & cæpas, remouet nocumentum malæ aquę, sed ego ab horreo curam talem, quoniam habēt humores calidos, & acutos generare, & putredinem augere, quod allium lyricus noster sequentibus carminibus detestatus est. Parentis olim, si quis impia manu, senile guttur fregerit, edat cicutis allium nocentius. dictis tamen contraria docuit Auicennas li. 2. tract. 2. cap. propriis, sic inquiens. allium confert puncturæ vermium venenosorum, & morsui serpentium, quando bibitur cum vino, & nos quidem iā experti sumus illud, & similiter morsui canis rabiosi, vti quando fit emplastrum ex allio, & foliis ficus, & cumino, & super morsum muris aranei ponitur. quæ verba vltima à Dioscoride accepit. de cæpis vero loco citato cap. proprio dixit, confert morsui canis rabiosi, si cum aqua eius linitur: supra ipsum autem emplastratur cæpa cum sale, & ruta, & quæ comeditur cæpa expellit ventositates venenosorum: & dixerunt, quod ipsa generat in stomacho humorem humidum plurimum frāgentem nocumentū venenosorum. hæc Auic. Galenus quoque & si ad venena valere non dixerit, pluribus opitulari nihilhominus affirmauit, vnde 4. acut. 9. in corpore non existēte plethorico, vel cacochimo, sed præeuacuto, nedum capitis grauitatem, sed alterius etiam partis, allium exhibitum sanare asseruit, nec non vrinas ciere affirmauit. quinto vero de sanit. tuend. c. 6. allium, & cæpas ab obstructione patientes liberare docuit. de allio verò dixit, quod assuetis est concedendum, & quinto de simpl. med. allium aperire asseruit, vti. 2. de alim. facul. c. 43. vt medicamentū cum thymo, pulegio, origano, & cardamomo, pro diluendis obstructionibus exhibet. ibidē quoque in coli doloribus allium commendat, & exemplo rustici firmat, flatus enim potēter discutit. propterea: rusticorum terhiacam appellauit, quod nomen solis alexipharmacis competere, certissimum est. Quid itaque in tam magna dissensione dicemus? nisi quod allium, & cæpa in magna copia, & vt cibus sumpta, in præseruatione à peste non conueniunt; at vt medicamentum, & in pauca copia accepta, nedum ad venena sed pro præcautione à

peste

peſte plurimũ valet, materia.n. faciens peſtẽ, & quantũ ad vires, & quãtũ ad qualitates, veneni vires ęquat, vt ſupra ex. 6. de loc. aff. c. quinto monſtratũ fuit. nec inconuenit, qđ aliquod qualitatibus manifeſtis vnum operetur, indicibili vero aliud præſtet, vt de ſcordeo, & aliis innumeris dicere poſſumus, quæ per primas qualitates calefacere, & exiccare, indicibili tamen illa facultate, aliud agere valent. præſtant itaque prauum nutrimentum agrumina dicta, ſed non prauum medicamentum, vt de lentibus exemplificauit Gal. lib. de ſucc. bon. & vit. cap. 7. ſic inquiens, de lente quod, & malum, & melancolicum ſuccum gignat, nemo fere neſcit: ea tamen, vt medicamento vtimur plerunque in affectibus plurimis. ſimiliter, de vrtica, & de ocymo, quę multas, & magnas compoſitiones ingrediuntur dicere poſſumus, vnde de ocymo lib. 20. c. 12. ſcribẽs Plinius aduerſus Chryſippũ nedũ mala à Chryſippo ſibi falſo aſcripta non edere, ſed e contra innumera bona ab eo prouenire affirmauit, ad quem locum breuitati indulgentes ſtudioſos delegamus, vbi plurima de ocymo videre poterunt. quare vt medicamentum non pauca bona pręſtat. Quod auic. in lib. de virib. cord. ſequentibus verbis dum de Baſilico verba fecit clarius confirmauit. finaliter tamen vſus eius non eſt in lætificatione laudabilis, quoniam ſubſtantia nutritiua, quæ eſt in ipſo, contrariatur ipſius medicinali ſubſtantiæ: etenim ſubſtantia medicinalis lętificat cor, nutrimentalis vero ſanguinem turbidum generat atque melancholicum. & reliqua ita agrumina dicta, cum in pauca quantitate ſumpta fuerint, multum humorem prauum gignere, aut calorem augere, vt inde febris generetur non poſſunt. at plurimum, forma illa ſpecifica, & indicibili facultate venena necantia, fugãtiave, & peſtis ſeminarijs obſiſtẽtia, pro præcautione prodeſſe poterunt. dictis adde quod in obſtructis, & in his, qui flatuoſitates patiuntur, & vbi vrinam ciere opus eſt, ſalutaria à Galeno locis ſupradictis habentur. Cæterum cum experientia rerum omnium magiſtra ſit, Princepſque de re medica optime meritus, allia, & cæpas in veneris ſe expertũ fuiſſe affirmet, & cum ſcordeo in odore allium aliquod commune habeat, vt in præcautione à peſte vnà cum cæpis tuto, non ut cibaria, ſed vt medicamenta, admittere debeamus, concludendum videtur in quibus tantum immorandum non eſt, vt menſa abſque fructibus relinquatur.

De

De fructibus. Cap. XVII.


FRVCTVS, qui in præcautione à peste salutares habētur, sunt pira, piracottonea, poma appia, rosea, deciaq; appellata, pruna in principio mensæ præcipue damascena, catalana, viridachia, maximiliana, & pernicconia dicta, marena insuper, cerasa, & malapunica commendantur, pepones quoque cucumeres, citruli cucurbitaque in magnis æstibus à Rasi tract. 4. cap. 25. laudantur, quæ vt cum cautela comedantur, quæ humida satis sunt, consulumus: ficus maturæ, quia cito subducuntur, & vuæ suspensæ & subacidæ, à Rasi loco citato conceduntur, similiter auellanæ, & nuces, maxime si cum ficubus siccis ruta, & sale misceantur, pro alexipharmaco, existūt. pineæ amygdalæ, pistachiaque quia bonū nutrimētum præ bēt, & propterea natiuum fouent calorem, salutares habentur. castaneæ à mensis non arceantur; persica, præcipue duracia, à nonnullis conceduntur, quæ nō post cibum sed stomacho ieiuno comedi debent, vt Aetius primo, lib. primi, tetrabili, & Isaac. li. 2. de dietis affirmarunt. Nos vero magis pro odore, quàm pro nutrimento in vsu esse debere credimus. oliuæ pro excitando appetitu valēt, vti cappares, qui prætet id, quod appetitum excitant, non parum prodesse creduntur, qui fructus nullo pacto sint corrupti in moderata quantitate sumantur, sint magis cocti, quàm crudi, & cum pauco cinnamomo, vel aniso, & similibus, vt flatuositas expellatur, parati. & hæc de fructibus. Non enim possibile est, de omnibus sermonem habere, cum pro Regionum diuersitate, varij & in bonitate, & in specie reperiantur. & hęc tanta de cibarijs dicta sint. modo de potu agamus.

De potibus, qui pro precautione à peste in vsu esse debent, cum varij esse possint, & primo de vino agitur. Cap. XVIII.


CVM de potabilibus, quibus à peste præcaueri mortales valeant, in pręsentiarum agere nobis in animo sit, de vino primo, secundo de aqua, tertio de aceto, vltimo de medicatis potionibus agemus. & à vino in-

choantes, an pro præſeruatione à peſte conueniat, ante omnia inquiramus Raſis enim tract. 4. cap. 25. dixit, quando in æſtate multæ veniunt pluuiæ, & die, & nocte permanſerint, & multi meridionales venti perflauerint, vel aer ita quietus fuerit, vt non moueatur, turbidus nihilominus, propter ventos meridionales, placide ſpirantes, & alios quieſcentes extiterit, à carne, & vino, comeſtionibus de melle factis, à fructibus recentibus, & dulcibus, a balneo, & lauacro aquæ calidæ, omnino abſtinendum eſſe. Quare ex dictis à Raſi vinum nullo pacto propter dictionem illam, omnino, in præcautione à peſte conuenire, dicendum videretur. Verum non ita ſimpliciter, a vino abſtinendum voluiſſe, exiſtimandum eſt, ſed tantum cum peſtis in loco viciniori fuerit, vt inde facile & à vino, & ab aliorum dictorũ vſu, in locum in quo his mortales veſcuntur, transferatur. ne itaque humores ad ebullitionem parati gignerentur, dicta prohibuit. vnde in maxime ſuper imminente peſte, ex Raſis præcepto, vinum bibere non debemus. Verum quia noſtri temporis homines, Græcorum more bibere ſolent, & tempore Raſis non ita fuiſſe, Hiſtorici omnes, vel vinearum multitudo, quæ modo reperitur confirmat; vt aliquid conſuetudini condonemus, ætate iſta vinum, pro præcautione à peſte, concedi poſſe putamus; hoc vel maxime quia vinum moderate ſumptum, tantum abeſt, vt inflammationem vel ebullitionẽ pariat, vt potius ſpiritus viuificando, & gignendo, natiuum calorem adaugeat, & cor maxime roboret, vt inde peſti obſiſtere plurimum poſſit, ſine cuius putredine, aut ab eo contentorum, nullo pacto peſtem poſſe fieri, ſupra ſtatuimus. Vinum itaque in præcautione à peſte, moderate ſumptum (vt infra melius apparebit) concedatur. Cæterum vinum ſit album, vel ceſiolum, non dulce, cũ picrocholis ſitim faciat, lien, & iecur tumefaciat, vt 3. acut. tex. 2. docuit Hipp. ſed acerbum vt Florentiæ reperitur. ſit ſubtilis ſubſtantiæ ne oppilationes generet. ſit vinoſum, vel pauciferum, vt Regiones ipſæ ferunt, & ſi, ſi pauciferum daretur, magis laudaremus. De coctura idem quoque affirmamus, cum locorum conſuetudini plurimũ condonemus, nam Reati, niſi quarta pars per cocturam conſumpta ſit, vinum ſeruari minime poteſt, quare locorum conſuetudini ſtandum, circa cocturam decernimus: quę longo vſu nihil intactum reliquiſſe, credendum eſt, quibus & gentes ſunt aſſuetæ non eſt propterea quin vina cruda vel

in quibus pro conseruatione tantum pauca coctura adfuerit, dũmodo ab ipsis stomachi nõ lædantur, vt quæ mediocris ætatis, & quæ optime purgata sunt, magis probemus. recentiora vero & inueterata damnamus, vocamus autem nostris temporibus inueterata, quæ annum iam pertransiere; quamquam hoc non ita senserit antiquitas: etsi in hoc vinorum etiam naturam, pro locorum diuersitate, inspicere debemus: quæ enim in locis aridioribus, & montanis, nata sunt, citius, quàm quæ in humidioribus, & pinguioribus nascuntur, vt quæ multam humiditatem, quàm consumere habeant, possideant, cæteris paribus, & clarescunt, & inueterascunt: ipsis enim non secus atque animantibus contingit: quæ enim plurimum humidum habent, tardius senescunt dummodo calido sit proportionatum, propterea prima, primo transacto anno, & ad summum duobus; secunda verò ad minus secundo, & forsan tertio, propter causam assignatam vetera dici poterunt. Cæterum pro anni tempore, ætate, regione, exercitio, & consuetudine sobrie bibatur. sobria enim vini potio, multa commoda affert, quæ in Isaac lib. 5. cap. proprio, videre studiosi poterunt sitis autem ex decreto Rasis loco citato nullo modo sustineatur. Modo de aqua dicamus.

De Aqua. Cap. XIX.



AQVARVM dulcium plures sunt differentiæ, pręcipuæ tamẽ sunt fontium, fluminum, lacuum, puteorum, paludum, & plnuialis, vel cisternæ. de medicatis autem aquis nihil in præsentiarum dicemus, quarum optimam scire eligere, expedit. optima illa censebitur, quæ pura, & tenuis erit: pura verò, quæ coloris, odoris, & saporis sit expersi ad hunc vero sensum dictarum conditionum expers vocabitur, quia in ea propria qualitas assignari non poterit, sed denominationis ratione, & alba, & dulcis & odora appellabitur. dicimus enim ipsas dulces, qa gustui gratæ sunt, & vt à salsis, & à cæteris saporatis aquis distinguuntur, vti odorę & albæ, vt a fœtidis, & ab his, quæ per putredinem, aut mixtionẽ, colores varios acquirunt, cognoscuntur, & separantur; Tenuis verò dicetur, si perspicua fuerit, & leuis, quæ leuitas non tantum ad pondus refertur, sed potius vt epota citius per corpus permeet,

& vt

& vt Hipp. quinto aph. 26. docuit, & Gal. in dicti aph. explanatione confirmauit, quæ ventri, & hypocundrijs grauis non sit, & rursus vt legumina in ipsa, & alia etiam cito coquantur, hoc autem à cita penetratione contingit, vti cita penetratio, à partium tenuitate ortum habet. Cæterum de aquarum bonitate, varij varia sensere, Nonnulli enim magnorum fluuiorum aquas cæteris præferunt, alii fontium solis ortum respicientium commendant, nõ desunt qui cisternæ optime paratæ alijs omnibus anteponũt. modo Hipp. audiamus, qui in libro de aere aquis, & locis nu. 14. & sequentibus, sic scriptum reliquit. optimæ aquæ illæ sunt, quæ ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt, hæ enim, & dulces sunt, & albæ, & vinum modicum ferre possunt, & hyeme calidæ fiunt, æstate vero frigidæ, tales enim fuerint ex profundissimis fontibus. maxime vero eas laudare oportet, quarum fluxiones ad solis exortus erumpunt, & præsertim ad æstiuos: necesse enim odoratas esse, & leues. & paulo inferius, quæ quidem aquæ, fontes suos ad orientes, hæ præ omnibus optimæ sunt, secundum ab his locum habent quæ inter æstiuos solis exortus, ac ocasus, emergunt, & magis hæ quæ ad orientem. tertio vero loco sunt quę inter occasus æstiuos ac hybernos scaturiunt, pessimæ vero, quæ ad austrum, & quę inter æstiuum ortum & occasum, & quæ ad australes plagas prauæ sunt, ad boreales vero meliores, & nu. 17. expleto, de aquis fontanis, sermone, de pluuialibus sic habet. Aquæ igitur pluuiales leuissimæ, & dulcissimę, & tenuissimæ sunt, primum enim sol, quod tenuissimum, ac leuissimum est, in aqua educit, ac sursum rapit, & non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex omnibus, in quibus aliquid humoris inest. & paulo inferius nu. 19. subdit, atque hæ quidem aquę optimę sunt, secundum hanc rationem, verum opus habent, vt de coquantur, & excolentur, sin minus odorem prauum habent, & raucedines, & vocis grauitatẽ bibentibus, inde accidere, par est, postea vero nu. 20. subdit. At vero aquę ex niue, & glacie productæ, omnes malę sunt, cum enim semel concretæ fuerint, amplius in pristinam naturam non restituuntur. De palustibus vero nu. 1[illegible]. eodem citato loco, sic scriptũ reliquit. Quæcũque igitur palustres sunt, & stabiles, ad lacustres, eas necesse est, æstate esse calidas, ac crassas, & olentes: cum enim non defluant, sed aqua pluuia semper noua inferatur, & sol urat, necesse est, ipsas decolores esse, & prauas, & biliosas, & cetera æque

sequun-

ſequuntur. De, fluuiatilibus rurſus nu 21. ſic habet Calculo vero maxime laborant homines, & ex renum affectibus, & vrinæ ſtillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus, in quæ alia deferuntur. ex dictis colligi facile poteſt, aquas fontium, qui ad æſtiuos ſolis exortus erumpunt, & à terreis collibus, et aliis locis ſublimibus fluunt, per Hipp. quod ceteris ſunt ſalubriores, poſt has vero aquæ pluuiales ſecundum locũ habent, leuiſſimas enim dulciſſimas, & tenuiſſimas ipſas vocauit, verum non omnes aquę ciſternæ bonæ, neque in omnibus temporibus collectæ neq; omnibus flantibus ventis, credendum eſt. quare quæ temporatiæ ab Hipp. dicuntur, loco infra citato. 6. de morb. vulg. aere quieto vel flante borea, aut tramontana, aliis quæ in aliis temporibus, & præcipue flante auſtro, ſunt meliores: & ſi quæ cum tonitruis decidunt, ab Hipp. 6. de morb. vulg. ſec. 4. tex. 19. magis laudentur, quę ſecundum artem purgatæ, in bonitate, pares aquis fontium, dici poſſunt. ambas enim optimas declarauit Hipp. tertium locum fluuiorum aquæ, ſibi ipſis aſciſcunt, vti quartum puteorum, quintum lacuum currentium, ſextum glacialium, ſeptimũ ſtagnorum. Cum aquis itaque, ab Hippocrate optimis vocatis, limphare vinum, vel purã bibere, vel coquenda coquere, & pro balneis, & lauacris, in vſu eſſe expediet. quòd ſi vel loci natura, vel mortalium incuria, aquæ bonę non haberentur, per cocturam, vt Hipp. eodem 6. de morb. vulg. ſec. 4. tex. 10. docuit, ad bonitatem reducantur, quæ coctura placida eſſe debet, & tantum prima bullitione compleatur, ne partibus ſubtilioribus reſolutis craſſiores remaneant. propterea, quæ in fundo reſident relinquãtur. cum, qua, præcipue iuxta hominum naturas ætatem, conſuetudinem, anni tempora, & vinorum fortitudinem, debilitatem ve dicta vina limphentur. Modo de aceto dicamus.

De Aceto. Cap. XX.



ACETVM, acetoſaque omnia in peſte ſalutaria eſſe, iã ſupra ſtatuimus, & hoc ratione. nam cum ex putredine peſtis oriatur, putredo vero ab humiditate ſuperflua, & à caliditate extranea cauſetur, per acetum autem refrigerari corpus, & humiditas conſumi commode poſſit,

remanet vt pro fuganda peste,& præseruandis ab ipsa corporib., salutare quàm maxime acetum existat, quod Hipp.2. de dicta. nu.13.ita scribens cõfirmauit,acetum frigefacit, quia colliquãs, humiditatem in corpore consumit.& certe ratione, cum omnis in eo humiditas putrescibilis adeo extincta sit, vt inde corrumpi amplius non possit.Cæterum debet esse de vino albo bono, nulla praua qualitate,aut mucore infecto,tale enim 2.de morbis,& in cerebro corrupto,& in febre ardente, exhibet Hipp. quod si esset rosatum in æstate,& gariophylatũ in hyeme, magis ipsum probaremus,verum quia ex eius vsu multi offendi possent,aut quia vẽtriculum debilem habeant,aut neruosas partes imbecilles, similiter quia pectore laborant,hinc vel passulatũ,sed potius mulsum, in dictis casibus dare expediet.quandoque & oxymeliti ipsum addere,ex decreto Hipp.3.de rat.vict.tex.37.optimum erit, vbi sic scriptum reliquit,si oxymel,& quidem multum, per totum morbi tempus profecturum existimaueris,paulum aceti, tantumque vt dumtaxat sentiri possit infunde,sic enim & iuuabit,& lædens minimum lædet,& ea,quæ oportet, præstabit. Gal. in com. sic ait, paululum aceti mulsæ infundendum, vt aceti vsu & commodo fruatur,& quod ab eo est deterrimum fugiat. Cæterum picrocholi minus omnib.ab eius vsu offendunt,melãcholici verò magis,quod 3.de vict.in acut.tex.39. sic inquiens docuit, vt autem in summa dicatur, quæ ab aceto est acredo, picrocholis magis,quàm melãcholicis prodest. & addit, amara si quidem dissoluuntur, desciscuntque in pituitam,cum ab aceto in sublime attolluntur,nigra autem fermentantur,atolluntur,& multiplicantur,quod mulieribus magis quàm viris aduersari asserit. vterum enim dolore, acetum afficit. hoc cum aqua supradicta bene limphatũ,pro præcautione à peste,& pro acetarijs & condimentis,dummodo eius vsum cætera non prohibeant, opportunissimũ,& maxime salutare,ordine præcipue præscripto inuenietur. Mo do,de medicatis potionibus agamus.

De potibus medicatis. *Cap. XXI.*



MEDICATOS appellamus potus,qui ex aquis stillatitiis,& conditis liquoribus,parantur,inter quos aqua acetosę, rationibus capite superiori præscriptis, principatum obti-

obtinet: cui succedit aqua borraginis, buglossæ, pimpinellæ, endiuiæ, cicerbitæ, melissæ, alleluiæ, oxis appellatæ, & similes.

Liquores conditi sunt, acredo citri, limonum, aranciorum, succus ribes, acetosæ, agrestæ, uinum granatorum, oxyzaccara, & acidus simplex. succi supradicti, cum zuccaro condiuntur, vti vinum granatorum debet esse de granatis muzzis, vel medii saporis, cum quo si Giuleb violatum, vel rosatum immisceretur, optima potio, & palato sapida esset, quæ simul cum aquis supradictis, ab illis, qui extra cibum bibere assueti sunt, immisceantur, & bibantur, præsertim tempore ęstiuo, & in biliosioribus corporibus, nam in frigidioribus, & tempore frigidiori, essent suspecti. qui loco vini si supra staret pestis, & proxima esset, in prādio, & cœna, pro potu esse poterunt. nunc Canones circa cibum & potum seruandos, ponamus.

Canones & regulæ circa cibum & potum seruandæ. Cap, XXII.



REGVLAS quasdam circa cibum, & potum seruare, necessarium esse, experiētia ipsa docet: quæ si non seruaretur, tantum abest, vt cibus & potus prodessent, vt maxime lædere possent. primum de regulis circa cibum sumendum dicamus, de reliquis vero deinceps. vnde prima erit, quod quis nisi natura requirēte, & famelicus comedere non debet, nihil enim peius quàm indigestum supra indigestum ponere. secunda, quod hora consueta cibus sumatur, tunc enim natura insurgit, & appetit. tertia, quod nullo modo quis ieiunet, aut cōmestio tardetur, ex præcepto Rasis tract. 4. cap. 25. & hoc quia quod non est plenum corpore, plenum aere esse, necesse est: à quo coinquinato lædi corpus facile poterit. quarta, cibus quantum fieri potest bene masticetur. quinta varia cibaria nisi ex consuetudine, vitentur: nam hoc habent, vt alterum prius, alterum vero posterius concoquatur, præcipue si præpostero ordine comedantur. quod si ex consuetudine varia assumentur, mollia semper, & quæ corruptioni obnoxia sunt præmittantur. sexta non plus ingeratur, quàm stomachus confice re potest, sed cum reliquiis famis à mensa discedant. septima in si

ne mensa semper aliquod stipticum absque potu sumatur, ne vapores à cibo eleuati, caput tentent. octaua quòd ieiuni è domo exire nullo pacto debent. nona quòd nec fructus in corrupto aere nati, nec animalia dictis fructibus nutrita, ex præcepto Auicennę. secunda, primi, doct. 2. cap. 7. & Rasis loc. cit. (ne comedentes inficiantur,) comedi debent. Modo regulas circa potum dicamus.

Circa potum quæri solet, an ante cibi assumptionem, & hora coctionis, bibendum sit: rursus quot vicibus: & quantam quantitatem quis potare possit, & debeat. primo, secundo quæsito de quantitate satisfaciamus, vnde dicimus, quod de potus quantitate, certa regula, (ratione diuersitatis temporis, ætatis, temperaturæ, regionis, & consuetudinis,) dari nullo modo potest, vniuersaliter tamen, tantus ac talis debet esse potus, vt cum eo in ventriculo cibus non fluctuet, sed bene ab eo amplecti, & à calore naturali euinci, & confici, nec non per vniuersum corpus digeri, commode possit. propterea tempore coctionis, quis bibere non debet, nisi existens humiditas in ventriculo sit consumpta, vel bibere sit assuetus: tunc enim vel cibus assaretur, vel ab ablata consueta potione, nocumentum pateretur: quæ consuetudo in rationalibus, alio non deuenit, nisi quia calor naturalis multum consumere valet, vt hinc humidi adiectione indigeat. Cæterum tempore pestis salubriter quis, vt cap. superiori dictum est, medicatos potus sumere poterit, ad quem locum recurras, alternatim enim hæc capita legantur. Modo ad primum quæsitum, ex præcepto Rasis tract. 4. ca. 9. dicimus, quod ieiuno stomacho nullus potus nisi medicinalis competit: relaxatur enim & humiditate non proportia: nata, repletur stomachus, vt inde subuersiones, & putredines facilime oriantur. An autem potus niue infrigidari debeat. Gal. in lib de succ. bon. & vit. cap. 13. sequentibus verbis ostendit, nam postquàm aridam corporis caliditatem, frigida aqua fugare docuit, subdit, neque vnus tamen sit vnicuique refrigerantis cibi, potusque modus. qui quidem niue vti consueuerunt, hac ipsa refrigerant ante: qui verò fontana, eadem hac recenti aqua vtũtur, nulla niuis necessitate. sit porrò dilutum quoque vinum ad hunc modum refrigeratum, sic namque vocare medici solent vina, antea gelidissima aqua refrigerata, vase videlicet quo vinum continetur, aquæ indito. & dictis addit. Atque hæc ego ijs

con-

consulo, qui vitam negotijs plenam degunt, cuiusmodi sunt, qui gentibus ac ciuitatibus regẽdis præsunt, horumque in primis mi nistri, nec sanè minus, qui militiam exercent, aut iter longinquũ ingrediuntur. At quicunque negotijs his soluti, degunt, ijs si quidem vt soliti sunt, se exerceant, per quam raro frigidæ vsus ne cessarius fuerit. Quod si non exerceant, ac caloris multum persen tiant, æstate vigente, tuto ij, fontanam biberint, repudiata niue, nã tam etsi ipsa statim nix noxa sensibili non videatur iuuenum corporibus officere, increscente tamen temporis processu, occulto, paulatimque noxa, vergente nempe ætate, articuli his, neruiq; ac viscera morbis corripiuntur, vix aut nunquàm sanandis. at verisimile certe fit, vt vnicuique ea potissimum corporis pars afficiatur, quæ natura omnium maxime infirma fuerit. hæc Galenus præter eas, quæ ab Hippocrate noxas, quinto, aph. 24. aph. perscripta fuere, dum dixit, frigida qualis nix aut glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinis profluuium, & distillationes. Modo de somno, & vigilia dicamus.

De somno & vigilia. Cap. XXIII.

QVONIAM post cibi, potusque assumptionem, calor naturalis intro retrahitur, hinc fumi ab eo geniti, ad cerebrum, tanquam ad totius caminum eleuantur, & somnum conciliant. quare de eo, in presenti capite sermonem habere, congruum videtur. sumpto itaque cibo, & mẽ te, & corpore quis quiescere debet, ne propter corporalem motũ, aut animæ in profundis cogitationibus immersionem, calor à coctione distrahatur, & ipsa vitietur: Cæterum dormiendum alicui non est, nisi prius superiores ventriculi partes, senserit alleuiatas, quod in duabus horis, vel circa contingere solet: ad quod leuis deambulatio, vel statio recta valet, tunc super dextrum latus dormiat, nam sic cibus fundum stomàci commodius petet, & à calore naturali melius fouebitur, cum ab hepate melius amplectatur, & ita laudabilior fiet concoctio. stomacho enim quòd lebeti accidere solet, continget. eleuato namque ab hepate calore, cum eius proprium sit ascendere, ad ipsum intensius mittetur, & inde melior coctio sequetur. quam veritatem princeps tertia primi doct. 2. cap. 9. docuit, cuius contrarium in dormitione super latus sinistrum

ſtrum euenire conſueuit, in qua cibus ad ventriculi fundum non deſcendit, & propterea non ita facile à calore natiuo ſuperatur, præter id, quod canna pulmonis contrahitur, & conſtringitur. celebrata vero coctione, ſupra latus ſiniſtrum quis iacere debet, tūc enim, melius hepate inteſtina comprimente, excrementa deſcendēt. adde quod cum cibus iam ſit coctus, tanto calore nō indiget: ſed ab eo potius aſſaretur, hoc vel maxime, quia eo tempore valde potens calor exiſtit: ſupra pabulum enim, vti ſupra multa ligna ignis adauctus, ipſum aſſaret vt in cibis facilis coctionis, in valido ſtomacho, in dies euenire conſpicimus. ſomnus itaque in ſanis ſit ſeptem horarum, vel circa: bene autem expergefactus, an ſtomachum, vel oculos ſentiat grauatos conſideret: quod ſi non, amplius non dormiat, ſuperflua enim dormitio multis ſuperfluitatibus corpus replet, & ſupra modum ipſum humectat, vti ſuperfluæ vigiliæ calorem incendunt, corpus deſiccant, malum colorem inducunt, & coleram rubeam multiplicant. ſupra ventrem autem dormire, quia ſtomachus comprimitur, & hinc illius fundum cibus petere non valet, & quia collum male ſituatur, niſi ex conſuetudine ſit laudare non poſſumus, poterit tamen ſtomachum habens debilem ſupra ipſum ceruical de pluma, vel ſacculū de aromatibus confectū tenere, & ita coctionē adiuuare: ad hoc catulus pinguis vel infantulus. vt Gal. 5. de ſimpl. med. c 6. placuit, ſed maxime ſpecioſa puella prodeſt, verum hoc in decrepitis, nec propterea amplexus tutos exiſtimamus; pcipue cū puella vt grauiſſimæ authoritatis viri, dixere. quæ à decimo quinto vſque ad decimum octauum annum eligi debet, ita dicit Guaynerius, qui eius pulchritudinem affatim deſcribit. dormire, autem reſupinum malum eſt, cum ſit cauſa præcipitationis materierum ad poſteriora, vnde apoplexia, paralyſis, & incubus originem trahunt. in meridie inſuper dormire malum, niſi ex conſuetudine. tunc per duas horas a cibo ſomnus ſit diſtans, capiteque eleuato caligis ve remotis, prçcipue in æſtate dormiens, in lecto dormiat, in quo ſint linteamina nitida, quæ ſecundum diuerſa tempora, diuerſimode ſint alterata & odorata, Vnde in æſtate cum roſis, violis ſandalis, & ſimilibus, in hyeme vero, cum ſpica, nuce muſcata, ireos, alterari poterunt: in æſtate in camera magis terrena, ſed non humida: hyeme autem in camera altiori dormiat, quæ borealibus ventis ſit expoſita. Modo de motu & quiete agamus.

Quomo-

Quomodo quis per motum & quietem præcaueri possit. *Cap.* XXIIII.



ICVTI pro cibi, potusque assumpti coctione, somnum maxime necessarium fore diximus, vt Hipp. primo aph. 15. docuit, ita pro cocti in somno cibi digestione, & ad vnum quodque membrorum separatione, motus & exercitium vtilissimum erit. merito igitur de motu & quiete in præsenti capite tractabimus. antea tamen, an vigente peste exercitium competat, erit videndũ, cui petitioni satisfacere non possumus, nisi pestis causarum diuisione resumpta, & exercitij distinctione habita. erant autem eius causæ venenatus aer, & humores non vulgari putredine putridi, quam per contagium pestem appellant, exercitium vero, in illud quod domi, & in illud quod in aere aperto sit, distinguendũ erit. his sic dispositis, dicimus, in pestilentia, quæ contagio interimit, exercitium competere, dũmodo infectos exercitator non incurrat, præcipue in aere septentrionem, & boream respiciente; meridionalibus verò, necnon & proximioribus ventis abscondito. & tunc erit verum dictum Rasis 17. continentis, quod in quadam peste ferè omnes venatores, & exercitio valido vtentes, ab ea intacti remansere. secus autem erit dicendum, si ex aeris coinquinatione pestis fieret: tunc enim vel non competet, vel domi exercitium factum expediet, quod ita fiet, vt multum aerem attrahere non coneris, & quem attrahes, peregrinior existat. Vnde vel scalas ascendere, & descendere, vel palum aut pilam iactare optimis erit. Cæterum exercitium satis salutare est, cum calorem naturalem adaugeat, & per idem excrementa eijciantur, quod Auic. tertia, primi doct. 2. & Auer. 6. col. cap. primo, & per processum confirmauit, cap. enim 9. ait, quod omnis calor est aduentitius, præter calorem qui acquiritur per exercitium. Gal. quoque 2. de san. tuend. cap. 2. idem comprobauit, vbi multa, & pulchra de exercitio videant studiosi, præcipue quando dici possit aliquem ad sufficientiam se exercitasse, vbi dat signum de inspissatione anhelitus, & si 3. de morb. vulg. text. com. 8 sudor finis exercitationis ponatur, qui ita stillet, vt ex aquæ ductibus, aqua. quæ verba multa indigent inquisitione, & inuestigatione. cæterum ex professo in

numera Galeni, & Hipp. loca silentio inuoluere voluimus, ne in magnum volumen tractatus excresceret. Quod exercitium debet esse moderatum, & ieiuno stomacho. eo enim repleto, si exercitium fieret, dolores viscerum exercitatus incurreret, & presertim hepatis, vt Galenus lib. de sal. diet. tex. com. 32. clare docuit. Verum leuis deambulatio, vt stomacho fundum cibus petat, nõ erit inutilis, Quod Auic. 3. primi, doct. 2. cap. 7. docuit, insuper quis statim ab exercitio cibum sumere non debet, membra enim incalefacta, incoctum cibum attrahent, & inde cruditates nõ paucæ generabuntur. Rursus secundum varias naturas, ætatem, artem, & consuetudinem exercitium variare expediet. frigidiorib. enim naturis, tempore frigidiori, iuuenibus, & assuetis, magis cõuenit, quàm his contrarijs. quod si aliquo impedimento exercitium fieri non licebit, eius vice frictiones cum panno non nimis aspero, fieri poterunt, quæ à cruribus ad tibias vt Guainerio placuit, incipere debent, à tibiis ad brachia, à brachijs ad pectus, semper inferius trahendo, quæ modo validiores, aliquando minus validæ, secundum conditiones dictas de exercitio, fieri debent, Cæterum emunctoria loca, ab immunditiis munda teneantur, vt per ipsa nobiliorum viscerum superfluitates, natura commode expurgare possit; De mane pectine eburneo caput mundetur, maxime enim ad vaporum superfluorum resolutionem, capitisque alleuiationem facere consueuit. quod si solitus sit caput lauare, cum lixiuio in quo capitalia ebullierint, secundum temporũ naturarumque varietatem, lauare expediet, vti pedes, & faciem in assuetis, & precipue in his, qui æstatis tempore, ob nimium sudorem pedes fœtidos habent. Sed nunc tempus est, vt post positis inanitione. & repletione, de animæ accidentibus primo agamus.

De animæ accidentibus. Cap. XXV.



QVoniam nulla hominis disciplina, ita mores temperare, & moderare, aut animæ impetus ita comprimere, & sedare potest; quin horum procellis, & fluctibus semper iactetur; iure animę perturbationes inter morbificas causas collocantur, vt lib. art. medi. cap. 85. docuit Gal. sunt etenim metus, męstitia, gaudiũ, amor, angonia, verecundia, etsi sint, qui furorem, & odium addãt, Quorum

rum furor, ira, amor, gaudium, & verecundia, corpus calefaciunt, timor vero tristitia, odium & angonia, corpus refrigerant. Animæ perturbationes, etsi moderatæ sint, nullum in sanitate habent locum, præter gaudium, hoc enim cor exhilarans, spiritus lætitia diffundit, natiuum suscitat calorem, sanguinem & humores extenuat, quibus salus comparatur, conseruaturque sanitas. At profusum & insolens gaudium, spiritum, caloremque tam vehementer à corde in corporis extima effundit, & dissipat, vt id caloris beneficio prorsus destitutum, vel syncope, aut repentina morte corruat; quod aliquando, senibus tamen, & imbecillibus contigisse, memoriæ proditum est; quòd Galenus quinto, de locis aff. cap. primo cõfirmauit. Ita verò calorem, & spiritum è corde foras repente promouet, ex qua nemo sublatus, nec à dissipato calore in syncopem lapsus fuit, solis enim fortibus, & audacibus, & his qui multo calore abundant, vehemens iracundia præsto est. In his itaque dum cor ira exardescit, inflammatus calor in omnia effertur, vt tunc homo extra se percitus feratur. ea spiritus primum, deinde humores, corpusque deinceps calefacit, inflammat, & plerũque in ephemeram, & in synochum agit, aut si cachochinia subest, in putridam febrem & quandoque in pestilentem, necnon in alios morbos, qui à bile procreantur, præcipitare facit, hoc vnum boni præstat vt ortos à frigidiori materia morbos, fugare possit, quod Titi Vespasiani exemplo historiis proditum est, qui cum membra impedita haberet, ira percitus, & furore commotus, calor adauctus impedimẽta tollere, & ipsum liberum reddere valuit. Tristitia, & timor calorem, & spiritus, hic quidem subito, illa verò paulatim & impetu nullo intro reuocat: propterea externas corporis partes ambo refrigerant, calor enim & spiritus ad cor tantum recurrũt, à quo recursu uehementer ipsum premi, & præfocari, pulsus parui, tardi, rari, & imbecilles ostendunt, præsertim autem tristitia, quæ corpus totum, & cor refrigerat, & exiccat, innatum calorem, & spiritus dissipat, & extinguit, vigilias siccitate inducit, coctionẽ refrigeratione labefactat, & corrumpit; sanguinem, cæterosque humores incrassat, & in melãcholiam incidere facit, desipientiamque conciliat; aliquando verò dictorum corpora atrophia consumit, & in marcorem, aliosque frigidos morbos ruit, vt tempore consumpti pereant, quod Gal. loc. cit. v. de loc. affect. clare ostendit, spiritus enim tristis corrodit ossa, vt Salomon, in parabolis

scriptum

ſcriptum reliquit. non minora dictis pericula timor incutit, qui cæco, & repentino motu, immo impetu, percellens, non paucis calore cordis ui ſuffocato, vitã adimit, cunctis enim vires ſubtrhait, ipſe timor. Cæterum cur timentibus aluus ſoluatur, vel interdũ vrina perfundatur, retractio caloris ad intima, & eius repentinus recurſus, à ſuperioribus ad inferiora, in cauſa eſſe poteſt, ad cuius retractionem & vigorationem, excrementa expelluntur, & exeũt. vel euenit, quia portio materiæ in timore commotæ, naturam ſtimulans, ad illa loca demandatur, poteſt etiam à muſculorum illarum partium relaxatione contingere, cum à calore deſtituantur, vnde non retenta ab eis excrementa, pondere proprio deorſum tendentia foras exeũt. prima autẽ reſponſio eſt Ariſt prima probl. 26. Agonia vero cum ex timore & ira conſtet; vt 2. de ſympt. cauſ. cap. 5. docuit Gal. communes effectus parit, ad quas dictas paſſiones cæteræ reducuntur, quas breuitati ſtudentes ſilentio inuoluimus. omnia itaque animi accidentia fugienda ſunt, & tantum gaudium, & illud moderatum amplectatur. ſimiliter & rebus, quę delectationem afferre ſolent, qui à peſte præcaueri cupiunt, incũbant, vt cantilenis, ſonis, & librorum lectionibus, qui de rebus geſtis pertractent, dummodo ſolamen afferant. de rebus verò moleisſt, nedum ſermo, ſed nec imaginatio habeatur. Modo de venere agamus.

Quomodo quem vt à peſte præcaueatur circa venerea ſe habere expediat. Cap. XXVI.



QVONIAM, qui vitioſis ſuapte natura abundãt humoribus, & illis acrioribus, & pleni ſunt, & in ocio & dilicate educati, & rurſus venere vti ſunt aſſueti, ſi ab ea abſtineãt, multa, & ſcæua ſymptomata ĩcurrũt, vt à Gal. 6. de loc aff. cap. 5. habetur, hac de re, vt noxã, quæ à retento ſemine eis accidere poſſet, aufugiant, Quomodo venere vti debeant docebimus, ex eius enim aſſueta dimiſſione, multi, & ſcæuiſſimi morbi, vt dictũ eſt, cõtingũt, vt 4. probl. pbl. 29. ab Ariſt. habetur, & præter cætera, improuiſam mortẽ, & peſtẽ, cum venenatæ materiæ quid ſimile, à ſemine corrupto generetur. ſit itaque eius moderatus vſus, per ipſum namque ex eis, quæ

sunt præter naturam, nihil accidet, cum semen sit vna superfluitatum à natura, vt pro conceptione expellatur, parata: bona itaq; est dicta superfluitas, propterea, paruus error à superflua eius euacuatione, magnum nocumentum afferre potest, hac de re plurimi sapientum, vsum coitus pro sanitatis conseruatione prohibuerũt: Ita dicit Auer. 6. col. cap. 7. Nos autem dicimus, quod coitus moderatus clarificat sanguinem, illustrat spiritus, tollit superfluitatẽ quanti, & lætificat cor, ita dicit Herculanus cap. 74. vbi agit de tremore cordis. Arist. quoque. 4. probl. probl. 30. melancholiam leuare asserit. cæterum coitus intemperatus desiccat corpus, cerebrum, & neruos hebetat, canitiem, & senectutem accelerat, & quãdoque consumpto humido, & spiritibus resolutis, mors sequitur, præter id quòd podagram parit, & vniuersales ægritudines iuncturarum, vt Arist. par. 10. probl. 37. affirmauit. ab intẽpestiuo itaque, & nimio coitu, qui sanitate frui cupiunt omnino abstineant: similiter frigidi & sicci natura, senes, phlegmatici, & macri pauco vtãtur coitu, & si morbis à phlegmate ortis, coitus prosit, vt 6. Epid. sec. 6. & prima particula problemate. 50. habetur. secus faciendum est, à potentioribus, calidis, & humidis natura, ab assuetis, & ab his, qui delicate viuunt. Cæterum tempus in quo quis eo vti debeat opportunius, vt Gal. in lib. art. med. cap. 86. placuit, est cum omnium rerum in exquisita mediocritate corpus fuerit constitutum, cum scilicet nec supra modum plenum, nec vacuum extiterit, aut in calore, vel frigore, aut siccitate, aut humiditate corpus excesserit. quod si aberrare contigerit, error sit paruus. melius autem illi calefacto, quàm refrigerato, pleno, quàm vacuo, & humectato potius corpore, quàm exiccato, vti venereis expedit, quod secundum Ecclesiæ Canones fieri debere putandum est. nubant itaque, qui abstinere ab eo nõ possunt, vnde Paulus melius est nubere, quàm vri, & sic sit completus sermo de coitu. Modo de inanitione, & repletione dicendum est. Nota

De inanitione, & repletione. *Cap.* XXVII.



QVONIAM corpora, quæ intemperato vtuntur coitu, inaniuntur, ea verò, quæ ab eo abstinent, cæteris paribus replentur, hac de re, de inanitione, & repletione vt sex rerum non naturalium, maxime tamen necessariarum,

ſariarum,ſermo compleatur,in hoc capite facere mentionem decreuimus,precipue cum repletioni,inanitionique, medicinæ partes correſpondeant,quæ in eius definitione ab Hipp.ſunt enumeratæ,adiectio ſcilicet,& ſubtractio,ex quibus artem medicam cõſtare,manifeſtum eſt.maxime enim, & omnis noxa, ex repletione, & inanitione mortalibus ingruere conſueuit . nam ex repletione ciborum,& ſi eos ventriculus bene concoquat,venæ tamen,ſupra quàm par eſt,repletę,laborant,diſtenduntur,rumpuntur,obſtruũtur,& flatu implentur: prȩter id quod maximarum ægritudinum repletio cauſa exiſtit, quod Oribaſius in compendio ſuæ medicinæ lib.5.cap.27.confirmauit.itaque aliquis, niſi cum reliquijs famis à menſa ſurgere non debet, mala enim eſt comeſtio, quæ ſtomacho grauedinem facit, deterior adhuc potus, qui temperamentum egreditur, & in ſtomaco fluctuationem excitat, vt Auicen. 3. primi, doct. 2.cap. 7. docuit . non debet propterea ita parum quis comedere, vt inde virtutis debilitas ſequatur, præcipue tempore peſtis,quo tempore fames aut ſitis, nullo modo tolerand a eſt,vt prima 4 tract.4.cap.5. docuit Auic. nam ex eorum tolerantia facile quis peſtem incurreret.non debet itaque aliquis ſupra modum quouis modo exinaniri,ſed omni ingenio,vt ſolita excrementa,per conſuetas regiones expurgentur,curet,& præſertim horis conſuetis, in quibus ad expellendum natura inſurgit, Nolo modo recenſere dictiones quinque ab F. litera incipientes, quæ vt aliquis peſtem incurrat, maxime faciunt, ſunt etenim fames,fatica,fructus, fœmina, flatus . nec volo connumerare alias quinque peſtem pellentes,quæ ſunt flebothomia,focus,fuga,fricatio,fluxus,& per fluxum intelligenda eſt euacuatio, ſi humores ſuperfluunt. Cæterum ſi venter non reſponderet,clyſteribus, & ſuppoſitoriis ſollicitetur.ad quam intentionem,coriandrum conditum, ſed magis granum ſalis, groſſum tamen, & in oleo intinctum ſuppoſitum facit. Cæterum quia multi ſuppoſitoria & clyſteres abhorrẽt & libentius quæ fęces educere poſſunt per os ſumunt, hac de re quibus corpora lubrica teneri poſſint, docebimus, inter cætera ſequens puluis maxime laudatur.

℞. Pulueris ſenæ ʒ. j.
Tartari vini albi ʒ. iij.
Zinziberis.
Nucis muſcatæ. } ana. ʒ. s.
Macis.

Fiat

Fiat omnium puluis, dosis sit ʒ. i.s. cum brodio pulli, quod si magis in forma potabili arrideret, tali modo confici poterit.

℞. Senæ mundæ. ʒ. vi. vel ℥. j.
Passularum mundatarum. ℥. j.
Cinnamomi } ana. ℈. s.
Macis

Bulliant in suf. q. brodii. secundũ art. & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, & in aurora tepide expressum capiatur. Cui si aliquid mellis rosacei solutiui, vel syr. ros. aut mannæ adderetur, fœlicior operatio inde sequeretur. at si magis confectionem appeteret, sequenti ordine paretur.

℞. Passularum mundatarum. ℥. iiij.
Senę mundæ ʒ. vj.
Polipodii quercini ℥. j. s.
Epithymi ℥. s.
Macis } ana. ʒ. j.
Cinnamomi.

Bulliant in suff. p. seri caprini. s. ar. & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, in qua expressione, feruenti tamen, passulæ supradictæ ponantur, quæ lento igne aliquantulum bulliant, vt dicto decocto imbibantur, quibus adde.

Pul. senæ. ℥. s.
Pul. Epithymi. ʒ. ij.
Conseruæ prunorum. ℥. ij.
Syr. ros. sol. ℥. iij.

Fiat electuarium. s. ar. de quo capiatur cochleare, per tres horas ante cibum. in quo electuario loco syr. ros. solu. manna poterit apponi, vt in decocto rhabarbarum agaricus, turbit, mirabolani & similes secundum operantis intentionem, addi poterunt. & hac tanta, de sex rebus non naturalibus dicta sufficiant. Modo quomodo per venæ sectionem à peste præcaueri possit, dicamus.

De præcautione à peste per venæ sectionem. Cap. XXVIII.

QVIA sæpe accidit, vt qui victu sunt intemperantes, aut bono non vtentes regimine, humorum quandoque copia, & aliquando eorum prauitate premantur, quę copia vel ad vires, vel ad vasorum amplitudinem, quibus succi continentur, dicitur pertinere: ideo cum humorum molem natura regulare non queat, prærer id, quod distentionis venarum, & earundem disruptionis, periculum imminet, tales facile peste corriperentur. Quare venæ sectio pro præ cautione ab ea maxime eis salutaris existet. Non enim tantū præsentes morbos tollit, sed futuros perbelle inhibet, vt in lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 7. docuit Gal. ab ea enim humorum multitudo commode tollitur, vt eod. li. cap. 4. & 8. nec non in lib. quos & quando purg. oportet, principium, idem scriptum reliquit, quæ venæ sectio, iuxta plenitudinem, vires, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, nec non varia loca affecta, & quantum ad copiam, & quantum ad loca, varianda erit. varij namque, & in varijs corporis partibus cruciantur, vt in exemplo, si quis superca lefacto hepate laborat, basilica secta, ei proderit: sicuti si quis capi te cruciabitur, à cephalica minuendus ei erit, sanguis. vti si complicato affectu tenebitur, communis secta vena proderit: quę sectio venæ cum cautela molienda erit, neruus enim dictę venæ sub iectus existit. Quod si hemorroides solitæ fluere factæ essent cecæ vti in suppressis mensibus, vel in parū menstruantibus, à saphena sanguinem detrahere expediet. at in liene affecto, & affecto corde, lateris sinistri basilica præferetur; semper tamen ab eodem late re, rectitudinem seruando, venam secabis: ab opposito enim aut tardam, aut nullam affert vtilitatem, vt eod. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 15. Gal. demonstrauit. De quantitate vero certa ratio dari non potest, nam si aliquis maxima plenitudine & quo ad vires, & quo ad vasa premeretur, maior ei quātitas sanguinis, quam illi, qui minori abundauerit, mitti debet: libentius autem, & liberalius secari vena poterit si cui mittitur sit assuetus, iuuenis, sanguineæ complexionis, in ocio, delicateque educatus, & tēpore veris; vti parcius ei, qui dictis conditionibus contrarias possidebit

sidebit. Cæterũ si plenitudine tãtũ abũdet, nec aliqua corporis parte laboret, iecoraria vena appellata secetur, ab ea enim tãquam à fonte, sanguis vna cum multitudine educitur. de iteratione verò sectionis venæ dicendum, quod si aliquis, aliquas ægritudines solitus sit pati, & propterea non semel tantum in anno, sed reiterato sanguinem miserit, præcipue si multo sanguine abundet; huic non semel tantum, sed reiterato, eodem anno mittere sanguinem proderit, sicuti optimum erit, pueris, senibus, & his, qui natura sunt imbecilliores, non vnica vice totam sanguinis quantitatem detrahere, sed potius reiterato mittere, vnde partiri in talibus sectionem venæ congruum putamus. quod si vel ob ætatem, vel ob aliam causam, sectio venæ non conuenerit, cucurbitulas eius loco cum sacrificatione, vel hyrudines in varijs corporis partibus, prout occasio & necessitas expostulabit, affigere, salutare existimamus: animaduertentes, vt ante venæ sectionem, vel sanguinis quomodocunque extractionem, clystere commune præmittatur. &, si à sectione fieret, error non committeretur. sed tempus instat, vt de pharmacia agamus.

De præcautione à peste per pharmaciam *Cap.* XXIX.

SICVTI qui sunt intemperantes in plethorã cadẽtes sectione venæ, ita qui prauo vtuntur regimine, purgatione indigent, vt à peste præseruentur. à prauo enim regimine, praui humores in corpore generantur, qui purgatione tolluntur, vt Gal. lib. quos, & quando purgare oportet ad principium imperauit. hoc vel maxime in his, qui aliquo anni tempore, à morbo aliquo corripiũtur, & propterea purgari sunt assueti. Verum quia purgatio diuersimode, pro diuersarum temperaturarum, diuersorumque humorum exuberantia, fieri debet, ad quod cõcurrit ætas, anni tempus, & reliqua; hinc fit, vt vnus vno, & alter altero medicamento, opus habeat: vt plurimum autem leuioribus sunt expurgandi, nam sic parata corpora, cum agens in passum dispositum agat nutu Altissimi, peste non corripientur. & ne confuse procedatur, primo quibus medicamentis biliosi humores expurgandi sint, & rursus quomodo concoquendi, de aliis vero deinceps differemus.

De

De expurgantibus, & vt dicunt bilem minorantibus. & ipsam præparantibus. Cap. XXX.



T si Hipp. humorum euacuationem, non concocta materia primo aphor. 22. maxime damnare videatur, cum tamen nos, non completam facere euacuationem, nec cum validioribus intendamus, ipsam premittere, iure merito possumus; hoc vel maxime quia à sarcina natura alleuiata reliquum regulare, & eductione parare, melius poterit, vnde bilis cum cassia, manna, rhabarbaro, tamarindis, sir. ros. & viol. sol. diapruno non sol. & Trifera persica commode minorabitur. vt.

℞. Floris Cassię. n. tr. ℥. j. s.
Cinnamomi ℈. s.

Misce, cum Zuccaro fiat bolus, capiat per horam ante cibum, vel modo sequenti paretur.

℞. Floris Cassiæ. n. tr. ℥. j.
Triferæ persicæ ℥. s.

Misce, cum zuccaro fiat bolus, capiat per horam ante cibum. nec verearis triferam immiscere, quia inter clementia pharmaca numeratur, præter id, quod venenosæ materiæ aduersatur. in forma verò potabili hoc modo paretur.

℞. Syr. ros. sol. ℥. iiij.
Triferæ persicæ. ʒ. ij. vel ʒ. iij.

Cum decocto cordiali fiat potus, capiat per horam ante cibum.

Pro delicatis sic paretur.

℞. Senę mundæ ℥. s.
Tamarindorum ʒ. iij.
Cinnamomi. parum.
Seminis anisorum. } ana. ʒ. j.
Agarici trocișcati. }

Bulliant in suff. quant. aquæ borraginis cum paucis floribus cordialibus, s. ar. & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, expressioni adde.

Mannæ electæ ℥. ij. vel ij. s.

Fiat potus: capiat per horam ante cibum. quę omnes præter cassiam si per horam antę diem exhiberentur, error non committeretur,

retur. & quoniam non deſunt, qui in forma pillulari libentius purgationes accipiunt, hac de re pillulas nullo pacto dimittere volui, quæ hoc modo parantur.

℞. Pill. de tribus Ruffi. ʒ. ij. vel ʒ. iij.

Cum aqua acet. fiat bolus. capiat poſt mediam noctem. vel fiat ſic

℞. Pillul. de tribus Ruffi.
Aurearum. } an. ʒ. i.

Reformetur bolus cum aqua cicerbitæ, capiat poſt mediam noctem, notantes quod die ſequenti ab aſſumpto minoratiuo, ſemper cliſtere, vel lauatiuum, vel commune, ſecundum opportunitatem, inijcere ſalutare erit, modo reliquum concoquatur, quæ concoctio, cum decocto cicoreæ, borraginis lupulorum, cicerbitæ tormentillæ, pimpinellæ, endiuiæ, lactucæ. s. quatuor frigidorum maiorum, & minorum expletur, vt ſic.

℞. Cicoreæ.
Borraginis.
Lupulorum.
Acetoſæ
Cicerbitæ
Pimpinellæ.
Tormentillæ. } an. pug. s.

Sem. quatuor communium frigid. maio. an. ʒ. ij.

Bulliant in ſuff. q. aquæ pluuialis. s. ar.

℞. Prædicti decocti. ℥. iiij.

Syr. de ſucco acetoſæ.
De endiuia.
De lupulis vel contra peſtẽ.
Oxizaccaræ. } an. ℥. s.

Miſce pro ſyrupo. qui tamdiu exhibeatur, quam diu eductioni materia erit parata, vel ad minus per ſeptem dies, poſtea tali modo euacuetur.

℞. Rhabarbari electi. s. ar. infuſi, & expreſſi. ʒ. ij.

Diaprunis non ſol.
Triferæ perſicæ. } an. ʒ. ij. s. vel iij.

Agarici troc. ʒ. i.

Syr. de pomis. ℥. j.

Cum decocto ſui ſyr. fiat potus, capiat per horam ante diem.

ar e sequenti fiat clistere lauatiuum. notantes quòd rarò, sed potius numquam humor peccans sincerus datur, sed à dominio denominatio orietur. modo de his, quæ phlegma minorant, & eductioni parant, dicamus.

De præparantibus & minorantibus phlegma. Cap. XXXI.

QVoniam materia phlegmatica crassa, vt plurimum & viscida est, propterea nisi sit in vijs ductum, & in adeo exuberanti copia, vt inde suffocatio, vel aliud malum timeretur, antequàm educatur, & minoretur, eductioni paranda erit, quod si prius ipsam minorare dictis de causis opus esset, tali modo in forma potabili minoretur.

℞. mel. ros. sol. ℥. iii.
Diafiniconis ʒ. iii.
Agarici trociscati. ʒ. i.

Cum aqua betonicę vel decocti sui syr. fiat potus, capiat per horam ante diem. vel in forma bolari paretur sic.

℞. Electuarii ind. maio. ʒ. iii.
Floris cassiæ nou. tract. ℥. i.

Cum zucchero fiat bolus. capiat per horam ante diem in forma verò pillulari tali modo paretur.

℞. Pillularum de tribus Ruffi.
Pill. de hiera cum agarico. } an. ʒ. i.

Cum aqua saluiæ reformentur pillulæ; vel fiat bolus. capiat per tres horas ante diem. Die sequenti fiat Clistere lauatiuum & reliquum eductioni paretur, paratur autem cum decocto betonicæ Iuæ, melissæ, saluiæ, pulegii, dictamni, cardi benedicti, nucis musc. thymi, helenii, vt

℞. Decocti betonicæ.
Dictamni.
Saluiæ.
Pulegii.
Cardi benedicti.
Nucis muscatæ.
Radicis fœniculi
Asparagorum.
Brusci. } an. ℥. iiii.

Syr.

Syr. de betonica.
Mel. rof.
Oxymel fimp. } an. ℥. s.
Syr. contra peftē.

Mifce pro fyr. qui exhibeatur per nouem, aut undecim dies, vel quoufque materia eductioni fuerit parata, tunc cum his, quæ fequuntur educatur.

℞. Mel. rof. fol. ℥. ii. vel ℥. iii.
Diafiniconis vel
electuarii. ind. ma. ℥. s.

Cum decocto fenę fiat potus, capiat per duas horas ante diem. vel hoc modo paretur.

℞. Senæ mundæ. ℥ s.
Turbit gummofi, & abrafi. ʒ. ij. s.
Sem. Cartami. ʒ. ii.
Cinnamomi. ℈. i.
Zinziberis. ʒ. s.
Agarici
Sem. aniforum. } an. ʒ. i.
Salis Gemmæ. ℈. i.

Bulliant in fuf. q. decocti fui fyr. vel in aqua betonicæ cum paucis floribus cord. s. ar. & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, expreffioni adde.
mel. rof. fol. ℥. ii. vel ii. s.

Fiat potus. capiat per duas horas ante diem, & quoniam ifte humor, vt plurimum craffus vifcidufque exiftit, hinc multoties contingit, vt una vice complete, nec eductioni paretur, nec educatur, propterea digeftiua & eductiua repetere neceffarium putamus. & non tantum hæc facere, expediet, fed ad validiora pertranfire congruum & neceffarium erit. in quo fupradicto decocto addendi erunt fyr. de hyffopo, de quinque rad. cum aceto, de ftœcade, oxymel compof. & apud neceffitatem fquilliticum, quæ eductioni parata materia eradicetur cum his, quæ fequuntur, & primo in forma pillulari fic.

℞. Pillularum cochiarum.
De agarico. } an. ℈. ii.

Cum aqua faluiæ reformentur pillulæ. v. cap per horam ante diem & cena fit leuis: vel loco dictarum pillularum ponantur

Pillulæ, de ſerapino de hiera ma: & fœtidæ, hoc vel maxime, ſi materia in iuncturis, & in locis remotiorib. cõtineretur. quod ſi in forma potabili magis aſſumere liberet, hoc modo paretur.

℞. Rhabarbari electi. } an. ℈. iii.
Agarici troc. }

Infundantur. s. ar. in s. q. aquæ betonicæ, & pauco uini, & facta competenti expreſſione ei adde.

Mellis roſ. ſol. ℥. ii.
Diaſiniconis. ʒ. iii.

Fiat potus, cum decocto ſui ſyr. ſi opus eſt. capiat per duas horas ante diem, quam ſequenti etiam modo parare poteris.

℞. Mirabo. chebulorum. ʒ. ii.
Senæ mundæ. ʒ. iii.
Turbit Gummoſi. ʒ. i. s.
Agarici electi. } an. ʒ. i.
S. Cartami. }
Sem. aniſorum. ʒ. i. s.
Zinzib. ʒ. j.
Cinnamomi. } an. ℈. i.
Salis Gemmæ. }
Florum cordial. an. parum.

Bulliant in s. q. aquæ betonicæ, uel decocti ſui ſyr. s. ar. & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, expreſſioni adde.

Mellis roſ. ſol. ℥. ii.

Fiat potus, capiat per duas horas ante diem. Modo de præparantibus, minorantibus, & educentibus humorem melancholicum agamus.

De his, quæ melancholiam minorant præparant, & educunt. Cap. XXXII.



Iam de minorantibus, præparantibus, & educentibus bilem, & pituitam hucuſque tractauimus. modo de his quæ melãcholicum humorem minorare, cõcoquere, & educere poſſunt, diſſeramus, ab eius minoratione (ſi minoranda erit materia) ſumpto exordio, quæ cũ

mitio-

mitioribus fieri debet. vt sic.

℞. Senæ mundæ. ʒ. v.
Epitymi. ʒ. iii.
Cinnamomi. ℈. i.
Sem. anisorum. } ann. ʒ. i.
Agarici troc. }
Florum cordial. an. parum.

Bulliant in s. q. aquæ borrag. vel seri caprini. s. ar. & per totã noctem infundantur. de mane colentur, & exprimantur. expressioni adde.

Syr. ros. sol. ℥. ii.

Fiat potus. capiat per horam ante diem. vel sequenti modo paretur.

℞. Epitymi. ʒ. vi.
Cinnamomi. ℈. j.
S. anisorum. ʒ. i. s.

Bulliant in s. q. seri caprini. s. ar. & per totam noctem infundantur. de mane colentur, & exprimantur. expressioni adde

Syr. viol. sol. ℥. ij.

Fiat potus. capiat per duas horas ante diem. die sequenti fiat clistere lauatiuum. reliquum eductioni paretur. paratur autem cum decocto melissæ, borraginis, lupulorum, capillorum veneris, citrach, tamarisci, chamedreos, violarum, corticum radicum capparorum, vt,

℞. Decocti melissæ.
Borraginis.
Capillorum veneris.
Chamedreos.
Tamarisci.
Citrach.
Corticum rad. capparorum. ℥. iiij.
Syr. de borragine. }
De pomis. } ann. ℥. s.
De Epitymo. }
Syr. contra pestem. }

Misce pro syr. cui addi poterunt, Oxymel compositum, & quandoque scilliticum. quę parata eductioni materia, per nouẽ, aut undecim dies educatur.

℞. Mirab. Indorum.
Epithymi. } ann. ʒ. iij.
Cinnamomi.
Semi. anisorum. } ana. ℈. j.

Pulverizentur mirab olani, & cum oleo amygd. dulcium fricentur, bulliant in suf. q. aquæ melissæ. s. ar. & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, expressioni adde.

Diasenæ Nic. ʒ. iij.
Syr. viol. sol. ℥. ij.

Fiat potus. capiat per duas horas ante diem. Quod si libentius in forma pillulari assumerent patientes, tali modo paretur.

℞. Pillularum de lapide lazuli.
Indarum. } ann. ℈. ij.

Reformentur pillulæ v. cũ aqua viol. capiat post mediam noctem, ad quam intentionem, pillulæ Indę minores, & pillulæ de lapide armeno, maxime faciunt. Quod si melãcholia esset per adustionem bilis; dictis supra in pręparatione melãcholię, fumo terra, cicorea, & endiuia addantur: pro eductione vero, confectio Amech supra omnia habet prærogatiuam, etsi trifera persica, maximopere laudetur. Modo de his, quæ phlegma salsum respiciunt agamus.

De his, quæ Phlegma salsum minorant præparant, & educunt. Cap. XXXIII.


Inorat à proprietate phlegma salsum, polipodium quercinum, & syrupus de polipodio vt,

℞. Syr. de polipodio. ℥. iiij.

Cum decocto trium dracmarum senæ, fiat potus. capiat per duas horas ante diem. reliquum eductioni paretur cum his,

℞. Decocti Cicoreæ.
Borraginis.
Lupulorum.
Fumoterræ.
Endiuiæ.

Violarum. ℥. iiij.
Syr. viol.
De lupulis.
De fumoterræ. } ann. ℥. s.
Acetos. simpl.

Misce pro syr. qua euacuationi parata materia cum hoc quod sequitur expurgetur.

℞. syr. de polipodio. ℥. iiij.
Confectionis Amech. ʒ. ij.

Cum decocto sui syr. fiat potus, capiat per duas horas antediem. vel paretur modo sequenti,

℞. Polipodii quercini. ℥. i. s.
Cinnamomi. ℈. i.
Sem. anisorum.
Agar. troc. } ann. ʒ. j.

Bulliant cum paucis floribus cordial. in s. q. seri caprini, & per totam noctem infundantur, de mane colentur, & exprimantur, expressioni adde.

Confectionis Amech. ʒ. iij. vel ℥. s.
Syr. uiol. sol. ℥. i. s.

Fiat potus. capiat per horas duas ante diem. quod si in forma pillulari libentius acciperet, tali modo parentur.

℞. Pillularum de fumoterræ. ʒ. i. s. vel ʒ. ij.

Reformentur pillulæ nu. v. cum aqua uiol. capiat post mediā noctem. die sequenti fiat clistere lauatiuum. Modo de clisterijs & suppositoriis agamus.

De euacuationibus, quæ per clisteria & per suppositoria fiunt. Cap. XXXIIII.



QVoniam non desunt, qui medicamenta adeo abhorrent, ut ipsa nullo pacto assumant, vel si assumūt, euomunt, etsi ipsa retinent, nocētur; hac de re, quo modo cum clisteribus, & suppositoriis euacuari possint, ostendemus, eorum nonnullas formulas describentes. & primo de lenitiuo clistere dicemus, quod tali modo paratur.

℞. Radicum altheæ. ℥. ii.
Maluarum.
Parietariæ.
Mercurialis.
Betæ.
} ann. m. i.
Bulliant in suff. q. aq. s. ar.
℞. Prædicti decocti. ℔. i. s.
Olei communis. ℥. v.
Salis parum.
Vitelli ouorum. num. ii.
Misce pro clistere, & per duas horas ante cibum iniiciatur. sed quoniam multoties accidit, vt flatuositates plurimæ in his, qui adstrictam aluum habent, generent; hac de re clistere flatuũ dissipatiuum describemus, quod sequenti modo paratur.
℞. Camemillæ.
Meliloti.
Anethi.
} ann. m. i.
Furfuris in petia ligati. m. ii.
Sem. anisorum.
Fœniculi.
} ann. ʒ. iii.
Cumini.
Dauei.
} ann. ʒ. ii.
Bulliant in suff. q. aq. s. ar.
℞. Prędicti decocti. ℔. i.
Olei anethini.
Rutacei.
Camemelini.
} ann. ℥. ii.
Mellis ros. sol. ℥. ii.
Elescoph. ℥. s.
Misce pro clistere cum pauco salis, & duobus vitellis morũ.
Et quoniam sępe ita corpora stiptica redduntur, & fæces adeo durescunt, & exiccantur, vt educi nisi cum difficultate non possint, in tali casu clistere ex oleo iniiciatur, vt
℞. Olei communis. ℔. ij.
Cum pauco salis fiat clistere s. ar. Et quoniam quandoque ad sunt dolores, clistere tunc temporis tale paretur.
℞. Olei Camemelini.
De semine lini.
Rutacei.
} ann. ℔. s.

Addito pauco sale fiat clistere. Modo tempus est, ut euacuatiuum clistere ponamus, quod tali modo confici solet.

℞. Maluarum.
Parietariæ. } ann. m. i.
Branchę vrsinę.
Radicum ireos rec. ℥. i.
Sem. Cartami. ℥. s.
Agarici. ʒ. ii.
Bulliant in suf. q. aq. s. ar.
℞. Prædicti decocti. ℔. i. s.
Hieræ picræ. ℥. i.
Mellis ros. sol. ℥. iii.

Misce pro clistere cum pauco salis. Nō desunt qui colloquintidæ ʒ. ij. in decocto addunt, vti sunt, qui, radices ebulorum ebullire faciunt. Tu vt lubet, & occasio postulabit, agere poterit. Modo suppositoria describamus.

De suppositorijs.

SVppositoria vario modo etiam confici possunt, nam nonnulla sunt placidiora, alia validiora. à placidioribus inchoamus, quæ sic parantur.

℞. Mell. ros. ℥. i.
Salis. ʒ. ii.

Misce fiant suppositoria. s. ar. vel parentur modo sequenti.

℞. Mellis ros. ℥. ii.
Spec. hieræ picrę, ʒ. ii.
Salis. ʒ. i. s.

Misce fiant suppositoria & supponantur. addam, & validiora, quæ ita fieri consueuerunt.

℞. Mellis ros. sol. ℥. ii.
Trochiscorum alandal. ℈. i.
Salis. ʒ. i. s.
Spet. hiere logadion. ʒ. i.

Misce. fiant suppositoria. s. ar. quæ satis valida sunt, nec debent immitti, nisi cum cætera non profuerint, vel si à capite trahere opus erit. Modo de uomitoriis agamus.

De præseruatione per vomitum. Cap. XXXV.


Voniam ex malo regimine non tantum circa cibum, & potum, sed etiam circa cæteræ non naturalia, multis superfluitatibus & cruditatibus ventriculus repleri solet, præter id, quod corporis cæteræ partes sint affectæ, in quo casu dictas cruditates per uomitum educere, saluberrimum erit, hoc uel maximè si patientes uomere assueti sint, vomitus enim pituitam euacuat, caput leuat, & eum, qui auidius cibum ingerit & qui nimio vino se ingurgitauit, à cruditatibus uexari, & eis lædi non sinit, ita dicit Oribasius, primo, lib. suæ compendiosę Medicinæ Cap. 18. vomitus itaque in dictis casibus prouocetur. quæ prouocatio cum his, quæ sequũtur commode exequitur.

℞. Oxymel. s.	℥. iiii.
Aquæ tepidæ.	℔. ii. vel ℔. iii.

Misce. capiat, & ad horam vomat. vel modo, qui sequitur, fiat.

℞. sem. raphani.	ʒ. iii.

Bulliant in tribus libris aquę, ad consumptionem quartæ partis, coletur, colaturæ adde

Oxymel. simpl.	℥. iiii.
vel scillitici.	℥. ii.

Misce per vomitiuo, & ut dictum est tepide sumatur. & ad horam, vel cum digitis in gutture immissis, vel cum penna in oleo intincta, uomitus prouocetur. Non desunt qui. ʒ. j. ellebori in aqua cum dicto semine bulliunt, quem vsum non probamus. Modo dę cauteriis agere congruum erit.

De modo præcauendi à peste per cauteria ex Albucasi. Cap. XXXVI.


Voniam multa sunt corpora, adeo superfluitatibus scatentia, vt non solum vnica, sed nec reiterata euacuatione mundari possint, hinc cauteria inuenta crediderim, vt non solum quod genitum est, sed maponb'sisin dies gignitur, educatur. Et antequàm ad particulariora

riora deueniamus, primo in quibus ægritudinibus, necnon in quibus complexionibus, cauterium competat dicendum erit. Quare de mente Albucasis cap. primo, primi lib. cauterium omni complexioni & sine materia & cum materia competere affirmamus, duabus complexionibus sine materia tantum exceptis, vt in exemplo, calidæ sine materia. etsi in cōplexione calida & sicca cum materia, non defuerint, qui cauterium proficuum nō esse affirmarint. nam si verum est, vt est verissimum, quod nutrimur simili, & alteramur à cōtrario; calida, & sicca intemperies cum materia, ab ea, nedum tolletur, sed magis augebitur. quibus tamen non obstantibus, Albucasis in omni intemperie calida & sicca, cum materia tamen, ipsum commendat. inquit enim, quod per cauterium, in omni complexione calida & sicca fit iuuamen tum. & reddens dicti rationem, ait, quod quando corpus humanum, & eius humiditates, ad complexionem ignis comparantur; corpus hominis in suis humiditatibus frigidum inuenitur. & subdit, quod experimentum aliquoties detexit sibi illud, etsi dicat, quod non nisi maxime exercitatus debet super illud audere. In aliis autem complexionibus, applicandi cauterium, nulla est dubitatio, & præcipue in frigidis & humidis, in quibus omnes Medici sunt concordes. Quod cauterium debet fieri cū igne, & hoc quia ignis est simplex, & quia eius actio non peruenit, nisi ad membrum, quod cauterizatur, & non nocet membro coniuncto, nisi nocumento paruo. Medicinæ verò comburentes, earum actione perueniunt etiam ad membra longinqua, & in eis faciunt accidere ægritudines difficilis eradicationis, & forsan interficiunt, ignis uerò propter subtilitatem & bonitatem substantiæ suæ, illud non facit, nisi superfluat. De tempore autem quo cauterium fieri debet, dissensio inter scriptores reperitur, nōnulli enim laudant tempus veris, & Albucasis in omni tempore posse fieri cauterium affirmat. dicit enim quod nocumentum, quod ratione temporis contingere posset, in iuuamento, quod à cauterio habetur, summergitur, instante præcipue necessitate. Cæterum cauterium ex auro ratione bonitatis substantiæ eius, & nobilitatis magis quàm ex ferro commendatur, verum quia an ignitum sit, ratione coloris substantiæ eius, sciri perfecte non potest, præcipue cum liquabile existat, hinc factū est, vt cauterium cum ferro vsui hominum sit commune, exce-

ptis

ptis tamen quibusdam casibus, & præcipue vbi signum remanere non cupimus, De loco rursus, in quo tempore pestis cauteriũ fieri debet, non pauca remanet dubitatio. Nonnulli enim sub genu sinistro per quatuor digitos cauterizant, & bene faciunt, alii uero in aliis partibus ipsum figunt; Nos autem secundum varios affectus in corporibus existentes, ita in uariis etiam partibus cauterium fieri debere putamus. at potissimum experientia compertum est, laqueationem bursæ testiculorum, & pro præseruatione, & pro curatione maximopere conferre, cum ab imminente præseruet, & ab ea obsessos laqueatio liberet. quã non nisi purgato corpore fieri expediet. præcipue hoc dictum sit, regulariter operando, ne scilicet ex cursu materiæ ad locum, aliquod seuum accidens sequatur. quæ laqueatio merito prodesse potest, cum iuxta hepatis emunctoria bursa testiculorum sita sit. adde etiam, quod ad illas partes à corde latiores arteriç terminãtur, vt 6. de loc. aff. cap. vlt. habetur, unde, & hepati, & cordi auxilio esse poterit. conficiendi modus est, ut partes manibus diu tractentur, & siccẽtur, & cum bursæ cutis obdormierit, statim ignita acu perforetur, & laqueo sericino laqueetur. cum quo sermo de cauteriis sit completus. Modo de his quæ venenositatem interimunt, dicamus.

De modo præseruandi à peste per Bezahardica medicamenta, & alexypharmaca tã simplicia, quam composita, & primo de simplicibus agitur. Cap. XXXVII.


HVcusque modum quo per sex res non naturales, per exteriora, per euacuationem quç fit per venæ sectionem, per medicamenta proprios humores alterantia, & eos educentia per uomitum, & per diuersiones cauteriis factas quis à peste præcaueri possit, docuimus. Remanet nunc, vt quomodo per Bezahardica medicamenta, eius venenum euinci & superari possit, ne ab eo corpora inficiantur, quàm fieri potest accuratius inquiramus, nec immerito, cum pestis nedum humorum putridorum quantitate, sed magis eorũ

vene-

venenata qualitate, mortales interimat, hinc non tantum alterantia & euacuantia, sed venenum à tota forma necantia, similiter, & cor confortantia, exhibere debemus. Verum enimuero, quia dicta medicamenta in duplici differentia existunt, altera enim intrinsecus sumuntur, altera uero exterius applicantur; nos de his quæ intus sumuntur primo, de localibus verò deinceps disseremus. Cæterum quia, quæ interius sumũtur, aut simplicia sunt, aut composita, à simplicioribus ante omnia exordiemur, & quoniam dictorum alia calida sunt, alia frigida, crassa quadam minerua, & nõ ad minimas eorum qualitates librantes, primo calida, deinde frigida ponemus, inter quæ, dictamnus, scordion, vincetoxicum, carlina, angelica, ruta, scabiosa, balsamita, herba scorzonera, vtraque cẽtaurea, valeriana, chamedris, gariophyllata, hypericõ, pulegium, verbena, saluia, cyperus, morsus diaboli, abrotanum, carduus sanctus, zedoaria, arist. rotun. gentiana, acorus, satureia heleniũ, melissa, serpillum, spica, nardi, baccę lauri, iuniperi, hederæ, lignum aloes, macis, nux muscata, piper, crocus, cubebæ, galanga, costus, cinnamomum, semen vrticæ, elaphobosci, dauci, meu, basiliconis, hypericonis, semen citri, aranciorũ, limonũ, cortex citri, & limonũ, mirrha, thus, galbanũ, succus galegæ, & scabiosæ numerãtur frigida sunt, tormẽtilla, pimpinella, cicerbita, acetosa, alleluia, ex his dicta, nenufar, flores quatuor cordiales, borrago, lupuli, bistorta, tamarindi, corallina cũ aceto prius bene lota, & exiccata, semẽ acetosæ, portulacæ, plantaginis, coriãdrorum, sericum, seta cruda, grana tinctorum, terra lemnia, terra sigillata, bolus armena, succinum, camphora, sandali omnes, viscum quercinum, cornu cerui, ebur, coralli albi, & rubri, margaritæ, lapis bezahar, coccus, os de corde cerui, fragmenta preciosa, cornu vnicorni verum, limatura auri, & argenti, vel folia auri, succus acetosæ, agrestæ, limonum, citri, aranciorum, pomorum Adæ appellatorum, ribes, granatorum, pomorum appiorum, rosatorum, acetum, & hæc simplicia sunt, ex quibus possunt fieri antidota, electuaria, tabellæ, syruppi, pulueres, linimenta, aquæ, & liquores; composita verò ad hanc prouinciam facientia, sunt multa. Sed primo de antidotis agamus.

simplicia contra Peste

De

De antidotis quibus pestis exulat. Cap. XXXVIII.



TSI multa & varia ſint antidota, quæ in hoc caſu laudantur: nos ſequentia tanquàm validiora approbamus. ſunt & enim, Antidotus Democratis, ex ſanguinib., antidotus, Ælii Gaii, qua vſus eſt Cæſar, antidotus prophilactica, antidotus Apellis, antidotus zopyria, quam Mithridates in morte tradito expertus fuit, Antidotus alia ex ſanguinibus, antidotus Mithridatis, Eupatris, quæ diaſcinus appellatur, Antidotus hecatontamigmatos, Antidotus Antipatri, Mithridatum, Theriaca, Antidotus Diaſcordeon, deſcriptione Fracaſtorij, lib. 3. ca. 7. de curan. morb. contag. necnon Antidotus de ouo, quæ omnia ſummopere commendantur. quarum deſcriptiones, præter alias multorum antidotorum, apud Gal. antidotarium reperies. Antidoti verò de ouo hæc eſt compoſitio.

Antidotus de ouo.

℞. Ouum num. 1.

Albumen ipſius per acumen extrahatur, ouum croco impleatur, pulte liniatur, ſub cineribus ponatur, & tandiu ibi moretur, quamdiu paſta in nigredinem erit redacta, pulverizetur ouum remota pulte, vel paſta. pulueri adde.

℞. Radicum tormentillæ.
Radicum morſus diaboli.
Angelicæ.
Pimpinellæ.
Dictamni.
Zedoariæ. } an. ʒ. ii.
Theriacæ optimæ. ℥. iii.

Aqua roſ. & ſcabioſæ. puluerem diluito, & eum aliis electuariũ conficito, quo Maximilianus fide in peſte vtebatur, & miris laudibus ab ipſo extollebatur, inter cætera. Theriaca, & Mithridatum, non vulgaris potentiæ exiſtunt, quæ in æſtate cũ aqua acetoſæ, roſatæ, ſcabioſæ, nympheæ, cum zuccaro roſato, borraginato, violato, è nymphea, cum ſyr. de acredine citri, de ſucco acetoſæ, & ſimilibus, in hyeme verò cum aquis florum citrorum,

trorum, aranciorum, de cardo sancto, vel cum vino generoso ex hibeantur. nec verenda est ipsorum caliditas. nam cum Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. Theriacam ignis consumentis uires gerere, dicere possumus. Sed reliquum est vt antidotos secundum varia anni tempora salutares, vt tutius artifices operar possint, describamus.

Antidotus in æstate salutaris.

℞. Dictamni.	
Tormentillę.	
Carlinæ præparatæ.	
Pimpinellæ.	
Cicerbitæ.	
Rutæ.	
Scabiosę.	an. ℥. s.
Balsamitæ.	
Verbenæ.	
Acetosæ.	
Alleluiæ.	
Morsus diaboli.	
Cardi benedicti.	quem tunici etiam appellant.
Florum nenupharis.	
Scordii.	an. ʒ. iii.
Angelicæ.	
Graminis.	
Croci.	ʒ. ii.
Sandalorum omnium.	ʒ. i. s.
S. acetosæ.	
Citri.	
Portulacæ.	an. ʒ. i.
Plantaginis.	
Coriandrorum præp.	
Hypericonis.	
Boliarmeni.	
Terræ Lemniæ.	
Terræ sigillatę.	an. ℈. iiii.
Succini.	
Cort. citri.	
Limonis.	

Camphoræ.
Cornu Cerui. }
Eboris. } omnium præpar. an. ʒ. iii.
Corallorum amborum. }
Margaritarum.
Oſſis de corde Cerui. ʒ. i.
Conſeruarum quatuor Cord. an. ℥. iiii.
Succorum acetoſæ. }
Citri vel limonis. } an. ℥. viii.
Pomorum Adæ. }

Cum zuccaro. q.s. fiat electuarium. s.ar. de quo capiat adultus à ʒ. j. vſque ad ij. minor à ℈. ij. vſque ad iiij. paruulus à ℈. s. vſque ad j.

Antidotus in hyeme valde vtilis.

℞. Dictamni.
Scordii. }
Carlinæ. }
Angelicæ. }
Acori. }
Tormentillæ. }
Rutæ. }
Betonicæ. }
Valerianæ. } an. ʒ. iii.
Pulegii. }
Saluiæ. }
Cardi benedicti. }
Gariophyllatæ. }
Biſtortæ. }
Cyperi. }
Vincetoxici. }
Ariſt. rot. }
Cinnamomi. }
Piperis longi. } an. ʒ. ii.
Spicæ. }
Croci. }

Baccarum.lauri.
Iuniperi.
Hederæ. } an. ℥. s.

Myrrhę.
Galbani.
Ammoniaci. } an. ʒ. j. s.

S. Dauci.
Ammeos.
Basiliconis.
Hypericonis. } an. ʒ. j.

Conserue florum roris marini. ℥. iiii.

Theriacæ optimæ. ℥. ii.

Musci.
Ambræ. } an. ʒ. s.

Ligni aloes. ℈. iiii.

Cinnamomi.
Macis.
Piperis longi.
Galangæ.
Cyperi. } an. ʒ. i.

Cum melle q. s. fiat electuarium, exhibeatur ut supra.

Electuarium in vere, & Autumno longo vsu comprobatum.

℞. Scordii.
Pimpinellæ.
Angelicæ.
Carlinæ.
Cicerbitæ.
Scabiosæ.
Dictamni.
Morsus diaboli.
Acetosæ. } an. ℥. s.

Rutæ.
Gentianæ.
Vincetoxici. } an. ℥. iii.

Cinnamomi. } an. ʒ. ii.
Piperis longi.
Croci. } an. ʒ. i. s.
Ligni aloes.
Sandalorum omnium. an. ʒ. ii.
Viſci quercini. } an. ʒ. ii. s.
Corallinæ præparatæ.
S. acetoſæ. } an. ʒ. i. vel ℈. iii.
Citri.
Portulacæ.
Myrrhæ. } an. ʒ. i.
Galbani.
Ammoniaci.
Cornu cerui. } omnium præpar. ann. ʒ. i. s.
Eboris.
Margaritarum.
Conſeruæ florum cicoreæ. } an. ℥. ii.
Borraginis.
Florum roris marini.
Theriacæ. } an. ℥. i. s.
Mithridati.
Limaturę auri, & } an. ʒ. ii.
Argenti.
Muſci. } an. ʒ. s.
Ambræ.
Succi rutæ Caprariæ. ℔. i.
Cum zuccaro uel melle fiat electuarium. ſit in uſu, vt dictũ eſt.

Antidotus miræ potentiæ aduerſus omnia uenena, & peſtem, quæ antidotus antidotorum vocatur.

℞. Dictamni. } an. ʒ. iii.
Tormentillæ
Acori.
Scordii.
Carlinæ.
Angelicæ.
Marrubii.
Abrotani.

Abſcinthii

Abſinthii. Pimpinellæ. Rutæ domeſticæ. Rutæ Caprariæ. Cicerbitæ. Balſamitæ. Scabioſæ. Betonicæ. Valerianæ. Pulegii. Gariophyllatæ. Chamedreos.	an. ℥. i. s.
Verbenæ. Saluiæ. Sampſuci. Gentianæ. Satureię. Serpilli. Alleluiæ. Biſtortæ. Meliſſę. Imperatorię. Perſonatæ.	an. ℥. ii.
Polij. Seſeli. Naſturtii. Cyperi. Piloſellæ. Morſus Diaboli. Thlaſpi. Vincetoxici. Helenii. Centaureę vtriuſque. Gentianę.	an. ℥. i. ℈. iiii.
Florum roris marini. Florum quatuor Cord.	an. ℥. i.

Antonij Porti

Cinnamomi.
Gariophyllorum.
Zinzib.
Spicæ nardi.
Spicę celticæ.
Squinanthi.
Cubebarum.
Galangę.
Zedoariæ.
Ligni aloes.
Doronici.
Tunici, quę cardum benedictũ dicũt.
Cyperi.
Piperis longi.
Nucis muscatæ.
} ann. ℈. iiii.

Sandalorum omnium. an. ʒ. iii.

Baccarum Iuniperi.
Lauri.
Hederæ.
Visci quercini.
Corallinę præparatæ.
Eryngii.
} an. ʒ. iii.

Virgę cerui.
Croci.
} an. ʒ. iii.

Seminum acetosę.
Citri.
Portulacæ.
Plantaginis.
Ammeos.
Apii.
Ocymi Gariophyllati.
Aranciorum.
Hypericonis.
Coriandrorum.
Vrticæ.
Limonis.
Santonici.
} an. ʒ. ii.

Setæ

Setæ crudæ.
Terræ Lemniæ.
Terræ sigillatæ.
Boli Armeni.
Succini. } an. ʒ. ii. s.
Reupontici.
Oppii. } an. ℥. s.
Myrrhæ.
Thuris.
Ammoniaci.
Galbani.
Canforæ.
Sagapeni.
Spodii.
Castorei. } an. ʒ. iii.
Cort. citri.
Cort. limonum. } an. ʒ. i. s.
Cornu cerui.
Eboris.
Corallorum amborum.
Margaritarum. } omnium præpar. an. ʒ. ii.
Cornu vnicorni.
Ossis de corde cerui. } an. ʒ. i. s.
Trochisc. de vipera.
Troch. de scilla. } an. ʒ. ii.
Tamarindorum.
Herbæ scorzoneræ. } an. ℥. i.
Limaturę auri purissimi.
Limaturę argenti de copella. } an. ℥. s.
Theriacæ.
Mithridati. } an. ℔. s.
Musci.
Ambræ.
Cocci. } an. ʒ. i. s.

Cum melle fiat electuarium. s. ar. quod potentius esset si fragmenta preciosa adderentur, vt sic.

℞. Lapidis Bezahar. ʒ. ii.

Rnbini.
Topatii.
Iacinthi.
Smaragdi.
Sapphiri. } .au
Granatarum. ʒ. ii.

Vt dictum est fiat electuarium. vel modo quo Galenus ex Andromachi decreto Theriacam parat, quod eodem modo exhibeatur.

Alia antidotus contra pestem, cuius ordo, & descriptio quingentis ducatis empta fuit.

℞. Boli armeni.
Dictamni albi.
Pilosellæ.
Zedoariæ. } an. ʒ. i.
Theriacę. ʒ. s.
Croci. ℈. i.
Camphoræ.
Margaritarum.
Smaragdi.
Tormentillæ. } an. ʒ. iii.
Terræ sigillatæ.
S. citri. } an. ʒ. i. s.

Pistentur pistanda & cum syrupo de acredine citri fiat electuarium. cuius dosis est ʒ. i. s. quod infra spacium octo horarum, ab hora inuasionis, cum aqua melissæ, & pauco vini sumi debet, & quanto citius tanto melius. Et quoniam de lapidibus preciosis in dictis antidotis facta est mentio, an agant & quomodo; antequam de aliis, à peste præseruantibus dicamus, diligentiùs inquirere necessarium existimaui.

An la-

An lapides preciosi facultates habeant, quomodo agant, & an eorum virtus aliquando deficiat, exaratur. Cap. XXXIX.



VANTA sit, & quàm difficilis, virtutum lapillorum preciosorum scientia, an scilicet ipsas habeãt, & si habent, à quibus oriantur; similiter an dictis virtutibus, cæteris remanentibus, preciosi lapilli destituantur, varietas opinantium plane ostendit. Albertus namque cognomento magnus, lib. & cap. 2. quatuor, & illas diuersas de eorum virtutibus recitat opiniones. Quæ an omnes simul contrarientur, an conueniant, & in quibus conueniant, quàm fieri poterit, breuius accuratiusve, recensere non grauabimur. Verum enimvero, cum a forma rei actiones omnes proficiscantur, an formas lapilli preciosi habeant, & quid nam sit ipsorũ forma, primo inquirere, de cæteris uero deinceps disputare operepretium existimauimus. Idem enim Albertus lib. primo, cap. 5. ita scriptum reliquit. De formis autem, quæ sunt substantiales lapidum, dubitare, dementis esse videtur. Et melius dicta confirmans, illinc ad parum subdit. Amplius autem virtutes lapidum inuenimus, quæ non sunt alicuius elementi, sicut fugare venenum, pellere anthraces, attrahere vel pellere ferrum, de quibus (vt infra patebit) communis est sententia omnium sapientum, quòd hæc virtus est sequela speciei, & formæ lapidis, huius vel istius. Constat igitur ex his, lapides habere formas & species determinatas. Et colligens diuersa quæ dixit, in sequentia verba prorumpit. Et tunc ex omnibus dictis congregãtes, dicimus lapidem esse mistum, nõ complexionatum virtute mineralium, ad formam coagulatum. Hæc Albertus, in qua loquutione duo habentur, lapides inquam formas habere, illas vero non esse complexionatas, sed ex virtute mineraliũ constare. Quæ positio formas nempe lapidum non esse complexionatas (pace tam magni uiri) non videtur stare posse. Cum compositum quodque componentium naturam sapiat. At componentia sunt complexionata, vt 3. Metheo. vltimo, & 4. eiusdem 30. habetur, ergo &c. propterea Auerroes 5. Colliget, cap. 21. dixit Attractionem, quam facit magnes in ferro, fieri pro-

Alexad: Sent.a de Lapid. precios:

Sent. a Platonis

Hermetis Sent. a

pter proportionem quam habet ferrum cum magnete, quæ proportio & conuenientia, non est nisi in mensuris mistionis elemẽtorum in eis, hoc est, in attrahente & attracto. Nunc supposita forma lapillorum preciosorum, & earum actione, causas uirtutũ ipsorum altius inquiramus. Alexander Aphrodiseus quorundã Peripateticorum sententiam sequutus, ab elementis componẽtibus, lapidibus tales inesse uirtutes affirmauit. has autem à primis qualitatibus non dependere. Vnde elementa quasdam operationes habent per se, quasdam in misto. In misto enim qualitas elementalis operatur velut instrumentum, & tunc habet, multa operari, quæ de se non operaretur. Elementata enim non operantur nisi virtute elementorum quæ sunt in ipsis, & hanc opinionem per opera alchimiæ probat, in quibus simplicia parum prosunt, quæ cum complexa fuerint, admirabiles valde reddunt effectus. Secunda opinio est Platonis, dicentis omnia inferiora esse Idæata, a superioribus Idæis, quas separatas & mire potentiæ esse dicebat. Illæ enim sunt quæ generant quicquid generatur. Vnde illa quæ separatorum maiorem recipiunt similitudinem, & illa in minori puriorive materia immerguntur, habent virtutes mirabiles in operatione, similes operationi Ideæ separatæ, & hanc dicit esse in lapidibus preciosis. Hermes vero & cum eo Indi non pauci, multa de vniuersali virtute differentes, asserebant omnium inferiorum virtutes esse in stellis, & imaginibus cœlorum, omnes autem virtutes infundi in inferioribus omnibus per circulum Alaur, quoniã primum circulum imaginum cœlestium esse dicebant, has autem virtutes descendere in res nobiliter & ignobiliter: Nobiliter quidem quando materiæ recipientes has virtutes, fuerint superioribus magis similes in lumine & perspicuitate. Ignobiliter autem, quando materiæ fuerint confusæ, & feculentæ, in quibus quasi opprimitur virtus cœlestis. & propterea lapides preciosi habent mirabiles virtutes, quia in substantia magis similantur superioribus in lumine & perspicuitate. Vnde à nonnullis stellę elementales vocantur. Qui etiam in corporibus cœlestibus quatuor posuit colores, quorum vnus est orbis non stellati, & dicitur sapphirus, quem colorem sapphirus primo habet; postea alii participant. Secundus est orbis plurimum stellati, vocaturque lux candens & albecens, quem colorem habet adamas, berillus & consimiles. Tertius

tius vocatur ignefcens & rutilans, Solis & Martis plurimum habens, & dicitur carbunculus, poftea balachius, & granatus: vnde carbunculus nobiliffimus eft omnium lapidum, quia virtutem omnium lapidum, propter folem fufcepit, & poffidet. Quartus autem eft rubeus obfcurus, tam in ftellis quàm in quibufdam aliis lunæ manfionibus inuenitur, propterea nubes obfcuras habet. ut amatiftus, calcidonius, & interdum fmaragdus, & quidam alii. Auicennas tandem & eius fectatores, dixerunt in omnibus naturis quædam aliquando apparere prodigia, ex imaginatione motorum fuperiorum: contenduntve intelligẽtias, quæ mouent orbes, nequaquàm poffe intendere particularem motum hunc, vel illum. nifi per apprehenfionem aliquam particularium, & hanc apprehenfionem dicit imaginationem æquiuoce vocari, quæ eft pars animæ fenfibilis in animalibus. practice autem omnia quæ fiunt, præexiftunt in conceptionibus motuum ftellarum, & orbium, vnde ab intelligentia agente cunĉta prouenire & caufari affirmauit; quam intelligentiam colchodeam dixit, & fub orbe lunæ collocauit. propterea fubdit, talem effe obedientiam totius materiæ generabilium ad motorẽ, qualis eft obedientia noftri corporis, ad noftras animas. Vnde in nobis fentimus, quòd ad quancunque formam conceptionis, mouetur corpus noftrum, vel delectabiliter amplectẽdo vel horribiliter fugiendo. fic igitur dicit, diuerfa frequenter concipere animas cœleftes, & tunc materiam moueri per obedientiam ad illud, & ex hoc dixit diuerfas virtutes generata fufcipere, quas nos complexionales vocamus, & maxime lapides, in quibus eft commiftio prima facilius mota ad imaginationem huiufmodi quàm alia in quibus eft maior diuerfitas, propter animæ opera quæ infunditur illi. Hæ funt quatuor magnorum virorum, & fapientum opiniones, quæ fimul præter Aphrodifienfem in hoc conueniunt, quòd omnes extrinfecum principium ponunt, & fi diuerfimode intellectum, & in diuerfis locis fitum. Nos autẽ dicimus duo effe principia, quæ in lapidibus preciofis actionẽ perficiunt, intrinfecum vnum, extrinfecum alterum. Quod extrinfecum principium, non colchodeam; non Idæas feparatas, non ftellas primario, nec eorum & orbium imagines; fed Deum gloriofum datorem formarum appellamus, iuxta dictum Arift. primo cœli 100. Communicatum eft effe & viuere, his quidem

clarius,

quare Carbunculus sit nobiliss: omniu Lapidu

Auicenne Sent.

Intelligent. da Colchodea Auic.

Auctoris Sent.

clarius, his quidem obſcurins. Vnde pro perfectione mirandi huius operis, duo vt dictum eſt concurrunt, miſtio elementalis proportionata, & agẽs extrinſecus imprimens, vt in miſtione introducatur forma ſpecifica, ſuſcipiaturve, cum ſuis uirtutibus, vſque ad occulta. hæc autem forma ex potentia ſuſcitatur materiæ, virtute corporum cæleſtium. Quę forma tanto nobilior erit & potentior, quanto complexionata erunt puriora & magis defœcata, in lumineque & perſpicuitate, ſuperioribus magis ſimilia; vti e contra ignobilior & impotens magis, ſi materia erit confuſa & fœculenta. Quod & quantum ad ſpecies, & quo ad indiuidua ſpecierum, verum eſſe putamus. Hæc autem virtus, non ita communicatur, vt prius exiſtens ſeparata, poſtea complexionato infundatur; ſed (vt dictum eſt) à commenſurata miſtione elementorum, vt ad illius ſpeciei perfectionem, conſtitutionemve requiritur; concurrente datore formarum, per verum motum & alterationem de potentia ad actum deducitur. Quare ſi quid inferiores ſtellæ operantur, propter obedientiam ad primam illud agere certiſſimum eſt, cum omnes à prima ſint motæ, ipſa tantum immota permanente. Vnde hæc proprietas, dixit Conciliator, diff. 71. eſt natura inuẽta in miſtis corporibus procedens ab eis, a ſuprema & pleniſſima influentia, propter primam complexionem, qua particularem & propriam diſpoſitionem acquirunt. Erunt itaque duæ operationes in miſto, altera cognita, quę per materiales uocatas qualitates expletur; altera incognita, quam totius formæ vel ſubſtantiæ actionem, doctiſſimi viri vocauere. Nec propterea ex hoc ſequitur, quòd tantum vnica daretur operatio, (vt multi putauerunt) aſſerentes quòd ab vno non prouenit niſi vnum, eis enim Auerroes. 5. colliget, ca. 21. ſequenti loquutione ſatisfacit, proprietates inquiens infinitas, poſſe adinueniri in vnaquaque re comparando ipſam rem entibus quaſi infinitis. hinc cap. 24. eiuſdẽ 5. dixit, quia proprietas ſequitur proportionem menſurarum entium, poſſibile fuit inueniri in vna re proprietates quaſi infinitas. Quæ proprietas (an vt altera) per materiales qualitates operetur, non paruam dubitationem habet. certiſſimum enim eſt, quòd iſta actio, quæ à tota forma manat, vt altera materialis non eſt. remanet ergo vt per ſpirituales qualitates operetur. quam veritatem Galen. primo, de ſemine cap. 16. dum de Alexipharmacis, Alexiterijs

Auerrhois lect.a Non unu tantu ab Vno prouenit

Lapides preciosi spirituales qualit.es agunt

riis & deleteriis loquitur, conſcripta loquutione demonſtrauit. Non ſane quòd deleteria vel alexiteria, ſimiliter & alexipharmaca, eorum ſubſtantia per totum penetret corpus: neque enim poteſt tam paruus ſuccus tam breui tempore, corporis interdum maximam molem replere: ſed qualitatis ſuffuſione, qualis & extra nos a ſolis fulgore in ambientem aerem, & in nobis tum à corde in arterias, tum a cerebro in neruos, fieri cõſpicitur. Quas actiones omnes a qualitatibus ſpiritualibus expleri, ita notum eſt, vt non ſit quod probem. Dictas autem ſpirituales uel uirtuales qualitates, ideo tales nonnulli etiam magnæ auctoritatis viri vocauere, quia ſpiritualiter (vt ipſi dicunt) impartiuntur, pro vt tale eſſe & nõ alterum, huic magis quàm alteri ab eſſe primæ & pleniſſimæ intelligentiæ, ſecundum rei capacitatem communicatur. illa enim communicatio, quæ primo cœli 100. à Deo glorioſo fieri dicitur, vt motu & lumine tantum fiat, putandum non eſt, cum dicta communi participatione, non ſolum forma materialis per verum motum & alterationem, a re ipſa educatur, ſed cum ea primæ ſecundæ & tertiæ qualitates inſimul progignantur. At quartam indicibilem & a tota forma appellatã (inquiunt ipſi) indicibili etiam modo impartiri credendum eſt, cum a materia per motum & alterationem (vt aliæ) concurrente motu & lumine corporum cœleſtium, non educatur. ſed ea tantum gratia procedit, quia à diuino eſſe, virtuales qualitates miſto a miſcibilium elementorum commenſurata miſtione cõmunicantur. Nam dum pleniſſima illa intelligentia, ſe ipſam intelligit, cum ſpiritus ſit, ſpiritualiter agendo ſpirituales qualitates infundit, iuſta dictũ Ariſtotelis 12. Meth. 51. quòd ſcientia Dei cum ſcientia noſtra æquiuoce dicitur: illa enim cauſat res, noſtra cauſatur à rebus. Quam cauſationem ita fieri putandum eſt, quia in excelſo illo, & fœcundiſſimo ſpeculo, actu ſunt, & relucent omnia. vnde per cognitionem contractam rei in ſe ipſa contentæ, qualitas illa indicibilis, in re extra ſe exiſtente producitur. & hæc eſt illa abſtruſa proprietas, quæ à nobis ignoratur. At cæteræ, quæ a penetralibus materiæ, una cum forma materiali educuntur, prima cauſa, lumine & motu concurrente producuntur. Hęc illi. Cæterum proprietates in lapidibus precioſis, per eleuatas & multiplicatas ſpecies ab eis, ſpiritualiter agendo mirabilium effectuum, & prodigioſorum, productrices

inue-

Preciosorum Lapidum Virtutes

inueniuntur, propterea mirum alicui esse non debet, si contra pestem valere affirmatum a nobis est; cum Rubinus & Granata venenum aereum & vaporosum fugent, Topatius efferuescentiam tollat, Iacinthus contra pestiferas regiones valeat, Sapphirus anthraces debellet, Smaragdus pestilentiam vincat, præter cæteras innumeras facultates, quas possident, etsi a nobis nõ cognoscantur. hinc eos viuere vita tamẽ obscura, multi antiquorum, & præcipue physiologici putauere, quas tamen potiores in agendo existimare debemus, si in puriori materia, in sua specie stando, erunt receptæ. hinc vnum indiuiduum, maioris actiuitatis esse, altero diuersæ speciei, existimandum est, & interdum nullius, & non tantum in diuersa, sed in eadem non raro hæc eadem conspiciuntur, & hoc quia facultatum substantialis formæ propter materiæ impuritatem, & inobedientiam capax non fuit. Quam facultatem & virtutem, in lapidibus preciosis aliquando deficere, cum & ipsi aliquando quoquo modo senescant, certissimum est. indiuidua enim sunt, & corruptibilia.

Non tamen dicerem, (vt multi asserere nõ dubitarunt) quòd ipsorum mistione non dissoluta, quia extra locum generationis diu permansere, datorve virtutum, per elongationem, & situs mutationem ab eis, ipsas amplius non fouet nec fœcundat, quod virtutibus destituantur omnino. Nam dum claritate perspicuitateve, & cõsequutionis ratione forma substantiali præditi sunt; cum eorum virtutes à commensurata miscibilium mistione, fœcundissima concurrẽte intelligentia, eis impartitæ fuerint, dictas virtutes habere, quoad ipsorum mistio soluta non fuerit, credendum putamus. Nam etsi remotio a loco generationis eis aliqualiter obesse possit, non est propterea vt integra seruata mistione, virtutibus destituantur omnino, cum (vt dictum est) a celebrata mistione resultent. ita enim generans dat formam, vt det etiam omnia consequentia ad formam. quare dictas facultates deperdere, quo ad causa propter quam infusæ fuerint remanserit, credendum non est. hæc autem fuit proportionata miscibilium vnio. Quæ indicibiles facultates, si interdum non agunt, ex eo prouenire putarem, quòd ab agente minoris inæqualitatis actio non succedit. Quodlibet enim non agit in quodlibet, sed determinatum in suum determinatum, vt primo physicorum docuit Arist. etsi id etiam ob mistionis remissionem, eius quæ ali

qualem dissolutionem, prouenire aliquando possit, vnde remissa lapidis facultate, amplius sicut prius agere non valet. propterea vt magni perspicui & in claritate eximij eligantur: consulimus. in maiori enim quanto, maior est virtus, cæteris paribus. Cæterum etsi ratione nobilitatis esse lapidum preciosorum, propter mirabilem & prodigiosam participationem munerum celestium, diu satis viuere queant; non est propterea, ut aliquãdo non senescant. imo quia indiuidua sunt, etiam soluta mistione intereunt, & tunc perspicuitate, & forma substantiali destituti, tanquam cadauera remanent, & sicut prius mirabiles effectus producere non possunt. hæc autem, nempe eos senescere, interire, & tanquàm cadauera remanere, secundum similitudinem quandam, sint à nobis dicta. Cæterum eorum vsus duplex erit, vel enim auro ligati ferantur, vel vt margaritæ prius triti, in succo limonum, vel citriorum macerati, in mortario porphyreo diu ducantur, postea exiccentur, & dum occasio requirit, de eis ad grana decem cum syrupo contra pestem, propinentur. Nunc de syrupis à peste præseruantibus dicamus.

Syrupus in peste mire potens & longo vsu comprobatus. Cap. XL.

ETsi multi sint syrupi qui contra pestem in usu esse solent, ut de acredine citri, de acredine limonum, aranciorum, de succo acetosę, de scordio de ribes, de cicorea simplex, & compositus, de borragine, de lupulis, de pomis, de agresta, de granatis, acetosus simplex, oxyzaccara, & alii multi, inter cæteros tamen hic qui sequitur, mihi maxime probatur.

℞ Succorum acetosæ.
Cicerbitæ.
Fumoterræ.
Rutæ Caprariæ Galega dictæ. } an. ℔. j.
Acredinis citri.
Pimpinellæ.
Lupulorum.
Rof. rub.

Viola-

Violarum.
Carlinæ.
Angeliçę.
Dictamni.
Scordii. } an. ʒ. ii.

Tormentillæ.
Scabiosæ } an. ʒ. iii.

S.acetosæ.
Citri.
Ocymi Gariophyllati. } an. ʒ. j.

Conterantur conterenda & in succis supradictis secundum art. infundantur, postea bulliant, & ab ebullitione colentur & exprimantur, cum qua expressione & zuccaro q. s. fiat sirupus, cum quo pulueres, electuaria, & cętera reformari uel in forma potabili exhiberi poterunt. Nunc de liquoribus agamus.

De liquoribus chymicis qui in Peste salutares habentur. Cap. XLI.



MVltifariam multisque modis liquores in peste salutares conficiuntur. verum inter cæteros sequentes obtinent principatum, quorum primus infrascripto ordine paratur.

℞. Radicum tormentillæ.
Radicum cardi benedicti.
Dictamni. } an. ℔. s.

Radicum helenij.	℥. iiii.
Acetosæ.	℔. ii.
Seminis eiusdem.	℥. iiii.

Buglossæ.
Borraginis.
Rof.rub.syluestrium. } an. ℔. i.

Pimpinellæ.
Scabiosæ. } an. ℔. s.

Succi limonum.	℔. i.
Theriacæ optimæ.	℔. s.
Aquæ ardentis.	℥. ii.

Terræ Lemniæ.
Terræ sigillatæ non adulteratæ. } an. ℥. ii.
Sandalorum omnium.
Spodii.
Ben vtriusque. } an. ℥. i. s.
Margaritarum.
Ossis de corde cerui. ℥. i.
Rasuræ eboris. ℥. s.
Croci. ʒ. iii.
Camphoræ. ʒ. ii.
Foliorum auri. ℥. s.

Modus conficiendi talis erit.auri folia cum melle super porphyritide lapide diu ducantur,& in ampulla affatim clausa, cũ dicta aqua ardenti ponantur,sicque per dies quindecim dimitti to.similiter, margaritas in tenuissimum pollinem redactas in alia ampulla optime clausa,cum succo limonum recondito, totidemque diebus seruato. Radices insuper cum vino lotæ, & in vmbra exiccatę,in mortario vna cum seminibus,floribus,& herbis pistentur,& in uase terreo vitreato,cum foliis auri, aqua,succove limonum,cum margaritis, cæterisve ingredientibus ponãtur,vaseque perfecte obturato,in tripedali fouea,calce ad altitudinem semipedalem aspersa,recte locetur, fimoque equino, vel vinaceis, circumdetur, super quæ aquam effundito, & per dies duodecim macerato,singulis quatuor diebus vinacea immutando.quibus expletis,contenta in vase extrahe, in cucurbita repone,& lento igne, ex leuioribus lignis confecto, qui etiam fumo careat,aquam extrahe.extractam, supra feces per balneum mariæ exstillato,& quod erit,in ampulla optime clausa usui seruato,adultioribusque à ʒ.j.vsque ad ℥.s.minoribus à ʒ.j. vsque ad ii.pueris à ʒ.s.ad i.cum aquis & brodio supradictis exhibeto.

Liquor alius aduersus venena omnia & pestem longo vsu comprobatus.

℞. Vitrioli Rom. in tenuissimum puluerem redacti ℔. 12. quarum octo in cucurbita vitrea ponantur, lentoque igne primo,postea validiori,quoad tota substantia exeat,crucietur; fecibusque

cibusq; extractis, & optime trituratis, supra ipsas prædicta aqua proijciatur; & additis quatuor libris vitrioli, quæ de duodecim remanserunt, igne vt dictum est, primo lento, deinde validissimo, tota humiditas extrahatur; fecesque iterum pistentur, supra quas humiditas extracta, proiiciatur, & hoc octo vicibus reiteretur. liquorem verò, qui ab octaua distillatione remanserit, in ampulla bene clausa seruato. postea.

℞. Prædicti liquoris. ℔. iiij.

Carlinæ.	an. ℥. j. s.
Angelicæ.	
Aristolochiæ rot.	
Imperatoriæ.	
Gentianæ.	
Cardi sancti.	
Gariophylatæ.	
Dictamni.	
Scordii.	
Tormentillę.	

Herbę & radices mundentur, pistentur, & per octo dies in dicto liquore infundantur. tunc cũ fecibus dicti vitrioli, ad summum contusis, immisceto, in cucurbita vitrea reponito, & per duos dies igne valido, vt omnes spiritus è vitriolo extrahantur, cruciato, liquoremque caute seruato. Adultioribus à ʒ. j. ad ij. minoribus à ℈. ij. ad iiij. paruulis à ℈. s. ad ʒ. s. cum his quæ supra cap. 38. dicta sunt exhibeto.

De pillulis contra pestem, & primo, pillulæ Ruffi describuntur. Cap. XLII.


QVoniam à variis Doctoribus, vario modo pillulæ de tribus Ruffi describuntur, placuit omnes numerare, vt vnusquisque, quam vult accipere possit, à Ruffi descriptione inchoantes.

℞. Aloes.	an. ℥. i.
Ammoniaci.	
Mirrhæ.	

Pistentur, & cum vino fragranti in magdaleonem formato, &

ad ʒ.ii.pro vice, post mediam noctem, vel per duas horas ante cibum exhibeto, Rasis verò tract. 4. cap. 25. habet aliam descriptionem, quæ talis est.

℞. Aloes. ℥. j.
Croci.
Myrrhę. } an. ℥. s.

Cum vino vt supra fiat pasta, quæ eodem modo sumatur. Auicennæ compositionem ponamus. Qui prima 4.tract. 4 cap. 5.sequenti ordine ipsam parat.

℞. Aloes.
Croci. } an. ℥. ii.
Mirrhæ. ℥.i. s.

Et modo dicto pasta paretur, & exhibeatur, quæ adeo magnæ potentiæ existit, vt dicant viri isti clarissimi, quotquot eis sunt vsi, à peste omnes fuisse præseruatos.

Pilulæ aduersus venena omnia, & pestem.

℞. Aloes. ℥. j.
Croci.
Mirrhæ. } an. ℥. s.
Arist.rotun.
Angelicæ.
Carlinę.
Dictamni.
Scordii.
Tormentillæ.
Vincetoxici. } an. ʒ. j.
Granatarum. ʒ. ii.
Agarici optimi.
Gentianæ. } an. ʒ. vi.

Cum syrupo de acredine citri, fiat pasta. dosis est à ʒ. i. vsque ad ii. cũ eisdem liquoribus reformato. Est aliud genus pilularũ miræ virtutis, quæ sequenti ordine parantur.

℞. Aloes. ℥. ii.
Mirrhę electæ. ℥ i.
Terræ sigillatæ.
Boli armeni. } an. ℥. ii.

Pimpinellæ.
Tormentillæ. } an. ℥. i.
Corticis citri.
Croci.
Masticis. } an. ʒ. ii.
Zuccari candidi. ℥. iiii.

Fiat omnium puluis,& cum aq.ros. vino albo, aut aceto, fiat pasta vel pillulæ sicut grana iuniperi, quarum ad præca utionem, tres de mane,& totidem de sero intermissa die, deuorentur.Correpto verò à peste, drachmæ duæ cum drachma vna Theriacæ, semel tantum exhibeātur.hoc autem ab inuasione morbi statim expleatur.Nunc de pulueribus dicamus.

De pulueribus, tum quibus quis à peste præcaueri potest. Cap. XLIII.



Vlti equidem sunt pulueres, qui nedum corpora à peste præseruant, sed obsessos liberare possunt. nos non omnium, sed aliquorum descriptionem ponemus, qui longa experientia sunt comprobati.inter quos hic summopere commendatur.

℞. Dictamni.
Tormentillæ.
Scordii.
Angelicæ. } an. ʒ. iii.
Vincetoxici. ℥. i.
Carlinæ. ʒ. ii.
Ligni aloes. ʒ. ii.
Croci.
Granatarum finarum. } an. ʒ. i. s.
Sandalorum citrinorum. ʒ. i. s.

Fiat omnium puluis subtilissimus, de quo exhibeatur à ʒ. i. vsque ad ii. cum vino generoso tempore hyemis, vel cum liquoribus,& syrupis supradictis tempore æstatis.

Secundus sequenti ordine paratur.

℞. Dictamni.
Scordii. } an. ʒ. vi.
Tormentillæ.
Terræ Lemniæ.
Terræ sigillatę. } an. ʒ. iii.
Cornu vnicorni non adulterati.
Margaritarum præpar. an. ʒ. i.
Cornu cerui præparati.
Croci. ℈. ii.
Fiat omnium puluis. vtatur, vt de alio dictum est.

Puluis Tertius.

℞. Carlinæ.
Angelicæ.
Sem. citri.
Terræ Lemniæ.
S. Acetosæ. } an. ʒ. iii.
Tormentillę.
Dictamni.
Vincetoxici.
Cinnamomi.
Spec. diamargariton frig. ʒ. vi.

Omnia in subtilissimum pollinem redacta modo dicto ex vsu existant. de quibus pulueribus possunt fieri tabellę, vt sic.
℞. Dictarum specierum. ʒ. ii.
Cum zuccaro, & aqua acetosę, scabiosę, scorzonerę, vincetoxici, corticum nucum maturarum. q. s. fiant tabellę, vel morselli, de quibus sumatur. ℥. i. pro uice per tres horas ante cibum. Pręter hęc puluis à Montagnana descriptus nulli secundus existimatur. Pro pauperibus verò puluis hoc modo paretur.

Puluis pro Pauperibus.

℞. Carlinæ.
Angelicæ.
Vincetoxici. } an. ℥. ij.
Scordij.
Tormentillæ.

Fiat omnium puluis, de quo capiat capiens à ℥.i. vsq; ad ℥.ij. ordine præscripto. Ad eandem intentionem valet, & hoc, prout sequitur, nec immerito, cum dicat Dioscorides in prologo super sextum eius librũ, quod sumpta nux cũ ficu, & ante venenũ comesta, veneni malitiã frangit. hoc modo autẽ paratur.

℞. Caricarum pinguium nu. ij.
Nucis num. ij.
Foliorum rutæ. num. x.
Salis. ℈. s. aperiatur ficus, & intra nux, ruta, & sal ponantur, & deuoretur. quæ Antidotus, etsi vulgatis, & communibus satis constet, tantæ tamen virtutis habebatur, vt Nicander, sequentibus Carminibus eam summis laudibus extulerit.

Antidotus verò multis Mithridatia fertur.
Consociata modis, sed magnus Scrinia Regis.
Cum raperet victor, vilem deprehendit in illis.
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.
Bis denum rutæ folium salis, & breue granum.
Iuglandesq; duas terno cum corpore ficus.
Hæc oriente die parco conspersa lyeo.
Sumebat metuens dederat, quod pocula matri.

Folia quoque verbenæ in aceto intincta prosunt, sint quinque, aut septem. ad quam intentionem bolus ex folijs acetosæ sumptus, scabiosæ, & cicerbitæ commendatur. poterunt, & in aceto intingi, ac summo mane manducari. Nonnulla quoque stercora salutaria habentur. præsertim columbi, & gallinæ nigræ. quod stercus gallinæ in Mediolanensi Clade plurimum valuisse à fide dignis habetur. datur à ℥. i. vsque ad ij. cum syrupo cõtra pestem, si in bolo exhibetur. si verò in forma potabili, cum eodem syrupo, & aquis dictis dari poterit, quod nullo medicamento secundum existimatur. valet quàm maximè succus Rutæ Caprariæ, Galega appellatę. Modo de conditis dicamus.

De conditis. *Cap.* XLIIII.



VNT & nonnulla condita, quæ præter id, quod gustui gratissima sunt non modicum pro præcautione à peste prodesse possunt. inter quæ Zinziber conditum, radix eringij, radix Chameleonis albi, Carlinæ appellatæ, mirabolani Chebuli, Cortex citri,

citri, limonum, arantiorum, & pomorum Adæ mirifice commendantur. Folia quoque scabiosæ, verbenæ, dicto modo paratæ, non vulgaris iuuamenti existunt, quæ ante cibum per tres horas, vel postquam quis surrexerit sumi debent, quantitas verò sit à duabus drachmis ad vnciam mediã. Nunc de oleis dicamus.

De oleis à peste præseruantibus, quæ intus sumuntur. Cap. XLV.



LEA quæ mirificè in peste probantur, sunt oleum de sulphure, & oleum de vitriolo, nec immeritò, cum Galenus. 9. de simpl. med. cap. proprio, ita de eo scriptum reliquerit, sulphur enim attrahẽdi vim possidet, estq; temperamenti calidi, & essentię tenuis: atque ad multa venenatorum animalium resistit. si quidem ego aduersus turturem marinum, & draconem sæpenumero eo sum vsus. De Cuparosa verò quæ est pars purior vitrioli, Matthiolus in com. 73. super v. lib. Dioscoridis in hæc verba prorumpit, nec quisquam mirari debet, cum vitriolum vlceratricis corrodentisq; facultatis existat, vt ad latos necandos vermes, & ad fungorum maleficorum interimendum venenum per os Dioscorides exhibuerit: cum nostris temporibus in talibus & maioribus eius sit vsus nam oleum ab eo per artem Chymicam extractum necnon Cuparosa ipsa præparata nedum in peste, sed vt omnia venena euomantur summopere valent. dantur à tribus vsque ad sex guttas cum brodio pullæ alterato, & cum syrupo contra pestem. Modo de his, quæ extrinsecus applicantur, agamus.

De localibus, quæ à peste præseruare possunt, & primo de his quæ Cor muniunt. Cap. XLVI.



VONIAM primo libro statutum fuit morbum istum Cor primo inficere, & occupare, vel contenta ab eo, vel corpus ipsum visceris, hac de re præ cauentis intentio, in ipsius tuitione, & munimine, tota esse debet. Verùm, quia multa, & varia

medicamenta ſunt,quę hoc explere valent,non omnia; ſed quæ latu,& opere faciliora,commodiora,valentioraq; ſunt, deſcribemus.Inter quæ ſacculi cordiales appellati, ſummopere commendantur,qui ſecundum diuerſa anni tempora, modo ex frigidioribus, interdum ex calidioribus conficiuntur. Primo de frigidioribus agamus.

Species cordiales frigidæ hoc modo parantur.

℞. Sandalorum omnium.
Corallorum amborum. } an. ℥. ij.
Florum nenupharis.
Myrtillorum. } an. ℥. iij.
Florum quatuor cordial. an. ℥.ij.s.
Ligni aloes.
Cort.Citri. } an. ℥. i.
Serici.
Spodij.
Ben.vtriuſque. } an. ℈. iiij.
Oſſis de Cordi cerui.
Croci. } an. ℥. s.
Canphoræ. ℈. i.

Fiat omnium puluis. ea quæ ſacculis de ſeta tincta in chermes. s. ar. parentur, & cordi applicentur. Modo ſpecies calidas cordiales deſcribamus.

Species Cordiales calidæ.

℞.Zedoariæ.
Ben vtriuſque.
Ligni aloes.
Ozimi Gariophyllati. } an. ℥. ii.
Gariophyllorum.
Cort.citri.
Granæ tinctorum.
Nucis muſcatę.
Floris roris marini.
Spicę.
Florum quatuor Cord.
Florum myrtillorum. } an. ℥.i.vel ℈. iiii.

San-

Sandalorum omnium. } an. ʒ.i. s.
Doronici.
Croci. ʒ. s.
Galliæ muſcatæ. ℈. ij.

Fiat omnium puluis pro ſacculo, vt ſupra. Et quoniam habitus eſt ſermo de calidis, & de frigidis; facile temperatas ſpecies, conficere poterimus, ſi primo, moſcum & ambram an. gr. iiii. addiderimus. Non deſunt qui ſacculos ex puluere buffonis parent, quos miris laudibus extollunt. Non deſunt etiam qui offellas ex arſenico, & riſagallo commendent. de quibus modo dicamus.

De offellis, riſagallo, & arſenico, quæ ſupra cor geſtata à peſte præſeruant. Cap. XLVII.

MVNIMEN Cordi ex arſenico confectum vario modo paratur, nonnulli enim ſequenti ordine conficiunt.

℞. Arſenici Cryſtallini. } an. ʒ. iii. vel ℥. s.
Riſagalli.

Cum albumine oui fiat offella, altitudinis medij digiti, magnitudinis totius palmę manus, formæ rotundę, vel ſimilis cordi, ad vmbram ſiccetur, & in ſacculo ſericino ponatur, & ſupra cordis regionem adaptetur. quam adeo prodeſſe poſſe, Monardes de Syuillia, multarum obſeruationum vir, affirmauit, vt quotquot eam geſtauerint, omnes à peſte intacti remanſerint. Sunt qui capſulas cupreſſinas, vel ex aliis lignis odoriferis rotundas, & altitudinis digiti conficiunt, & intus offellam recondunt, & ſupra cordis regionem accomodant: quæ tamen capſula multis foraminibus ſit perforata. Non deſunt rurſus qui ſacculos, vel offellas ſequenti ordine parant.

℞. Arſenici Cryſtallini. ℥. i.
Myrrhę. } an. ʒ. iii.
Croci.

Miſce. fiat ſacculus, vel offella, & cordi applicetur. nos autem confectam ex arſenico ſincero, vel ex arſenico, & riſagallo, ſine aliqua alia mixtione, (ne à commiſtis virtus eorum frangatur,) magis laudamus. Cæterum quomodo hæc cum venena ſint,

à peste præseruare valeant; similiter dictorum occasione, quomodo animalia virulenta, quæ morsu enecant, supra morsus imposita sanare queant, diligentius inquirere, inutile non putamus.

Quomodo sacculi, vel offellæ è puluere Buffonis, vel Risagalli & Arsenici confectæ cum venena sint, supra cor impositæ à peste præcauere possint. quorum occasione, antea quæritur, quomodo virulentæ Bestiolæ, quæ morsu enecant, supra morsus impositæ sanare queant. Cap. XVIII.



ALENVS in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. x. propositam difficultatem enodare pollicitus, veterem quandam orationem quæ quæsiti reddere rationem nititur primo respuit; postea medicos, qui tantum experimento acquiescunt præter id, quod experimenti inquirere, aut reddere rationem tentent, acriter reprehendit, & ad dictorum experimentorum corroborationem, nonnulla exempla recenset, nempe quod Cocodrilli pinguedo, supra Cocodrilli morsum imposita, summe confert: similiter mus araneus, & vipera attriti, eorum morsibus coniuncti, absque dolore sanare queunt. tandem vt redderet quæsiti rationem, in hæc verba prorumpit. Atque hæc, nostra quidem sententia (sicut dicebam) non absque ratione contingunt. nam cum tantam vim non habeant, vt illico necare possint, paulatimq; in profundo corporis virus serpat; id quod in cataplasmatis euenire conspicimus; cum moderatum vigorem in se habeant, sanare imposita, & non occidere queunt. A qua Iulij Martiani Rotæ traditione Græcus codex adeo parum deflectitur, vt orationis sententiam non immutet. quæ verborum series, ita mihi obscura videtur (cum mancus eo loco iuditio meo sit Galeni Textus) vt maiorum tenebrarum potius, quàm noui luminis, intellectui meo causa extiterit. Non erit propterea quin tam abstrusæ rei, rationem reddere, non procurem. Cæterùm pro dicendorum

intelligentia, duo imprimis notanda erunt: Viperarum nempe constructio, & compositio, rursus earum facultates, & vires, quę omnia à Galeno petamus, qui xi. de simpl. med. ad principium, aliquorum fortuitos euentus recenset, per quos à sceuissima lepra patientes, viperarum virtute, sanitati restituti fuere, earum etiam vires docens, sic scriptum reliquit. Conueniens autem est generalis facultatis meminisse, carnem viperinam nempe, excitatoriam, & valenter digerentem, mediocriter verò excalefacientem habere. Properat autem, vt videtur, eius vis ad cutem, per quam videlicet, quæ in corpore sunt recrementa, exigit. In lib. verò. de Theriaca ad Pisonem capit. 9. postquam rationem docuit, qua capita & caudæ viperarum amputari debent, sic subdit. Nec verò illa te capiat admiratio, si hisce partibus ademptis, reliqua viperarum membra, potentiorem antidotum efficiunt, ex ingenita, admixtaq; carnibus ipsarum facultate. Ibiq; ad dictorum firmitatem, variorum animalium, varias partes, variis affectibus auxilio esse recensuit, & affirmauit. primo quoque de Antidotis parum à principio enarrato, celebrataq; Andromachi in conficiendo Theriacam, exquisita diligẽtia, de viperarum in Theriaca additione, sic scriptum reliquit, Theriacæ non modicam carnem viperinam adiecit, propter quam ad viperarum morsus valentior est Mithridato: ad alia vero non ita, immo ad quædam aptior est Mithridatica compositio. Ex quibus authoritatibus sat patere putamus, viperinam carnem iuuatiuam facultatem, & ingentem aduersus venena & præcipuè proprium, habere. rursus per cutim recrementa exigere. Modo de viribus, quæ ex eius compositione resultant dicamus. In quo, diuinum quoddam naturæ prouidæ opus explicatur, quæ omnia ad huius inferioris mundi perfectionem, contraria insimul contemperando, ad bonum finem, ab intelligentia non errante directa, eius nutu cuncta insinuat, atque perficit. BONE DEVS, quid putamus, adeo virulenta animalia produxisse naturam, vt tantum humano generi obesse possent? nonne nouerca potius, quàm pia mater in hoc opere apparuisset? Sed non sic res se habet, non sic, cum à contemperato earum esse, virulentæ bestiolæ, non tantum obesse, quàm prodesse possint. enecant ictu, & iaculato veneno: sanant è contra, nedum per os sumptæ, sed cõtritæ, & emplastico modo super positę: nec hoc tantum explere, sed varios

alios

Quib. morbis magis valeat Theriaca et quib. Mithrid.

Caro viperę valet adversus venena

alios morbos,& maximè cutaneos,difficilis eradicationis, vipe-
rę curare perbelle possunt.proh mirabile opus, proh inauditum
archanum,vt quod enecat idem quoque sanare queat. vnde cla
rioris doctrinæ gratia exemplo vtens viperas, buffones, &
scorpiones, duas habere partes & illas contrarias credẽdum est,
nempe virus & carnes,vel aliquod aliud, quod veneno aduersa-
tur,vnde viru enecant;carne, vel illo, quod veneno aduersatur,
liberant.Dixi autem,quod veneno aduersatur,quia in omnibus
eadem non aduersantur, vt in exemplo, in vipera, mure araneo,
& scorpione,caro viru opponitur: Buffonis vero veneno,lapi-
dem, qui in eius capite continetur, contrarium esse à Concilia-
tore affirmatur:quod non alia ratione fieri putarem, nisi quod
virulenta animalia ex contrarijs facultatibus à natura prouida,
vt viuere possent, facta sunt: nam si totum viru dicta animalia
essent; quomodo sub eo viuere valerent? illi ergo viru salutaris
caro vel aliquod aliud correspondet, & contraponitur, vt ex ip-
sis ita libratis, animalis esse illius speciei perficiatur. Quare re-
manet,vt animalis partes,quæ venenum non sunt, veneno tali-
ter opponantur,per earum temperiem,& formale esse; vt à ve-
neno,nedum necari non possint,sed veneno ita obsistere, vt ex
ipsis esse,& durationem suscipiat animal. vt in non venenatis ex
contrariarũ qualitatum miscela conspicitur, quæ simul adeo li-
brantur,vt ab ipsis eorum esse constituatur. Vnde illa facultate,
quam vipera per cutim exigendi recrementa habet, venenum ad
extima per spirituales vocatas qualitates, vt magnes ferrum,tra-
here potest,quod Auer. 7.phys.com.x. ita fieri demonstrauit. ita-
que venenum caro per contrariam,quam possidet facultatem,
superare valet, id vero tanto facilius, assequi potest, quanto per
contritionem virulentia,quæ in vipera erat,ferè dissipatur.vt ca-
ro,quæ toti veneno contrariari poterat, facilius eius partem su-
perare,& euincere commodè queat.Cæterum peteret aliquis,an
eadem vipera tantum,an alia & iam superposita iuuet. Cui cum
Dioscoride lib.6.cap.44.& est caput de scorpione, ita responde-
mus,eandem proculdubio, maiorem valentioremq; facultatem
prædicta faciendi, propter eam quam cum viru habet propor
tionem,possidere; non esse tamen propterea, quin altera super
posita identitate specifica eadem præstare non valeat. Cæterum
in animalibus, quæ per cutim recrementa exigendi facultatem
non

non habent,& emortua virulentiam seruant, ratione similitudi nis, venenum trahere per dictas spirituales facultates credendũ est,ut in exemplo Buffonis, puluis, qui ita à peste prȩseruat, quia ad se omne virus attrahit, cum virulentus puluis existat: quod & in animatis conspicitur,quæ ratione similitudinis cum totum venenum sint,venenum attrahunt.vnde humores in corpore,qui per excedentem putredinem veneni formam, & quan tum ad vires,& quantum ad qualitates æquant, iure merito venenum appellare poterimus.nam sicuti venenum, quod ab humorum putredine ortũ habet,quem detinet, enecat; & ille alios inficere commode potest, quod Galenus exemplo Canis rabidi. 6.de loc.affect.cap.5.demonstrauit, cuius spuma non per similitudinem,sed propria nuncupatione, venenum vocatur, hoc vel maximè esse potest, quia valentiorem veneno facultatem possidet.venenum enim qui illud sumit,vel emorsum,aut iaculatum tantum enecat,contagium verò retinet nullum: at spuma,& humores, per excedentem putredinem in corpore nostro putrescentes,non solum possessores enecant;sed præterea contagium retinent,quo alios inficere,& enecare valent. Ita per similitudinem (vt dictum est) ab Arsenico & Risagallo contagiosa venenataq; pestis seminaria attrahuntur, quæ magis, & melius attrahẽt quæ venenare valeant, tum quia à calore actuationem venena non suscipiunt, vt obesse possint; tum quia spirituales facultates à natura non solùm non recipiuntur; sed magis omni conatu expelluntur. vnde cum repugnantiam à veneno non habeant, venenum attrahere commodè possunt, naturam verò repugnantem, nequaquam lædere valent. Et quoniam posset aliquis dicere, quod Arsenicum & Risagallum nisi per excedentes qualitates venenum non sunt, quibus venenata seminaria per similitudinem, ne ab ipsis homines lædantur attrahere non valent; dicere poterimus, quod præter excedentes qualitates, aliquid habent, per quod veneni formam acquirunt. Hinc crystallus, his qui Arsenicum sumpserunt, vt Matthiolus supra dictum Dioscoridis com.29.ex Conciliatoris decreto docet, pro Alexipharmaco existit. certum est autem quod manifesta qualitate, cum calidum, & siccum sit, vt Serapio in de simplicibus ex mineris cap.382. asserit, id non peragit; remanet, vt à tota forma illud agat, à qualitate enim manifesta caliditatem, & siccitatem Arsenicum

Humores valde putridi fugare Venenu

nicum augeret. Quare dicendum est in Arsenico præter dictas excedentes qualitates, aliquid inesse, formam veneni constituēs, quæ à Cristalli forma euincitur, & dissipatur. Ex quibus concludere poterimus, propter dictam similitudinem, venenata seminaria attrahere posse. & si possimus etiam dicere, cum excellentem putredinem, nisi ab excedente humiditate fieri non contingat, quòd per mixtionis dissolutionem, humiditatem velut ignis purgatorius, Arsenicum, & Risagallum assumentia putredinem inhibeant, vt de igne, & Theriaca in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. Galenus affirmauit. Ex dictis igitur colligimus, quod sacculi ex puluere Buffonis, vel ex Risagallo, aut Arsenico confecti, similiter, & offellæ non absque ratione à fide dignis, pro secreto in præseruatione à peste commendantur. non immiscerem autem aliquid cum ipsis, ne fortè à dicta mixtione eorum virtus frangatur. Cæterum ipsos gestantes, vt non sudent, suademus, ne venenatum aerem trahere conentur, & ne incalescentes sacculi, vel offellæ, per apertos poros, eorum vim ad cor immittant, & ita nocumentum, & forsan mortem inducant. Nunc de oleis, quæ præseruare valent, dicamus.

Olea, quæ cordi & pulsibus inuncta à peste præseruare valent. Cap. XLIX.

IAM quibus cor muniri potest sacculis, vel offellis, vt quis à peste præcaueri possit, satis abundè supra docuimus. in præsentiarum, quæ olea idem præstare possunt disseramus. inter quæ oleum Magni Ducis Hetruriæ, supra cordis regionem & pulsuum inunctum, summopere prodesse, longo vsu compertum est, Quod nedum contra pestem, sed etiam ad venena omnia parari iubet. Ad eandem etiam intentionem oleum Carauitæ prodest. valet & oleum Matthioli, vti non vulgare, quod sequitur, existimatur.

℞. olei veteris, vel pro eo olei bis per elambicū transfusi ℔. iiii.

Foliorum hypericonis. }
Florum eiusdem. } an. m. ii.

In balneo Mariæ folia & flores per duos dies naturales infundantur, deinde per sex horas bulliant, postea refrigerari permitti-

to,

to, oleum coletur, & ingredientia valide exprimantur, quod sem per dicta ingredientia immutando, tribus vicibus fiat: oleumq; in ampulla bene clausa, quoad hypericon semen produxerit; exponatur. tunc idem cum semine fiat, quod cum frondibus. & in torculari exprimendo. quibus expletis, diebus quindecim feruenti soli oleum exponatur. postea.

℞. Tormentillæ.
Carlinæ.
Arist. rot.
Sandalorum Rubeorum. } an. ℥. i.
Spicæ.
Dictamni albi.
Granorum Iuniperi.
Gentianæ.
Zedoariç. } an. ℥. s.

Omnia in s. q. vini maluatici, vel Cretici infundantur. in balneo Mariæ per duos dies. macerētur deinde p sex horas, aut octo, in eodē balneo bulliāt, in torculari exprimātur, vinumq; expressum cum oleo misceatur, rursusq; ad vini medietatis cōsumptionem, in dicto balneo ferueant, & pro vnaquaq; libra olei adde.

℞. boliarmeni non adulterati.
Myrrhæ.
Rhabarbari electi.
Croci. } an. ℥. ii.
Aloes hepatici.
Sandalorum alborum.

Puluerizentur omnia, & ad vini integram consumptionē bulliant, tunc colentur & exprimantur. & pro vna quaq; libra olei.

℞. Viperarum. nu. iiii.

Ponantur viperæ in cucurbita vitrea, Cucurbita verò super calentes cineres, & cū indignatæ viperæ fuerint, feruens oleū super ipsas proijcito, & in balneo Mariæ per duos dies macerato, hinc per sex horas ebullire permittito. colētur, leuiterq; exinde exprimantur, & pro vna quaque libra olei expressi ponantur.

Mithridati.
Theriacæ. } an. ℥. ii.

Rursus in dicto balneo, leui ebullitione, bulliant, postea feruenti soli per mēsem & vltra oleū exponito, & vsui pro linimēto cordis, & pulsuū caute seruato. dicta verò inunctio semel in die

pro

pro pręcautione satis erit, at pro curatione, tertia quaq; hora reiteretur, quod de alijs etiam dictis oleis faciendum putato.

Aliæ autem corporis partes, quæ tempore pestis muniri possent, variæ sunt, vt hepar, stomachus, nares, aures, os, & testes. verum non omnibus, & in omni tempore auxiliũ præstare, congruum putamus. hepati enim, nisi purgato corpore, vt xi. Meth. c. 15. à Galeno sancitum est, localia applicari non debent: quo tempore si supercalefactum esset, ordine in 3. lib. cap. 27. præscripto regatur, & contemperetur. vti si ventriculus esset debilis, regimine eo. 3. cap. 25. enarrato corroboretur, & firmetur. Testes insuper, quia laqueati, alio auxilio nõ egent. Cæterum si laqueo carerent, aqua rosata addita vini Cretici portiuncula, sæpius in septimana lauentur. quod si cum decocto Carlinæ, scordij, dictamni, rosar. rub. sandalorumve, addito vino cretico lauarentur, saluberrimum existimamus.

Aures rursus oleo de scorpionibus, de hyperico, de semine citri, de spica, ęstate tepidis, hyeme calidis muniantur. digito enim in dictis oleis intincto, aliqualiter fricentur. quod si caput calidum esset, dictis oleis, rosatum, & parum aceti addi poterunt.

Nares præscriptis pomis roborẽtur, Rursus in pila cupressina, aut sandalina foraminulenta, frustum spongiæ nouæ prius aq. ros. acet. ros. madida ponatur, & sæpius odoretur.

In ore vero, æstatis tempore: diamargariton frigidũ in tabellis tenere, salutare valde censemus: vti Zuccarum rosatum in tabellis, coriandrum præparatum, haustum aq. ros. de floribus citriorum, aranciorum, baccæ Iuniperi, cinamõmum, macis, nux myristica, & similia laudantur. cætera autem petenda sunt, supra. cap. de conditis, & est cap. 43. quorum aliqua in æstate, alia vero in hyeme, prout calidiora; frigidiorave magis expedient, vsurpanda erunt.

Facies aqua pura primo lauetur, & abstergatur, postea aq. ros. aceto ros. aspergatur. Animaduertendo, quod quæ ad pestis præcautionẽ faciunt, si vicina, aut præsens fuerit, accuratius exequutioni, quàm si esset remota mandari debent. Cum quibus omnibus rite dispositis Regna, Ciuitates, & vnaquæque domus, a peste (Deo adiuuante) præcaueri poterit. Qui vti trinus & vnus viuit, ita nos, à tam immani morbo præseruet. Qui sit benedictus in sęcula Amen. Modo curationem in tertio, cum secundus completus sit, aggrediamur.



ANTONII PORTI FIRMANI PHYSICI DE PESTE LIBER TERTIVS.

Totius operis epilogus, & quare ſit quod medicamenta peſtem non euincunt.

PRÆFATIO.



ACTENVS *ſub quo genere morborum peſtis contineretur, quidnam eſſet, à quibus principijs, & cauſis fieret, & quænam eius eſſent differentiæ, quæ ſigna, & alia multa, quæ ad eius certam cognitionem faciebant, omnia in vniuerſum primo libro percurrimus. Mox quomodo per ſex res non naturales, per exteriora, per corporum, cũ pharmacia, venæque ſectione, necnon per Bezahardicorum medi camentorum præparationem, vt ab ea quis prçcaueri poſſet, libro ſecundo diſſeruimus, ſupereſt modo, vt de eius curatione, propria methodo, in hoc tertio agamus. Verum enimuero, quia dum morborum varias naturas, in primo, lib. cap. 2. inquiſiuimus. Peſtem de mente Hippocratis & Galeni, epidemiam eſse perniciosam monſtrauimus; qui met Galenus 2. Aphoriſmorum. com. 13. in peſtilenti cçli ſtatu plurimos mortales perire, & criſes ad malum termi-*

terminari asseruit: hinc illa auxilia, quæ multis fuere saluti, in morbo isto, plurimum non prodesse cernuntur. Si enim auxilium præstarent, pestis equidem dici non valeret, cum de eius essentia sit, mortales plurimum interimere. Unde non quia remedia salutaria non sint, sed quia minoris eo inæqualitatis cum morbo existunt ipsum ferè invincibilem fugare & ægros liberare non posse credimus. Quapropter vel tantum prognostico, vt plurimum derelinquendi ægrotantes erunt, cum desperati vt plurimum sint, vel cum protestatione eorum curatio suscipienda erit, ne stupidorum Medicorum numero ascribamur, & illa infamentur remedia, quæ multis fuere saluti. Nunc quæ signa salutis sint, quæve interitus, vt inde prognosticum elici possit, diligentius inquiramus.

Signa prognostica enodantur. *Cap.* I.



VM agentis secũdum rationem actionem propter finem fieri condecens sit, finis autem nedum diuersus, sed sæpius contrarius, in præsenti morbo conspiciatur: cum plurimum ad interitum, interdum verò ad salutem finiatur, hinc salutis signa, similiter, & interitus, si quę certiora sunt, depromere, antequam ad remediorum administrationem deuenirem, necessarium putaui: cum præsertim, inter acutos morbos, hic maxime deceptorius existat. Vnde si verum est dictum Hippocratis[1], acutorum morborum non esse omnino certas prædictiones salutis aut mortis; in hoc fraudulento morbo, verissimum esse experimento compertum est. si quę tamen veriora, certioraue signa salutis, aut mortis, haberi possunt; à tribus in vniuersum sumuntur: Ab ægri nempe natura, morbo, & medicamentis. A natura ægrotantium, si uires constant, & in constantia perdurent, si bene comedant, comesta conficiant, & viriliter agant. A morbo, & symptomatibus, si non ita scæua inuadãt, & ad exitum bubonis, carbunculi, vel antracis, & papularum, accidentia remittantur, & ista bene disponuntur, ita vt sint figuræ, coloris, magnitudinis, & numeri regulati. A medicamentis si vel ab exhibitione, uel applicatione medicamentorum, symptomata remittentur, & æger leuius feret. his contraria, cõtrario modo se habent, vti si mediocritatem

seruabunt,

seruabunt, vt aliqua signa sint bona, & rursus aliqua mala, anceps iudicium sequetur, etsi potiora, & à membris nobilioribus excerpta, semper præualeant. Modo curationem aggredi tempestiuum esset, verum cum sine ministris, locis, & rebus, curatio cōgrua fieri non possit, de eis prius agere quam curationem ponere, operæprecium duximus.

Quid agere debeant Principes, & ciuitatum Rectores, vt à peste infecta loca liberentur, & de personarum electione. Cap. II.

QVoniam de summa rerum agitur, hac de re, non est diligentia, cura, sollicitudoque maior, aut maxima, qua maior aut maxima, pro diluenda euellendaq; peste, non requiratur. omnia enim eo tempore timēda, tremendaque, vt in præfatione diximus, occurrunt, à quibus mortalium mentes confusæ, cum indiscriminatim, & absque ordine, infecta corpora, & eorum res, in quibus contagium reperitur, vel incuria, aut auiditate tractentur; remanet, ut pauco temporis curriculo, omnia disperdantur, & intereant. Hac de causa regulas, quibus pestem cū Dei adiutorio euellere valeamus, dicere non grauabimur. Quæ in tribus potissimum consistunt, in personis nempe, locis, & rebus. de personis primo dicamus.

Vide sup.a lib: 2. cap. 1.o de Preseruatione

Ea propter ante omnia viros sanitati præfectos, qui prudentia, authoritate, diuitiis, sed magis religione, alios antecellant, eligere expediet; Qui cuncta, quæ ad tam arduum opus peragendum, vtilia, necessariaque videbuntur, exequendi, imperandiq;, plenam facultatem habeant, & imperiali manu tractent. Quorum numerus, iuxta loci magnitudinem, constituatur: ad minus autem sint tres, quorum duo, si tertius non esset in voluntate conformis, omnia, quæ ad communem vtilitatem faciunt, explere valeant. Cæterum, quia dictos præsides, cuncta peragere, nec congruum, nec possibile esset, propterea alios ministros, & illos varios, secundum tamen opportunitatem eligant, nempe Sacerdotes, medicos, experimentatores, chirurgos, tonsores, extillatores, astantes, custodes, locorum præsides, mulieres, rerum suspectarum euentatores, mundatores, & purificatores. Similiter

ter rerum, & personarum tam infectarum; quàm non infectarũ portitores, regionum custodes, diuersos famulos, & vespillones. Qui omnes numero tot sint, vt quique proprium ministerium complere possint. Qui Sacerdotes Deum gloriosum vereantur, proximumque caritate nimia prosequantur. Qui variis doctrinis, & exemplis, præter sacramentorum continuam administrationem, infirmos ita disponant, vt pro animæ salute mortem etiã pati parati sint. Medicos verò tales eligendos monemur, qui in re Medica maxime sint exercitati, & qui duobus cruribus, ratione nempe, & experimento incedant. non propterea vt empirici, qui morbum hunc fugare, & interimere profitentur, vti chirurghi, qui longo vsu comprobati sunt, eligantur, damnamus. extillatores debent esse maxime exercitati, cum quintæ essentiæ in frãgendo dictum morbum, potissimum habeant prærogatiuam in parua namque ipsarum quantitate, non modica virtus reperitur. Aromatarii verò omnia nutu medicorum exequantur, cũcta ex ordine parent, & ex rebus optimis ordinata conficiant. Mulieres coquinæ & linteaminum purificationi, & omnium mundationi, resarctionique præsint. pannorum, & vestium suspectarum purificatores, aqua, aceto, igne, verberibus, & suffumigijs, maxima tamen cum cautela curent, & securas reddant. custodes peruigiles sint, & maxima cum diligentia, quod eis ad custodiendum datum est, custodiant: plures tamen sint, vt custodienda requirunt. portitores varij sint, nam qui res infectas, vel suspectas tractant, res quę suspicione carent, tractare non debent, vti, & bestiæ: quæ enim res infectas portant, suspicione carentes portare non debent. Tonsores autem secandis venis, pilis amputandis, uentosisque affigendis, nutu medicorum inuigilẽt. vespillones tandem, cum ut plurimum, vt dictum est ægrotantes intereant, foueas longas, latas, & profundas habeant, vt statim mortua corpora antequàm amplius corrumpantur, humare possint. Modus humandi talis erit, cadauere nudo prius in fouea reclinato super ipsum calx viua aspergatur; postea terra optime cooperiatur. si enim parũ cooperiretur, & pluuia super ueniret, euaporatione concitata, aer magis infici si coinquinatus, sin minus, infici valide posset. quòd si aliquo impedimento humari non poterunt, vt comburantur, in loco tamen à ciuitate remoto, consulimus, ne eorum praua euaporatio aerem putum

coin-

coinquinet, uel coinquinatum impuriorem adhuc reddat. Cęterum quia ad dicta peragenda, nisi cupidine impulsi, libenter homines non accedunt; hac de re auro, & argento allecti, ut dicta iusta genus suum, omnes peragant, curandum erit, quod aurũ ære publico pro pauperibus soluatur. Nunc de locis dicamus.

De electione locorum. Cap. III.

Loca quæ pro tanti operis expletione, necessaria erũt, tria ad minus principalia esse debent; quæ uel in ciuitate, ab hominum tamen consuetudine remota, vel parum extra ciuitatem eligantur. sint Borealibus ventis exposita, Meridionalibus verò abscondita, magis in sublimi, quàm in conuallibus. super omnia tamen in bono aere, & ab omni fœditate alieno, & distanti sita. Ad quem vsum, commoda erunt Monasteria, & Palatia, quæ si per se non sufficerent, cum multa & varia domicilia, tam pro ægris, quàm pro sanis requirantur, aliæ ligneæ, vel lapideæ, secundum opportunitatem, dictis proximæ construantur, in quibus fons perenniter currens, & copiosus vel riuulus, aut flumen, (si fieri potest) existat. vsus diuersus erit. in vno ęgri peste correpti, in altero ægri peste non detenti, in tertio, qui suspicione non carent, ponendi erunt. & quoniã peste laborantes, in duplici differentia sunt, alii enim febre tenentur, alii verò à febre derelicti; vel qui carbunculus, anthrax, & bubo, ad perfectam sanitatem redacti non sunt; eos adhuc omnino lue carere dicendum non est; nec, vt cum aliis qui febre cruciantur; permaneant, opportunum erit. Hac de re, vt domum particularem habeant, congruissimum, & necessariũ putamus, ne iterum correpti peste intereant. Tertius conualescentium, & affatim peste carentium, similiter & eorum qui suspicione non carent locus erit. nam si in aliqua domo, vt aliquis peste corripiatur contigerit; & alii ab eo in domo illa fuerint; tutum non erit, etiam quod infectus ad ægrorum locum transferatur, ut hi, qui cum eo erant, etiam animalia, cum sanis liberam consuetudinem habeant. hinc, vt alium locum ab infirmis ingrediantur, & familiaria animalia canes, feles, & similia occidantur, imperamus: in pilis enim aliquando, etiam quòd ipsa coinquinata non sint, infectionem portare solent. In quo loco ex- Nota

purgata per quadraginta dies suspicione, eis libera consuetudo cum sanis detur. quòd si ęgrotauerint, ad ęgrorum locum illico transferantur. similiter de conualescentibus dicendum est, vt eis nempe cum sanis consuetudo, antequam per quadraginta dies in dicto loco permanserint, & ab omni suspicione vacauerint, nullo pacto concedatur. Cæterum præter alia diuersa domicilia, in vnoquoq; loco, duo ampla domicilia esse decet: in vno namq; viri, in alio vero mulieres poni debent, non enim condecens est, vt vnus ab altero videri possit. Vti congruum est, vt mulierum, mulieres, & virorum viri, ministri existant: similiter, & de ægrorum non pestilentium loco, necnon & conualescentium dicendum est. Qui vero ægros pestilentes tractant, necnon, & eorum vestes, & res, vt domum particularem habeãt, necessarium existimamus, tuta enim eorum consuetudo cum sanis non est. nam etsi ipsi non inficerentur, eorum vestes infectæ, sanos inficere valerent. Quæ vestes, & res domum commodam habeant, vt in ea purgari, mundari, & purificari ab expurgatoribus possint. quæ si maximè à peste correptis tractatæ sunt, & multi valoris non sint, omnino comburantur, dictis contrariæ, mundentur. Remanet modo, vt de ęgrorum personis dicamus, qui in lectis bene ordinatis, & mundis linteaminibus confectis, odoribusq; variis secundum diuersa tempora alteratis, reclinandi erunt. etsi fieri posset, vt vnusquisque proprium cubile haberet, melius esset. sæpe enim contingit, vt vnus altero valentiori morbo corripiatur cuius halitu magis quàm alterius, aer particularis inficietur. Cæterum si dicta loca aliqua iusta de causa fieri non pòterunt, vt in eorum domibus infirmi claudantur, necessarium erit. & si non modica cura requiratur, nempe, vt qui peste detinentur, ab his, qui ab ea correpti non sunt distinguantur. isti enim claudi non debent, sed ad locum infirmorum, qui peste non laborant ducendi sunt, vel magis si diuites erunt, in propria domo regantur. Quibus omnibus Regionum Rectores præsint, qui habita ægrorum notitia, deputatis denuncient, vt omnia suo ordine regi commodè possint. Verum si in domibus claudantur ægrotantes, qui in domo illa sunt, omnes cum ægro, vel ægris, consuetudinem non habeant, sed qui ad eos gubernandos magis idoneus censebitur eligatur; & ille, vt in capite regiminis adstantium dicetur, cum proprijs antidotis, &

alijs

Nota

alijs præseruantibus optimè muniatur. Cæterum inter alia, vt custodes omnibus locis, & rebus dentur oportebit, ne qui non debent intrare, intrent, & qui non debent exire, exire possint. similiter, ne res infectas furentur, vt ab eorum vsu, non infecti inficiantur. Notandum insuper, quòd non alia ratione, locum infirmorum peste nõ laborantium, extra ciuitatem locauimus, nisi quia sæpe accidit, vt morbus non pestilens in tempestate pestilenti pestilens euadat, vt Thucidides in Atheniensium clade contigisse affirmauit. hinc ne qui in ciuitate sunt, quoquomodo ab infectis infici possint, vt extra ciuitatem eorum loca, si fieri potest constituantur, diximus. quod si aliqua ratione, dicta loca fieri non poterunt: pro pauperibus hospitalia, ab hominum consuetudine, quoad fieri poterit remotiora, eligantur, quæ custodibus, vt dictum est muniantur. Cæterum qui ex loco conualescentium, eorum domum petere volunt, illam nisi optimè odoribus, igne, & dealbatione mundatam, & innouatam, ne iterum inficiantur, petere non debent. in qua prius suspecta omnia, vel igni donata, vel dicto ordine expurgata, existant. modo de rebus agamus.

Expurgat. domoz

De rerum prouisione. Cap. IIII.

PER res, omnia quæ ad vsum, & victum, tàm sanorum, quàm ægrorum vtilia, & necessaria sunt, intelligimus. Quare Principes & Respublicæ, quæ ad victum oportuna censentur, inquirant, & parent, vt panem, vinum, oleum, carnes laudabiles, oua, olera, fructus varios, cerealia diuersa, ligna, linteamina, & (vt vnico verbo multa complectar) suppellectilia omnia, quæ partim ab ægris, si habẽt, ad vsum ægrorum sumantur, vti à conciuibus, & hospitalibus accipiantur, hoc vel maximè, quia hospitalia claudi debent, nisi ad eundem vsum seruentur. in quo casu nedum linteamina, sed cætera omnia, quæ ad vsum faciunt infirmorum affluenter eis quærantur. Animaduertendo quòd res, quæ à sanis habentur, promiscue ad vsum, tàm sanorum, quam ægrorum esse poterũt; quæ vero ab infectorum domibus sumentur: coinquinatis tantum vsui existant. Cæterum res cum inter se maximè differant, diuersimodè etiam tractari debent; aliæ enim sunt infectæ; secun

Supellectilibus expurg.

dæ ſuſpectæ; tertiæ ſuſpitione carentes. Et rurſus rerum coinquinatarum, aliæ diu per infectorum manus agitatæ ſunt, vel in loco infecto diu clauſæ permanſere; aliæ verò è contra. quæ infectæ non ſunt, ſimplici euaporatione per ſeptem dies reiterata mundantur. quod ſi ſuſpitione non carent, per viginti dies euententur, & purificentur, prius tamē ſi lauari poſſunt, cum lixiuio, & ſapone, optimè lauentur, at ſi coinquinatæ ſunt, diu tamen ab infectorum manibus tractatæ, vel in loco infecto clauſæ non fuerunt prius vt ſupra, lotis, quę lauari poſſunt cum verberibus, euentationibus, & ſuffumigijs, per triginta dies ſæpius reiteratis, mundentur, & puræ vſui commodæ reddantur, Cæterum, quæ plurimum infirmis inſeruiere, & eorũ aliqui mortui ſunt, ſi lauari poſſunt, lauentur; reiteratoq; & ordine dicto vſui congruæ efficiantur, quæ lauari non poſſunt, comburantur. ſimiliter quæ in domibus, in quibus plurimi extincti ſunt, & in eis diù clauſæ remanſere, ſi lauari præcipuæ, euentari, ſuffumigari, & ad puritatem reduci non poterunt, comburantur: ſuper omnia tamen, tàm perſonarum, quàm rerum omnium diligens numeratio, & inuentarium fiat, quod deputati pro regione, vel ab eis præſcripti facere poterunt. Modo infirmorum curationem aggredi tempus eſſet. verum quia ſine aſtantibus, hæc actio fieri nullo modo poteſt, & hi inermes à morbi ſcæuitia euinci facilè poſſent, hinc quomodo lorica quapiam induti, corporis ſui ſtatum tueri valeant primo docere, operæprecium duximus.

Quibus ingenijs, qui infirmos tractant, à peste se tueri possint. Cap. V.



SI uſquam alibi, verum eſt dictum Hippocratis, primo aphoriſ. dum ait, nec ſolùm ſe ipſum præſtare oportet, opportuna facientem medicum, ſed ægrum, & aſtantes, in hoc immaniſſimo morbo veriſſimum eſſe, experientia ipſa docuit. parum enim eſſet a medico, quæ morbum interimere poſſunt ordinari, ſi id totum ab aſtãtibus exequutioni non mandaretur, & ægri propinatum non ſumerent. omnes itaque proprio munere fungi debent, ne à morbi ſcęuitia ægrotantes uincantur. Quare medi-

ci mira cum diligentia, charitate, hilaritate, & celeritate, infirmos curent: non enim, qui occidunt corpus, animã autem mittendi in gehennam potestatem non habent uereantur; sed maximè nedum necandi, uerum in gehẽnam mittendi, potestatem habentem, timeant. Ægros uerò eorum saluti incumbentes, obtẽperantes medico maximè esse decet. paruus enim commissus error, ut uitam cum morte commutent, in causa esse poterit. similiter astantes, cum timore, & tremore, non morbi, sed altissimi Dei exercituum, quæ à medico, & quo modo præscripta sunt, exequantur. quod ut libentius, commodius, tutiusue facere possent, regulas, quibus se à tanto morbo tueri ualeant, præscribemus. Ante omnia itaque Sacerdoti eorum peccata cõfitentes, Sacratissimum Domini Nostri Iesu Christi Corpus, cum Reuerentia, humilitate, & Cordis puritate, suscipiãt, ipse enim est cui uenti & mare obediunt: quod nõ semel tantum, sed ut reiterato faciant consulimus. Mundata dicto modo anima, ut corpus mũdent (si superfluitatibus scatet) imperamus. plenitudinis autẽ signa, uniuersaliter sunt, membrorũ grauitas, & in motibus pigritia, faciei rubedo, uenarũ inflatio, & cutis extẽsio, plenitudo insuper in pulsu, vrinæ tinctura, spissitudo, paucitas desiderij, visus debilitas; necnon, & somnia, quæ grauitatem portendunt, sicut eius qui videt se quasi mouere non posse, & hæc plenitudinis quantum ad vasa, signa sunt omnia. in plenitudine verò quantum ad vires; venæ non sunt adeo inflatæ, neque cutis vehementis extensionis, neque pulsus adeo magnus, & plenus, neque vrina multum grossa, nec valde rubea; concussio, quoque, & lassitudo, nisi post motum, & incessum, non proueniũt in eo; & videt in somniis pruritum, & mordicationem, & incensionem, & odores fętidos, ita dicit Auicena primi fen. 2. cap. 6. Vnde si plenitudo ad vasa fuerit, sectione venæ tollatur. quod si ad vires peccant humores, & noxij sunt; pharmaco humores noxios educente remoueantur; hoc vel maximè, si id facere sint assueti, & aliquo anni tempore, aliquo morbo soleant vexari, vt in lib. quos, & quando purgare oportet, docuit Galenus. Quibus ita rectè dispositis, vt singulis diebus aliquid quod rabido veneno obsistere valear, sumant; inter quæ Theriaca, mithridatum, pillulæ de tribus Rufi, liquores, pulueres, & alia quæ lib. 2. docuimus, summopere comprobatur. Manuale autem medicamen

Signa Plenitudinis quo ad vasa, et quo ad vires

Nota du

tum, sit bolus ex ficu, nuce, folijs rutæ, & pauco salis confectus, qui quotidie, semel ad minus in die sumatur; de mane enim aliquod ex supradictis, de sero verò per tres horas ante cœnam bolum præscriptum capere poterunt, qui facilis paratu est, nullo pacto naturæ molestus, & non vulgaris iuuamenti existit. cibariis bonis vtantur, quę in quantitate conuenienti sumantur, & secundum regulas lib. 2. præscriptas alterentur. hoc vnum memoriæ tenendo, quod vitam vmbratilem ducant, etiam quod vigilia edax existat. potius itaque parum detrahant, & sobrie iuuant q̃ supra caloris naturalis vires, cibum ingerant. similiter de potu faciendum censemus. somnus sit moderatus: quod vt facere possint, plures astantes esse debent, qui alternatim quiescant, & inseruiant. Cæterum coram peste correptis, non multum immorentur, & faciem ab eis auersam teneant, quæ ignem, & odora respiciat, sperent, & gaudeant: lætitia enim, & animi securitas, huic morbo maximè aduersantur. qua de re vnus alteri solatium præbeat, iocosa dicens: poculis, vasisq; alijs, & rebus omnibus, quæ infirmis inseruiunt, nullo modo vtantur, nec tãgant: quod si tangere cogantur, in parte ab infirmis intacta tangãtur, & illico manus cum aceto, & aqua rosata, & ad minus cũ aqua communi lauent. Quæ autem à patiente exeunt excrementa, omni diligentia curent, vt quanto citius à camera remoueantur, & eo ferantur, vt ab ipsis domus coinquinari amplius non possit. Aeger verò optimè mundetur, & aceto cum aqua rosata mixto lauetur; quem spongia in dictis aceto, & aqua rosata imbuta, & non manibus astantes lauent, & mundent. Aer quoque eo tempore odoratis fumis, & igne alteratus, purus reddatur. linteamina quantũ fieri potest, sint odora, sæpe immutentur, & mundissima existant: coinquinata verò, maxima cum cautela tractentur, adunco ferro potius quàm manibus ipsa è cubiculo trahendo, quæ statim nedum è camera, sed è domo tollantur: quæ amplius, etiam dealbata, nisi prius sint aere, igne, & suffumigiis, ab omni contagij suspicione aliena, vsui cõgrua non existimamus: quorum dealbationem, & mundationem, tutam pro dealbantibus non putamus, quare, & ipsi non inepte ea tractent, & prius fune alligata aqua currenti committant; postea acri lixiuio, & sapone optimè mundent. immunda omnia, & coinquinata, vt vnico verbo multa complectar, arceantur. Astantium vestes sæ-

pe immutentur, quæ (si fieri potest) è serico confectæ sint, diu enim laneæ virulentiam seruant, & præsertim pelliceæ; vestis enim pellicea, ad viginti quinque (vt Fracastorius. lib. 3. Contagiorum. cap. 7. refert) necare potuit: & plures, etiam interfecisset, si homicidam vestem non concremassent, quas vestes fumigijs præscriptis; & igne astantes parent, & muniant: se ipsos insuper mane, & serò, aceto sui ipsorum corpora lauando, vel ad minus semel in die, mundos custodiant. Cæterum si affinitate cum infirmis coniuncti sunt, maiori cum cautela viuere studeant: similiter si eadem complexione, vel simili, cum infirmis præditi sint; & magis si sub eodem horoscopo nati: nam in habentibus symbolum, facilis est transitus, quodcunque symbolum sit. sic filij cum parentibus, & fratres cum fratribus (cum caro de carne, & os de ossibus sint) maiori cum cautione, ne vnus ab altero inficiatur, viuere debent. Aeris quantum fieri potest minimum, & illum peregrinum, & vitalem carpant; peregrinus autem, vt 2. lib. cap. 2. dictum est, cum ipsum alterantibus, & venenum necantibus efficitur, super omnia thus, terebinthinã, & myrrham, non dimittant, & vt peregrinum aerem habeant, è cubili in cubile patientem, si non est quod impediat, immutent, odoribus primo cameram parando, & alterando; necnon ignibus ex lignis odoratis confectis puriorem reddendo. Cæterum spongiam aceto, & aqua rosacea madidam, in pila aliqua ex lignis preciosis confectam, clausam teneant, quam sæpe odorent. & aliquando cum ipsa manus, & faciem lauent, aut pilam odoram portent: offellas ex arsenico, & risagallo supra cordis regione, vel sacculos cordiales, vel è puluere buffonis confectos, perpetuo gestent. Quæ omnia si rite seruauerint (cum Dei adiutorio) à peste non corripientur. Sed tempus est, vt infectorum curationem aggrediamur.

Quibus ingenijs hectica & Diaria curari possint. Cap. VI.



ERIA in vniuersum febrium genera esse, 2. de crisibus. cap. 6. & 9. docuit Galenus, dictu tamen mirabile est, cum iam pestilentem febrem, putridæ febris genus

nus esse primo lib statuerimus, vt sub ea, dicta tria genera quoquomodo contineantur: interdum enim circa spiritus, aliquando circa cordis corpus, quandoque verò circa humores ipsos versatur, vt diaria hectica, putridaq;, vocari iure merito possit. Verùm quomodo hæc simul stare possint, similiter in quo dissentiant, primo lib. abunde disseruimus. remanet modo, vt earum curationem, propria methodo disponamus. Quæ pro earum varietate, ipsa etiam varianda erit. Vnde in primis, hecticæ, & diariæ, secundo vero loco simpliciter putridæ curationem moliemur. Hecticæ autem pestilentis curatio, ipsam non curando perficitur. quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ cor occupauit? quare qui hecticam pestilentem patiuntur, tantum prognostico derelinquantur, vt 3. de præsag. ex pulsibus docuit Galenus, & ante ipsum Aristoteles 3. de part. animal, dum ait. cum principium corrumpitur, nihil est, quod cęteris, quæ inde pendent, præbere auxilium possit. Verùm quia internæ affectiones, maxima cum difficultate, & tantum oculis mentis cognosci possunt: hinc ne putredinem, quæ contenta à corde occupauit in cordis corpore esse putemus, & è contra; hac de re vt cum protestatione, earum curatio suscipiatur, & ordine simpliciter putridarum expleatur, monemur.

Modo diariæ curationem aggrediamur, quæ tantum in Britannia & apud vicinos Belgas numerosa visa fuit, vt 2. Contagionum Cap. quinto Fracastorius refert. alibi autem magis insolens morbus existit, quam sudorem nominant, quia sudore solum, & non alio medicamenti genere superatur. Quare eius curationis vis in sudoris prouocatione tota erit: sudor autem quiete paratur: vnde nec situm mutare, nec quicquam aliud, quod sudorem impediat, facere debent ægrotantes. qua de causa iubent medici, vt ægri integra die vna situm non mutent, quã molestiam, qui ferre possunt, mercedem laboris recipiunt: aduenien te enim sudore, omnes ferè euadunt; qui vero ferre non valent, sed se iactant, decubitũ mutant, nouum aerem procurant, impedito sudore, sua causa pereunt. vnde si quis sudorem prouocantia, & vna veneno obsistentia exhiberet, errare nullo pacto credimus, monente præsertim Hippocrate, prima Aphorism. 21. V quo natura maximè vergit, eo ducendũ sit, p conueniẽtes regiones. cũ hoc itaq; quod sequitur, allicere sudorẽ consueuerunt

Nota

Visci

℞. Visci quercini.
Dictamni Cretici. } an.ʒ.ii. vel ʒ. iii.

Bulliant in duabus libris aquæ hordei s. ar. ad consumptionem medietatis, & calida exhibeatur, quę exhibitio hora duodecima ab hora inuasionis fieri debet. viscum namque quercinum valide sudorem prouocare consueuit, humores enim à centro ad circumferentiam, & non tantum subtiles, sed etiam crassos ipsos subtiliando, & in halitum digerendo euocare solet, ut Gal. vj. de simp. medicamentis scriptum reliquit. quæ sudoris allectio cum hoc etiam fieri per belle potest.

℞. Visci quercini. ʒ. iij.

Coquatur in lib. 2. aquæ cardi benedicti ad consumptionem medietatis, coletur, & calida exhibeatur. quę aqua pter id quod sudorem prouocat, valide veneno obsistit. Cęterum cum die naturali, vel liberet, vel enecet dicta febris patientes; pluribus auxilijs non eget, nam nihil dare ęgris, neque cibum, neque potum expedit, ne natura, in eorum confectione occupata, sudore retento, patientes intereant. Modo de cura simpliciter putridæ pestilentis dicamus.

A quibus sumendæ sint vniuersales indicationes curatiuæ febris pestilentis, simpliciter putridæ tamen. Cap. VII.



CVm non omnem febrem, sed veram pestilentem, & illam simpliciter putridam, in pręsentiarum curare, nobis in animo sit: ista namque, si quæ curabilis est, curari potissimum potest, Galeno etiam teste 3. de præsag. ex pulſ. cap. tertio, dum ait, si calor ille putridus magis ad humores, quos continent cordis sinus, quàm ad corpus ipsum visceris deflexerit, plurimi eorum fuerunt, superstites. propterea in huius curatione quatuor sunt, quæ principaliter indicãt: febris nempe primo; putredo, quæcumque sit illa; virtus; & venenositas. Febris de frigidis, & humidis indicat, intemperies enim calida, & sicca existit: putredo duplicem habet respectũ; vnum, vt quod putrefactum est, remoueatur: alterum, vt quod putrefieri aptum est, illud prohibeatur. Primum venæ sectione,

vel pharmaco, aut ſudore, ſimiliter, & lotii prouocatione, aut vomitu, prout magis vnum, quàm alterum expedire videbitur; ſecundum quòd magis in vno, quàm in altero loco materia reſidebit; fieri conſueuit: hoc vel maxime ſi à principiis cum aliis febribus putridis, communibus, putredo ortum habuerit, etſi non paucam indicationem habeat, ſi dicta putredo multum proceſſerit, an initiata tantum ſit; & an intus latens, & in ſolidis partibus ſolum, vel in contentis à corde, tantum exiſtat; an non ſolum in ipſis, ſed extra etiam, & plurimum ſit diſperſa, & vtrum velociter, & large ſerpat, aut tarde, & anguſte feratur, quæ indicationes citiorem quandoque operationem, & validiora medicamenta expoſcunt. maxime tamen indicat, ſi à cauſa interna, aut ab externa dicta putredo originem duxerit. Quod vero putrefieri aptum eſt, vna quidem generalis intentio inſurgit, cauſas nempe putrefactionis prohibere; & iam inductæ ſi quod adeſt principium illud remouere, quod cum aliis etiam morbis, qui in putrefactione conſiſtunt, commune exiſtit. illud autem eſt, plenitudo, obſtructio, & humorũ malitia, quibus venæ ſectio, pharmacia, necnon aperientia, & abſtergentia aduerſantur. Cæterum in omni putrefactione, mixtionis diſſolutionem quãdam fieri cõtingit, euaporante innato calido, & humido præter modum adaucto; euaporat autem, remollitis ab humiditate partibus, & ab extranea caliditate, calido naturali ſublato: quare manifeſtũ eſt, quod per extraneæ caliditatis remiſſionem, & aduentitii humidi exiccationem, mixtionis diſſolutio prohibetur. hæc autem non ſolum frigida & ſicca, ſed etiam quæ natura imputreſcibilia ſunt, facere poſſunt, præter id, quod cum incidentibus, & aperientibus, dicta fieri plurimum expediet, præcipue materia exiſtente ſegni, vt quæ craſſa, & lenta, & ad motum inhabilis exiſtens, oppilationes procreet. Sed quoniam aperientia, vt plurimum calida ſunt, eorum caliditatem frangere, ne febris augeatur, operæprecium erit: venenoſitas inſuper de eam prohibentibus, & enecantibus indicat, prohibent autem, quæ ſtiptica, & acetoſa ſunt, vt plurimum frigida, & ſicca, quæ præter dictas notas qualitates, primas, & ſecundas, obſiſtendi venenis, proprietate quadam poteſtatem habent, quæ ſi calidiora eſſent, cum frigidis appropriatis contemperentur; ita tamen, vt venenata ſeminaria frangere, alterare, & diſſipare commode poſſint. Virtus demum

mum, de sui conseruatione indicium præbet. quare cibos, & cætera virtutem confortantia, conseruantiaque dare expediet, quæ & odora, & iucunda, & palato (quantum fieri potest) sapida, esse debent, sed quę ętati, regioni, & complexioni, quàm simillima existant. Cæterum quia dictæ intentiones, fieri omnes ad inuicem contrariantur: & de se ęgritudo est perniciosa, ea propter raro curari potest. videndum tamen est, quod magis vrget, & ei primo attendendum, altero tamen non neglecto, vt Galenus primo ad Glauconem cap. præcipue 14. docuit. Cum quibus autem, & quomodo fieri hæc possint, videndum, quare proximius curationem aggrediamur.

Curatiuæ intentiones particulares febris pestilentis simpliciter putridæ eliciuntur, & an sectio venæ competat, dilucidatur. Cap. VIII.

CVm particulariori methodo præpositæ febris curationem aggredi intendamus, & hos canones, quos Galenus ij. Meth. cap. 8. & Auic. prima 4. in febre putrida seruandos præscribunt, etiam in hac febre seruare debeamus, etsi præter ipsos alii etiam seruandi sint, vt infra loco suo congruentius apparebit, antea tamen ut recta methodo incedamus, eas quæ circa putredinem diximus intentiones memoria repetere expediet. erant autem in vniuersum duæ, vna genitam putredinem auferebat, altera verò quod putrescere idoneum erat, à putredine vēdicabat. de prima primo dicamus, quæ, vt capite superiori diximus, sex intentionibus expletur, ventris nempe cum clisteribus lenitiones sanguinis missione pharmaco leniente vomitu, sudorisque allectione, & ultimo lotii prouocatione. Qui motus uti varii sunt; varia etiam medicamenta expostulant. Vnde ventris lenitione per clistere supposita, quã tam in principio febris pestilentis, quàm procedente morbo, nemo est, qui damnet, at sanguinem mittere, lenitiuum, quod vocant pharmacum exhibere, vomitum, & vrinam prouocare, sudoremque allicere, non est perpetuo tutum: vel quia per has vias natura non indicat: aut quia uires non constant; vel quia materia inhabilis est, ut per dicta loca, & ingenia trahatur. quare mul

tae dictarum operationum, nisi insinuante, & requirente natura, moliendæ non erunt. ea propter cęteris in præsentiarum dimissis, an sanguinis missio in casu competat, inquiramus. non enim desunt qui in peste, quæ ab aeris corruptela oritur, ipsam damnent, lætiferam enim tunc temporis dicunt, & exemplo pestis quæ M D V. & M D XXVIII. grassata fuit, confirmant; quo tempore omnes qnibus secta vena fuit, periere. & reddentes experimenti rationem, inquiunt, quòd contagio introrsum trahitur, & per sanguinis missionem, in ipsa agitatio contingit, propter quam contagionis seminaria disperguntur, & diffunduntur, vt inde morbus augeatur, & æger intereat. addunt præterea, quod Galenus primo de differ. febrium cap. proprio, de ea non fecerit mentionem, & in lib. de succorum bonitate, & inic. cap. primo, eundem Gal. citant, medicos non improbasse, missionem sanguinis in peste, quæ Romæ grassata fuit indulgentes. Ex quibus venæ sectio in peste, & præsertim in ea, quæ ab aeris coinquinatione exordium ducit, nullo pacto competere videretur. At non secus pro veritatis tuitione tenentes, si uires constant, & ætas consentit, cum morbus sit maximus (febris enim continua, & à putredine etiam non vulgari orta) maximoperè competere dicimus, stante præcipue plenitudine, & sanguine redundante, hoc uel maxime quia Hippocra. 4. acut. 19. & Galenus in eiusdem textus explanatione, necnon in lib. de cur. rat. per sangu. missi, cap. 9. 10. & 13. præter alia innumera loca stantib. præscriptis conditionibus, ipsam commendant, & imperant. Princeps quoque prima quarti cap. proprio, dum de cura tractauit, sic scriptum reliquit. summa curationis ipsarum est exiccatio. & subdit, illud aũt fit, cũ plebothomia, & vẽtris solutione. relinquo modo innumeros practicantes, qui eam in casu nedũ admittũt, sed enixe imperãt, vt Manardus, Herculanus, Ficinus, Guainerius, Philonius, Auenzoar, qui 3. Theisir. trac. 3. cap. 1. de peste loquẽs, historiã alicuius iuuenis pestẽ, & vnà apostema perniciosum, à corrupto aere patiẽtis recensuit, cui sanguinẽ misit, & euasisse affirmauit. Aetius quoq; ex Ruffi decreto sanguinẽ si superfluat, demit, quod & Rasis confirmat, & Paulus. Quare stantibus conditionibus ad missionem sanguinis facientibus, ætate nempe, & uirium robore, quia iste est maximus morbus, & à sanguinis natura nunquã alienus, cũ à sanguine in ventriculis

cordis

cordis putrescente plurimum fiat, sanguis dematur, & extrahatur. Ad experimentum verò contrarium probans, dicimus, pestes inter se ratione putredinis non modicum distare. in nonnullis enim non tantum humores in sinibus cordis contenti corrumpuntur; sed corpus visceris insimul, quod & solum etiam putrescit contentis seruatis, vel sit à debilitate recipientis, vel ab analogia cæteris concurrentibus. hinc quandoque plures, aliquando pauciores, extinctum iri certissimum est, vt interdum vna die Romæ ad quinque millia extincti iacerent, quod anno à partenopeo partu. 260. contigit, vt in enarratione causarum latè longeq; demonstrauimus: quandoque verò, nec ad centum die vna intereunt. quam varietatem à potentiori debilioriq; causa prouenire, nemo est qui ignoret. vnde quando validissima est, causa, vt anno 260. euenit, vti cætera medicamenta, sic nec sectio venæ prodesse potuit. quare non à secta vena, sed vi morbi, cum medicamenta non fuerint in proportione maioris inæqualitatis, sed è contra patientes periere, quod 1505. & 1528. etiam euenisse credimus; & hæc ad experimentum. Ad rationem verò dicentem, quòd à sectione venæ seminaria diffunduntur, à quorum diffusione morbus augetur, & æger interimitur, sic respondendum putamus, quòd amisso sanguine, ita seminaria diffundi posse putandum non est, cum in corde persistant, vel sit in eius corpore, aut in contentis ab eo, & hoc maximè, cum eorum venenata natura, & contrarietatis proprietate, primum, cor petere habeant. vnde, etsi facultas expultrix ab omni parte corporis, & primario à corde, dicta venenata seminaria repellere conetur, non est propterea, quin ab alijs partibus, à corde, cum ipsum primo occupare seminaria intendant facilius expellere valeat. vnde cum tantam non faciant repugnantiam, vt ab aliis partibus à primario viscere non trudantur; remanet, vt illis relictis, ad cor pro eius expugnatione refugiant. hinc fit, vt seminaria non diffundatur; & hæc febris sit quieta exterius, in corde enim pugnatur. Nec positioni nostræ Galenus repugnare videtur, si primo de diff. feb. cap. proprio, de sanguinis missione nullam fecerit mentionem; sermone enim generico, & de præcautione à peste, in dicto loco pertractauit, & si sub eius verbis, venæ sectio comprehendatur, dum ait, quod cum hos præuidissemus, statim ab initio quæcunque corpora humida videbamus, omni
via

via exiccare conabamur: quæ verba Princeps prima 4. cap. 4. exponens sic scriptum reliquit, summa curationis earum est exiccatio, & illud fit cum phlobotomia, & ventris solutione. ecce quomodo de sectione venæ, implicite loquutus fuit Galenus. Quod autem in libro de succorum bonitate, & vitio, non improbarit medicos, qui in pestilentia, quæ Romæ tunc temporis grassata fuit sanguinem non miserint; dicimus quòd ab humorum corruptela à præcedēte valida penuria, pestis illa originem traxit vt cum dictis corruptis humoribus, non tantum in corpora cordis, sed in ambitu etiam totius existentibus, vires stare minimè possent. quare in eis missio sanguinis erat suspecta, vt in lib. de curat. per sang. miss. idemmet confirmauit Galenus. Cęterum ex dictis clare patere putamus, quod viribus, & ętate concurrentibus, in hoc immanissimo, & maximo morbo, vena secari debet. nam, & si coniuncta materia amisso sanguine non tollatur, materia tamen antecedens remouetur, à qua febrilis ignis pabulum suscipit, quod secus si vena non secaretur, contingeret. nam vti in pluribus lignis accensus ignis, maior quàm in paucioribus efficitur, ita in venenata hac putrefactione à non dempto sanguine sequeretur. ipsum enim ad cor, pro eius muninime, & cum venenatis seminarijs pugna, natura demādaret: qui inflammationem, & visceris putredinem facilius, ac melius augeret quàm vt ab ipsa natura iuuari aliquo modo posset: quem sanguinis recursum, sectio venę ipsum à corde retrahendo, vnà cum putredinis auctione, & cordis inflammatione, minuit, atque tollit. Sed tempus est, vt cōditiones missionis sanguinis doceamus.

Sanguis vnde mittendus sit, qua hora, & quæ quantitas, explicatur. Cap. IX.



VENAE sectionem nedum vtilem, sed necessariam esse, pro febris pestilentis curatione, capite superiori monstrauimus. remanet modo, vt à quo latere, quo tempore, & quę sanguinis copia haurienda sit, cum varii, varia dicant, accuratè inquiramus. non desunt enim, qui quamprimum, & large sanguinem hauriunt, alii uerò ne uires dilabantnr, & ut insigni apparitione iterum extrahere possint,

in

in principio parce detrahũt. Rursus aliqui saphenã secant, nonnulli basilicam, Tertij cephalicam, vt non facile sit, in tanta opinantium varietate, veritatem colligere. Nos verò causas diuersas distinguentes, modo unam, modo alteram secandam, & rursus quandoque paruam, & aliquando magnam sanguinis copiam, hauriendam esse dicimus. vnde si in morbi initio nullo apparente signo medicus auersatur, & aliqua consuetarum euacuationum retenta non fuerit, & patiens Iuuenis sanguineusq; extiterit, & tempus vernum, vt à basilica lateris dextri, non parua sanguinis copia hauriatur, consulimus. qui sanguis si reiterato mitteretur, vt prima uice ad ℥. viij. vel x. & ad horam ad ℥. iiij. magis laudaremus. quod si tanto sanguine patientes non abundarent, tanto parcius eis mittendus erit, quanto dictis conditionibus caruerint. ad quod rectè agendum, medici iudicium plurimum requiritur, vt secundum uires, ætatem, tempus, plenitudinem, & cætera requisita, modo parcius, modo liberalius, cum certa, & diffinita regula dari non possit, sanguinem detrahat. Cæterum si aliqua consueta euacuatio retenta esset, vt in exemplo si menstruæ purgationes secundum tempus & quantitatem non fluerent, vel hæmorroides solitæ fluere, factæ essent cæcæ, à saphena eo tempore sanguis mittatur. quæ venæ sectio, præter id quod deperditas euacuationes prouocat; maximè à spiritualibus reuellit: propter quam reuulsionẽ, in lib. de scarificatione & cucurbitulis c. 2. cucurbitulas in tibiarũ parte carnosa, cũ scarificatione affixas, in pestilentia prodesse, experimento in se ipso facto, Oribasius cõfirmauit. Sed ad venæ sectionẽ redeamus. Vnde si caput esset affectum, cephalica lateris magis læsi, vel lateris dextri si æque læsum esset, tundatur, & hæc ante exitum inguinariæ, vel alterius signi. At post signi apparitionem, vti in variis locis apparebit, ita pro locorum varietate, sectionem venæ variare expediet. quare si circa aures, & collum apparuerit, ex cephalica eiusdem lateris sanguis mittatur, sit autem locus iuxta pollicem manus. quod si sub axillis lateris offensi, basilica secetur. si verò in inguinibus, à saphena eiusdem lateris sanguis hauriatur: nam semper è directo lateris læsi iuxta Galeni decretum in lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 15. & 16. vena tundi debet, vt inde cita vtilitas sequatur. ex opposito enim latere, aut tarda, aut obscura vtilitas sequitur. Cæterum, vt regulam generalem de-

mus, quoties à gulæ origine vſque ad caput, dictum ſignum apparuerit, ex cephalica partis ſigni apparentis, ſanguis minuatur: ſi verò à gula vſque ad vmbilicum, ante, vel retro; ex hepatica phlebotomia fiat. At ſi ab vmbilico, infra; modo quo dictum eſt ſaphena ſecetur. Cæterum Marſilius Ficinus in tractatu de Epidimiæ antidoto. cap. 8. medicorum Hiſpanorum, & Cathelanorum; in miſſione ſanguinis modum referens, inquit, quod in ſanguineis, robuſtis, & ætate vigentibus, lateris oppoſiti, apparentis ſigni, à principio venam tundunt, & reddentes facti rationem, dicunt, materiam in motu perſiſtere, & veneficam factam non eſſe. vnde ſi ſignum in parte dextra apparuerit, à manu partis ſiniſtræ, vel à ſaphena lateris ſignati, ſanguinem minuunt: tranſactis verò ſex, aut octo horis; recreato patiente, à dextro brachio, quantitatem, ætati, uirtuti, complexioni, & cæteris requiſitis correſpondentem, detrahunt. quod ſi in inguinibus appareret, primo ab oppoſito brachio, poſtea à ſaphena eiuſdem lateris mittunt, poſt duos autem, aut tres dies, ab exitu inguinariæ; cum veriſimile ſit materiam confirmatam, & venenatam effectam eſſe, quam poſſunt à loco viciniori ſanguinis, quantitatem euacuant. hæc Ficinus, nec immerito: cum morbus poſſit dici inueteratus ſi ad eius citam terminationem reſpicere voluerimus; in quo caſu. in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 19. à vicinioribus partibus ſanguinem demit Galenus. Cæterum, quo tempore venæ ſectio fieri debeat perpendamus. Quę certè quum primum fieri poteſt, fieri debet, antequam putredo, & malignitas adaugeantur, & vires morbi ſcæuitia dilabantur. hoc vel maximè, apparente inguinaria, ne ad locum materiæ confluant, & morbum foueant, & ad augeant. quod ſi aliqua occaſione ab initio vena non tundetur, quo ad vires conſtant ſecari poterit, iuxta Gal. ſententiam in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 20. quod confirmauit Auicen. 4. primi capit. proprio. De hora verò in qua ſanguis mitti debet, duos reſpectus habere tenemur; ad morbum vnum, ad celebratam coctionem alterum. Hora quæ morbum reſpicit, ſemper ſit quietior, & in qua morbus maiorem habeat remiſſionem. quod ſi omnes horæ eſſent æquales, de mane, cum eo tempore coctiones omnes confectæ ſint, vena ſecętur. qui modus à Galeno in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 21. præſcribitur, & imperatur. verùm, quia, aut ratione ætatis, aut propter virium

imbecillitatem aliquando venam secare non audemus; eius loco cucurbitulas in dictis partibus, cũ scarificatione figemus. quod si eas figere, aliquo impedimento non poterimus; hyrudines in dictis locis figantur, vel in venis sedis, aut in qua parte præsenti medico magis competere videbuntur, quæ vires sectionis venæ, vti scarificationes ipse, gerunt. quare si expediet, eis vti iure merito medicus poterit. Et sic completus sit sermo de sanguinis missione in febribus pestilentibus. modo, an pharmacia competat, videamus.

An pharmacia in febribus pestilentibus conueniat, rursus, cum quibus fieri, & quo tempore exhiberi debeat, explicatur.

Cap. X.



VONIAM humores non tantum quantitate, quàm etiam praua qualitate in pestilenti morbo peccare solent, cum de venæ sectione, vt quæ multitudinem respiciat, à nobis cap. superiori tractatum sit; remanet, vt in præsenti capite, an pharmacia pro humorum corruptorum remotione conueniat, inquiramus. nec immerito. varij enim varia sentiunt. Multi namque purgationem non admittunt; alij ex benignioribus confectam exhibent; sunt etiam, qui valentiora non damnent. Nos breuitatem sectantes, cum Hippocrate, Galeno, Auicẽna, Paulo, Aetio, & cum practicantiũ meliori, & maiori schola, medicamenti purgatorij exhibitionem non damnamus, & certe, iudicio meo, ratione. humores enim in hac febre non tantum multitudine, vt dictum est, sed prauitate magis, & corruptela peccant; ita vt, si corruptela aliqua valida reperitur, in hoc excellentiori modo reperiatur. quare humorum prauitatem, dictamq; corruptelam iuxta Gal. 3. Meth. cap. 5. & 6. nec non etiam lib. quos, & quando purgare oportet decretum, purgatione tollemus. Quæ purgatio tempestiua esse debet, vt Hippocrates, 3. de morb. vulg. sect. 3. sub his verbis demonstrauit. Et qui quidem horum abscessum fecissent, per suppurationem, & per aluum turbatio quædam tempestiua; aut vrinarum bonarum excretio con

tigisset, per hæc soluebantur. Ex quibus clare patere arbitramur, turbationem alui tempestiuam, præter cæteras relatas euacuationes, vel arte facta fuerit, vel à natura, ægros perbelle liberare potuisse. nec quod paulo inferius dixit Hippocrates, obstat, & si dictis videatur aduersari, dum ait, Purgationes plurimos lædebãt. & paulo inferius, ex his autem qui sic habebant, multi quidem cito peribant, multi verò longius degebant: & in summa, omnes, qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis maximè, ex his, quæ per aluum secedebant, mortui sunt, omnes enim aluus sustulit. Verùm dicta verba non facere in contrarium probatæ sententiæ, ex superius dictis manifestatur. inquit enim supra Hippocrates, secessus autem erant pingues, biliosi, tenues, aquosi. quam sententiam exponens Galenus, liquationem significare ait. vnde Com. 57. sic scriptum reliquit. Quæ euacuabantur, erat colliquatio, quod symptoma esse febris pestilẽtis affirmauit, de qua colliquatione. 8. de comp. med. loc. cap. 7. loquens, primo humorum, deinde carnis ipsius hepatis, à calida eius intemperie ipsam fieri asseruit. vnde non immerito, 10. metho. c. vlt carnibus torrefactis comparauit. Propterea. 3. acut. flammantis in hypochondriis ipsis affectionis symptoma appellauit. Ex quibus colligere est, dictas euacuationes, & symptomaticas, & intẽpestiuas fuisse, & si potuerit, etiam contingere ab humoribus calidioribus, superabundantibus tamen, & non tempestiue euacuatis, ad inferiorem ventrem, tanquam ad debiliorem partem præcipitatis, dictum symptoma genitum fuisse. propterea omnes aluus sustulit. Ex quibus coniicere valemus, quod congruo pharmaco alleuiata natura, & eo quod membra roborare potuisset, supra residuum fortior facta, melius illud regulare valuisset. quam veritatem primo de diff. feb. cap. 4. etsi implicito sermone, innuit Galenus, dum ait; eorum summa erat putrefactio quã à nimia humiditate oriri certissimum est. Propterea subdit, quod cum nos præuidissemus, statim ab initio; quæcunque corpora humida videbamus, omni via exiccare conabamur, quæ exiccatio purgatiõne (præter cætera, quæ ipsam præstare possunt) perficitur, quam sententiam adhuc clarius. 5. meth. cap. 12. confirmans, sic ait, Cæterum qui ex pestilentia laborarunt, propterea mihi facilè sanati videntur, quod præexiccatum his præpurgatumq; totum corpus fuerit, quippe cum vomuerint ex his nonnulli, & omnibus

venter

venter profluxerit; atque cum ita iam euacuati essent, qui euasuri erant, his pustulæ nigræ, confestim multæ apparuerunt. Ex dictis nobis datur, quod ab expurgata materia per vomitum, vel per secessum, alleuiata natura sarcina qua premebatur, reliquum materię, ei pręualens, critico motu ad cutim trudere potuit, & sic ab orci faucibus patientes liberare. sed Principem audiamus, qui prima quarti tract. & cap. eodem, dictum Gal. veluti exponens, conscriptis verbis confirmauit. summa curationis ipsarum est exiccatio, & illud cum phlebotomia, & ventris solutione efficitur. & subdit, si materia vincens fuerit sanguis, fiat phlebotomia, & si fuerint alij humores, euacuētur. Vnde nescio quid sibi ipsis velint recentiores aliqui, dictum Principis eorum opinioni astipulari dicentes; euacuationem nempe, secundum ipsos reprobantis, ex hoc videlicet, quod cum quibus euacuandum sit, non fecerit mentionem. ac si Princeps alibi cum quibus bilis, pituita, melancholicus humor, & cęteri, vel synceri, vel misti, aut per assationem immutati, educendi sint, non docuerit. quę humorum euacuatio, tanto liberalius, ac libentius fieri debet quanto dicta materia, ex toto genere, ab humorum naturalitate recessit. quam veritatem Hippocrates loco. 3. de morb. vulg. sub his verbis edocuit. deiectiones varię erant; nam vel nigrę, paruę, virulentę. & rursus alibi, alius turbata biliosis excrementis, paucis, meris, tenuibus, mordacibus. ex quibus patet, dictos humores à naturalitate discessisse, propterea purgandos etiam ab initio esse. Cęterum si purgatio non profuerit, non pharmaco, sed morbo id admittēdum esse, loco citato conscripta oratione Hippocrates ostendit, quomodo purgationes prodesse poterant, cum omnino essent morituri. Ex quibus sequitur, quod in non morituris prodesse potuissent, purgemus itaq;, & audacter, cum Hippocrate, Galeno, Auicena, Paulo, Aetio, Auenzoar, Auerroe, & cùm maiori, & meliori schola Græcorum, Arabum, & Latinorum, inter quos Manardus lib. 5. suarum Epistolarum, Epist. 3. necnon Epist. v. xiij. lib. ex professo materiam hanc pertractās, purgatoria exhibet, ad quæ loca lectores breuitati indulgentes remittimus. dimittanturq; in hoc morosi quidam recentiores, qui vt magis nouarum opinionum inuentores sint, quàm vt veritati, & ægrorum saluti consulant, purgationem aufugiunt, atq; damnant, etsi magis in peste, quæ à contagio, & per humorum

internorum putrefactionem prouenit, quàm in ea, qua à coinquinato aere oritur, purgationem commendemus, quamuis in hac proficuam & salutarem, etiam affirmemus. Cæterum quo tempore exhibenda sit purgatio, inquiramus. Vnde quanto citius exhiberi poterit, eo melius putamus, vt loc. citato primo de diff. febr. docuit Galenus. quàm sententiam. 2. aphor. 29. confirmauit, dum dixit, inchoantibus morbis si quid videtur mouendum moue. cui aphorismus decimus 4. particulæ astipulatur, dum ait, purgandum in valde acutis, si ad sui excretionem inuitet materia eadem die: differre enim in talibus malum est, in hoc itaque morbo quàm citissime si vsquam alibi, purgare expediet. & quoniam acutissimus est, & materia à toto genere est præter naturam, quia venenata; ea propter, vt ab omnibus partibus corporis, pro posse ipsam natura expellat, putandum est. hinc furiosam, & quia citissimè terminationis existit, iure merito appellare poterimus. vnde quàm primum iuxta Hippocr. & Gal. prima apho. 22. decretum, vt dictum est, ipsam expurgare debemus, antequam eius contagio morbus augeatur, vel eius vi, virtus collabatur, vel in membro Principi figatur, & confirmetur. quòd Galenus in Com. aphorismi x. quartæ particulæ mox citati monuit, & imperauit, quàm doctrinam nedum sequutus fuit, sed etiam ampliauit Herculanus, qui tract. 2. in cap. curationis febrium putridarum in generali, quinque casus, in quibus nulla præcedente materiæ coctione, ipsam educendam esse præscribit. Primus casus quando materia fuerit furiosa: Secundus quando materia esset valde multa, præcipuè à natura sanguinis aliena: tertius quando materia est venenosa: quartus quando materia fuerit in aliquo membro contenta, magnam in eo faciens læsionem: quintus quando timemus materiam repere ad aliquod membrum principale, siue cæpisset apostemari, siue non. quarum condicionum, quot in pestilenti febre reperiantur, non est vt longa verborum serie demonstrem. Nec remorari debet operantem, quod dicunt, quod quia materia contagiosa est, loca per quæ transiret, contagio, & viru afficiet: cum euacuatio à duobus fiat, natura nempe expellente, & pharmaco attrahente, quod Gal. in comp. aphor. 22. primæ particulæ optime docuit. quare non dabitur humori commoditas, vt membra per quæ transit inficere possit, cum citissime dicta

ope-

operatio à natura & à medicamento compleatur, quod secus est si humoribus permanendi in corpore induciæ darentur. hinc nõ nulli validissima medicamenta, vt validius, citiusque ab ipsis venenata materia educatur, commendãt. dicunt etenim cum Hippocrate, in aphor. sexto primę particulæ, extremis morbis, extrema exquisitaque remedia optima esse, & inter cætera stibiũ præparatum, quod vulgo antimonium appellant exhibent, quod in Mediolanensi clade non parum profecisse à fide dignis habetur. Reliquum est modo, vt cum quibus dicta euacuatio fieri debeat & qua hora danda sit, uideamus, ab eam ingredientibus initiãtes. varii enim varia exhibent. nam nonnulli pilulas de trib. Ruffi propinant: non desunt, qui tamarindos, cassiam, mannam, reubarbarum, mirabolanos, aloem, senam, epithymum, turbit, agaricum commendent. & hæc sunt simplicia. Composita verò, quæ in casu laudantur, sunt, diacassia, diacatholicon, diasena, electuarium de psilio, diafinicon, trifera persica, confectio hamech. pill. aggregatiuæ, de fumoterræ, cocchiæ, & de Hiera simplici, quæ secundum humorum corruptorum, & subiectorũ patientium varietatem, varianda erunt: pueri enim, non sicut viri curari debent, parcius namque ex Celsi lib. 3. ca. 7 decreto, in his agendũ est. Nam non facile eis ducenda est aluus: non debent cruciari vigilia, non fame, aut nimia siti, eorum enim corpora facillime dissoluuntur. Varientur itaque dicta medicamenta, nedum secundum humorum varietatem, (vt dictum est) sed à virtute potissimum, exhibendi indicatio sumatur: rursus iuxta maiorem, minoremque corporum lubricitatem, modo validiora, & in maiori quantitate, aliquando mitiora, & in minori pondere exhibeantur. Non parua insuper à tempore sumitur indicatio, sub cane enim, & ante canem, difficiles fiunt medicationes, vt docte docuit Hippocra. 5. aphoris. quartæ particulæ. Spectato itaque virium robore, ætate, tempore, humore insuper abundante, & putrescente, sexu, & reliquis, quæ ad commodam, & congruam euacuationem faciunt, euacuatio iuxta positiones dictas exhibeatur, modo in forma bolari, aliquando in forma liquida, interdum verò in forma pillulari, prout magis vnum, quàm alterum competere videbitur, & libentius ægri assument. Notando quod inter cætera pharmaca, agaricus, pilulę de tribus Ruffi; & trifera persica, tum quia cordialia sunt, tum quia veneno nõ mo

M 4 dicum

dicum aduersantur, aliis omnibus præferuntur. Cæterum hora exhibitionis, hora quietior esse debet, & in qua ventriculus à cibo vacuus reperiatur: hæc autem hora matutina, vt plurimum esse solet. quod si dicta hora ab aliquo impedimento turbata fuerit; quietior, vt dictum est, quæcumque sit illa, eligatur. quod si apparente signo, aut inguinaria, pharmacum exhibere opus erit, loco affecto affixa prius ventosa, ipsum iuxta Manardi decretum, Epistola 3. 5. libri exhibeatur. Modus autem dicta pharmaca componendi lib. secundo capitulis propriis requiratur, vbi completam, purgatoria medicamenta ordinandi doctrinam, habere poterunt studiosi. Et hæc de medicamenti purgantis, in febribus pestilentibus exhibitione, dicta sufficiant. Modo ad humores corrigentia, & obstructiones remouentia accedamus.

Quibus materia pestilens à putredine, vendicari contemperari, & euinci possit. Cap. XI.



Ateriam à qua febris pestilens excitatur & oritur toto genere esse præter naturam, Hippocratis etiam decreto, 3. de morb. vulg. capite superiori monstrauimus. hinc fit, vt ad benignum reduci minime possit. propterea natura ipsam abhorret, refugit, & pro viribus expellit. ab eius enim venenositate interimitur. pro cuius debellatione, duos habere respectus prudentem Medicum decet, nempe ad materiam peccantem vnum, ad corpora vero, in quibus materia reperitur, alterum. quæ peccans materia in eam quæ putrida est, & in eam, quæ putrescere parata est diuiditur. de putrida primo dicamus, quæ iuxta positiones septimo capite dictas, quinque modis educi, & expelli potest. & quoniã supra cap. 9. & 10. quomodo phlebothomia, pharmaciaque pro parte euacuari posset monstrauimus; remanet modo, vt quomodo lotii, sudoris, & vomitus prouocatione, à corpore expellatur, doceamus. Quare stante materia superflua in ventriculo, eo ordine, quo lib. 2. cap. 35. vomitum alleximus, ipse prouocetur, ad quem locum, ne repetitio contingat, lectores delegamus.

Sudor vero, etsi cum omnibus, quæ aperiendi subtiliandi, & in

in halitum materias redigendi, facultatem habent, præter dicta supra cap. 6. prouocetur; maxime tamen cum sequentibus; cum vnà venenositati obsistant, eius prouocatio commendatur, vt.

℞. Dictamni albi. ℥. s.
Visci quercini. ℥. iij.
Seminis, & floris cardui sancti.
Fiat omnium puluis. } an. ʒ. i. s.

℞. Prædicti pulueris à ʒ. i. vsque ad ʒ. ij.
Vini albi generosi. ℥. i. s.
Aquæ cardui sancti. ℥. iii.
Misce. fiat potus. capiat patiens sexta hora ab inuasione morbi. & quanto citius tanto melius. ad quem vsum sequens puluis maxime salutaris habetur.

℞. Baccarum hederæ ad vmbram siccatarum. ℥. s.
Baccarum Lauri nigro cortice remoto. ℥. iii.
Dictamni albi.
Scordij. } an. ℥. i. s.
Fiat omnium puluis, & cũ aqua cardui benedicti modo quo supra propinetur. quod sequitur etiam non vulgare sudorificum est.

℞. Succi cæpæ albæ.
Succi rutæ.
Succi millefolii. } an. ʒ. ij. vel ʒ. iij.
Aceti. ʒ. ij.
Mellis. ʒ. iij.
Misce, & calidum vt supra, sumatur: & æger in dictorum assumptione pannis optime cooperiatur, & vt sudet curetur. multi enim sudore deterso absq; alio auxilio sanitati restituti fuere. Ad eandem intentionem, succus scabiosæ, & calendulæ, ad quatuor drachmas exhibitus maxime valet.

Modò de lotium euocantibus, & de his quæ extraneam caliditatem contemperare, item venenositatem debellare, necnon, & materiam æquare possent, dicendum esset. sed quoniam dum de his quæ à putredine materiam vendicare valent, agemus, hæc eadem innotescent; hac de re qui dicta exequutioni mandare voluerint, ex illis congrua secundum opportunitatem ediscere poterunt. sint tamen in vniuersum, illa, quę à Galeno 5. de simp.

med. cap. 13. præſcripta ſunt. Nunc ad ſecundum principale diuiſionis materiæ membrum, accedamus, quod erat, vt quæ putredini obnoxia eſſet, à putredine vendicaretur. hoc autem, (vt ſupra cap. 7. dictum fuit) cum aperientibus, incidentibus, abſtergentibus, necnon cum his, quæ putredinem prohibere poſſunt, & vnà iuxta quartam intentionem, venenoſitatem enecāt, & conſequutionis ordine corroborant, atque muniunt, perficitur. quæ aperientia cum plurimum calida ſint, febrem adaugēt. hinc minus calida eligi debent, & cum his etiam frigidiora, ad eorum, & febris, (iuxta primam intentionem) caliditatem temperandam, remouendamue, immiſcenda erunt. quas omnes intentiones, ſequentia perficere, & explere, perbelle poterunt, ſunt autem cicorium, endiuia, borrago, cicerbita, bugloſſa, lupuli, citrach, capillus veneris, pimpinella, meliſſa, tamariſcus, tormētilla, angelica, ſcabioſa, vincetoxicum, acetoſa, portulaca, alleluia, dictamnus, ſcordiū, fumoterre, gramen, ninphęa, carduus benedictus, flores cordiales, radices aperientes, vt apiorum, petroſelini, fœniculi, bruſci, aſparagorum, ſemina quatuor communia frigida maiora, ſemen acetoſæ, citri, portulacæ, plantaginis, & cætera plurima, ex quibus varia decocta, modo frigidiora, modo calidiora, interdum temperata, aliquando abſtergentia, ſemper tamen venenoſitatem necantia, & corroborantia, parari poterunt. cum quibus ſyrupi eaſdem intentiones ſeruantes, & rurſus ſubtiliantes, & incidentes, miſcendi erunt. hi autem ſunt, ſirupus de cicorea, tam ſimplex, quàm compoſitus, de pomis, de acredine citri, de ribes, de lupulis, de borragine, de agreſta, de nenufare, violatus, de fumoterre de capillis veneris. in ſyrupo autem contra peſtem, multa dictarum intentionum reperiuntur. Inciſiui verò ſunt, oxizaccara, acetoſus. ſ. & compoſitum, oximel ſimplex, compoſitum, & apud neceſſitatem ſcilliticum. Aperientes autem potentiores ſunt, de duabus, & de quinque radicibus, cum & ſine aceto, biſantinus ſimiliter, cum, & ſine aceto, cum quibus, & cō ſimilibus, cum decoctis ſupradictis, ſecundum materiæ peccantis varietatem, & corporis diuerſas prauas diſpoſitiones, varii quoque parandi erunt. quorum formulas lib. ſecundo. cap. 30. docuimus, quæ loca alternatim legantur. Qui ſyrupi ſi cum pulla fierent, quia inſimul virtutis (iuxta tertiam primariam intentionem) robur, & materię æquationem, cum aliis etiam ſupradictis

pradictis

pradictis intentionibus, præstare valerent; magis commendaremus. vnde non desunt, qui brodium hoc modo parent.

℞. Pullæ magnæ num. 1.
Aquarum acetosæ. Rosatæ, Violatæ, } an. ℔. j. vel ℔. ij.
Vini generosi. ℥. ix.
Sandalorum citr. ʒ. ij.
Spodii. ʒ. j.
Croci. ℈. j.
Canforæ. gran. iij.

Ligentur pulueres in petia rara, & omnia in vase vitreato cũ quinquaginta ducatis aureis ponantur, vasque sed non ex toto claudatur, & in cacabo aqua semipleno locetur, sic vt in duplici vase ad carnium integram coctionem bulliant. quæ caro pistetur & exprimatur, & in dicto brodio expressum ponatur, pinguedoque remoueatur. quod brodium per se vel cum contuso mixtum, aut alio modo sumptum summopere commendatur; istud enim nutrire, alterare, venenum fugare, & corroborare, valide poterit, hoc vel maxime si cum eo præscribendus puluis immisceatur, qui sequenti ordine paratur.

℞. Margaritarum. Corallorum rub. Cornu cerui. Granatarum. Eboris. Cornu vnicorni. } omnium præpar. an. ʒ. s.

Misce fiat puluis subtilissimus de quo ℈. s. pro vice in dicto brodio ponatur, & exhibeatur. quod si fragmenta preciosa, vt hyacinthus, rubinus, smaragdus, & cætera immixta fuerint, vera tamen; puluis valentior efficeretur. aliud quoque brodium tali ordine paratur.

℞. Pullæ magnæ. num. j.
Acetosæ. Pimpinellæ. Cicoreæ. Borraginis. } an. p. s.
Dictamni. ʒ. ij.

Tor-

Tormentillæ.
Catlinæ. } an. ℥. j.
Morſus diaboli.
Sem. acetoſæ.
Citri. } an. ℥. s.
Portulacę.

Contundantur contundenda,& cum pulla,poſt pullæ deſpumationem,ad omnium bonam coctionem bulliant, colentur,& ingredientia exprimantur.

℞. Prædicti brodij. ℥. v.
Syr. contra peſtem. ℥. i. s.
Oxizaccaræ. ℥. s.

Miſce pro ſyrupo,qui bis in die,ſecundum temporum varietatem, modo frigidus, aliquando calidus exhibeatur. Nunc de his, quæ à tota, vt aiunt, forma veneno obſiſtere poſſunt, agamus.

Bezahardica medicamenta in peſtis debellatione authoritatibus & longo vſu magis comprobata. Cap. XII.

De Theriaca ex Galeno.



DEO libro ſecundo, dum de præſeruatione agebamus, tàm ſimplicia quàm compoſita medicamenta,quæ venenoſitati obſiſtere,& inde peſtem ſuperare poſſent,abundè enarrauimus; vt pro eorum cognitione,& vſu ad illum locum lectores remittere nobis ſufficeret. vt autem in quibus ſatis ſuperq; fidere poſſint,apprimè ſciant; quæ à Galeno magis commendata, & longo vſu comprobata ſunt, in præſenti capite recenſere non grauabimur.inter quæ Theriacam, & Mithridatum, eiuſdem Galeni,in lib.de vſu Theriacæ ad Pamphilianum,parum à principio,authoritate ſiſi,ſummopere laudamus. In quo loco de peſte loquens,ita ſcriptum reliquit, Tunc itaque ex his, qui ægrotabant quamplures aſſumpta Theriaca conualuiſſe; paucos in quibus vis morbi inualuerat, occidiſſe, reliquos omnes, quos

nondum pestis occupauerat, non modo periculum euasisse, sed nec in morbum quidem incidisse. Et subdit, atque hoc alicui mirum videri non debet. quando si haustum venenum superat, pestilentiam quoque vincere possit. Et paulo supra ait, Nam sanguinem theriaca bonum reddit: non quia sanguinis malam qualitatem excernat; sed quia eius contumaciam vincit, & ex inimica amicam faciat. Et de præseruatione per Theriacam eodem loco loquens, ita habet, foris quoque si quam vrbem, aut Regionem, morbosam coniiciunt, vel aquas morbosas esse intellexerint; eodem pacto Theriacem assumunt, & tanquam lorica quapiam corporis sui statum tuentur. In libro verò de Theriaca ad Pisonem cap. *16.* versus finem, laudes Theriacæ recensens, sic ait. Verum, vt summatim laudes huius antidoti amplectar, totum corpus ita disponit, vt ab vlla re noxia non corrumpatur. hanc autem resistentiam procreat, tàm varia & efficax tot medicinarum compositio, & præsertim quæ in ipsam ingrediuntur viperæ. Et eodem citato loco, postquam summis laudibus admirandum Hippocratem decantauit, qui ignibus aerem puriorem reddiderit, sic subdit. Ad istum modum arbitror, & Theriacam tanquam ignis quidam purificans; & ipsa esset; illos quidem qui sani adhuc ipsam biberint, non permittere, vt pestilentia prorsus capiantur; illos autem cum iam ægrotarent, sanare posse, cum aeris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperaturam corrumpi, non finendo. Et illinc ad parum, nam Theriaca optimam quandam temperaturam corporibus procurat, & in eis bonam valetudinem conseruat. Et rursus in libro de vsu Theriacæ ad Pamphilum, circa medium, vires Theriacæ recitans, sic scriptum reliquit Nam percussis à vipera, vulneratis à serpente, ictis ab aspide, commorsis à rabido cane, demum ab aliquo animali læsis, quod dentibus, aculeo, vel contactu venenum relinquit; recẽs Theriaca satis superq; efficax remedium est. Et subdit. recens autem est, quę sextum, & trigesimum annum nondum, attigerit: vires enim suas vltra sexagesimum annum, etsi debiles seruat, vt in libro de Theriaca ad Pison. cap. 14. habetur: quare secundum quod maiori virtute, validioriq; indigemus, ita recentiorem antidotum exhibere expedit. Modum autem cognoscendi an vires amiserit, citato loco docet Galenus sic inquiẽs; Multi autem vires antidoti dignoscere cum voluerint, Recens Theriaca quæ dicatur

primum

Exp.a qua Vim Theriacæ compro- bas.

primum alicui purgantem aliquam medicinam porrigunt, deinde Theriaca paulo post exhibita, indiciũ de ipsa sumunt. nam si valida, vigensq; adhuc fuerit, nullatenus ventrem purgari sinit, nempe deuicta soluentis medicinæ facultate, ab antidoti potentia. sin autem aluus ita deiicitur, vt si Theriacam non sumpsisset; tunc enim eius vires euanuisse certissimum est. Eodem modo etiam an adulterata sit Theriaca, cognoscam, ipsam ab assumpto pharmaco exhibens. nam si adulterata est, medicamenti purgatorii vires non frangit; sin minus contra. De Mithridati viribus loco supra citato, de Theriaca ad Pisonem cap.16. adhuc loquens sic habet. nam & Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt, non assumpta Theriaca, quæ nondum erat, sed Mithridatica antidoto, ab eius nomine sic nuncupata, non potuisse sumpto veneno mori. Et reddens facti rationem ait. quoniam sic illius membra temperauerat, vt à re noxia pati non possent: quare impossibilitas à mẽbrorum temperie oriebatur. Et in 2. lib. de antidotis, de Theriaca loquens, Theriacam ad viperarum morsus valentiorem Mithridato esse; ad alia autem non item. Et addit, imo aptior ad quædam est Mithridatica compositio. hæc Galenus. Auicennas verò lib. de uiribus cordis, cap. 4. postquàm de viribus & iuuamentis, quæ à Theriaca, & Mithridato prodeunt, verba fecit; de eorundem notitia sic scriptum reliquit. Ambarum medicinarum virium aliquid est notum, & aliquid incognitum. Notum est, quod eis ex simplicibus aduenit post commixtionem, exẽplum est, sicut si dicamus. nos scire Theriacam, & Mithridatum veneno tyri, & scorpionis conferre, propterea, quia in eis reperiuntur, medicinæ cõferentes ad illud: & similiter propter hoc dicitur cõferre cardiacę, & debilitati virtutis in hepate: incognitum verò est, vt dicamus, quod nobilior operationem, quæ prouenit vtrisque post commistionem à natura valde conuenienti naturæ humanæ, ad quam quidem suscipiendam, complexio præparauit eam, & eius etiam principium ab extrinseco est. Nos autem ignoramus causam inuentionis qualitatum medicinarum simplicium, proportionatarum ad hanc dispositionem eis, quemadmodum ignoramus in cæteris. De simplicibus statim subdit. in eis etiam simpliciter accidit, & quæ non artificialiter sed naturaliter componuntur, sapiẽtes autem speculatores præcise determinant, quòd directio, seu

cogni-

cognitio, ad dispositionem istarum medicinarum, processit ab inspiratione, & prouidentia diuina, aut à re inspirationi simili: etenim deductio rationis, non pertingit efficaciam compositionis ipsarum.

De quantitate autem in qua exhiberi debent, varium Gal. pro intentionum varietate inuenio, nam quandoque maiorem, aliquando minorem quantitatem exhibet, primo enim de antidotis ferè ad principium, sic habet. Non eandem autem vim antidoti obtinent; acceptæ ante venena, & post. Quæ enim quantitas earum, præseruare potest a venenis; ea quatruplo, aut quintuplo maior, assumptis iam venenis, (si iuuare voles) exhibēda est; nec semel vno die, sed bis. in lib. vero de Theriaca ad Pisonem, cap. 14. sic scriptum reliquit. Non damus autem omnibus eandem quantitatem antidoti, sicut, nec liquoris, quo ipsam dissoluimus. Nam in antedictis, ad magnitudinem nucis auellanæ, Theriacam ex tribus vini ciathis propinare solemus; in aliis autem morbis, & antidoto, & liquore differenter vtimur. ad effectuum enim diuersitatem respicientes, & Theriacæ pondus metimur, & liquoris conuenientiam iudicamus. Et eodem lib. cap. 17. sic habet; recte autem facies, si varia ipsa mensura sumas, interdum ad ægyptiacæ fabæ magnitudinem, interdum ad nucis auellanę quantitatem, ex duobus aquæ ciathis, quando modicum interuallum tibi superetit, ad antidoti concoctionem; interdum ad nucis auellanæ quantitatem, ex tribus, aquæ ciathis, quādo plus temporis habiturus es, quo possit in corpus Theriaca digeri. De anni autem tempore, in eodē cap. sic iacet litera. æstate enim vt Theriacam sumas nullo pacto consulo: nam temporis constitutio calida tunc cum sit, calefactum adhuc magis ab ea corpus lęditur: vt plurimum enim ea pars anni, febrem hominibus affert.

Cui autem ætati conueniat, eodem loco scriptum reliquit Galenus sub his verbis, Quamobrem, & eos, qui media sunt ætate, & eos qui naturalem temperaturam calidam admodum habent, moneo, vt neque multoties, neque multum Theriacæ suscipiant. ex aduerso, quibus ætas iam in senium vergit, & plurimum, & plerumque, & non ex aqua, sed ex vino Theriacam bibant suadeo; vt ab ipsa corpus iam flaccescere incipiens, reparetur, & natiuus calor iam languescens excitetur. Et subdit. At

pueris

pueris maxime omnium Theriacam interdicto, quoniam ipsius magnitudo, ipsorum vires plurimum excedit, nam, & puerile corpus facile dissoluit, & complantatum spiritum celeriter extinguit.

De hora assumptionis ita eodem loco habet: quam tamen assumas velim postquàm cibus probe concoxeris, nec amplius repletum te senseris. Quæ exhibitio, in temporibus, & temperaturis calidioribus, ita contemperari debet, vt eorum caliditas remittatur, vel cum zuccaris cordialibus, vel ex foliis acetosæ, vel floribus cicoreæ confectis, vt sic,

℞. Theriacæ optimæ à ʒ. j. vsque ad ʒ. ij.
Zuccari rosati. ʒ. ij.

Fiat bolus, capiat per septem horas à cibo, & super bibat patiens, aquæ acetosæ, vel cicerbitæ, ℔. j. Temporibus vero frigidioribus, præter id quod maior quantitas exhiberi potest; minori contemperatione indigebit, quare sequenti ordine exhibeatur.

℞. Theriacæ optimæ à ʒ. ij. vsque ad ʒ. iij.

Capiat patiens, & super bibat vini generosi ℥. iiij. quod cum aqua cardui benedicti, ad duplũ põderis vini, limphetur, & modo dicto exhibeatur. Alia quoque omnia antidota lib. ij. enarrata, & præscripta, præcipue electuarium de ouo, & antidotus antidotorum, maxime salutaria existũt, quæ eodem modo, & ordine, vt Mithridatum, & Theriaca, dari debent. Aqua verò mirabilis dicta, à ʒ. j. vsque ad ʒ. ij. vel ʒ. iiii. cum brodio sumatur. liquorem quoque contra pestem, à ʒ. s. ad ʒ. i. s. cum brodio pulli, dare expediet.

Puluis contra pestem ad ʒ. ii. sumptus, validum medicamentum est. non vulgaris quoque Menghi puluis existit, qui sequenti ordine paratur.

℞. Dictamni albi.
Boli armeni.
Tormentillæ.
Cornu cerui præparati.
Sandalorum rub.
Camphoræ.
} an. ℥. s.

Fiat omnium puluis subtilissimus.

℞. Prædicti pulueris. ʒ. ii.
Theriacę optimę. ʒ. s.

Aquæ

Aquæ acetosæ, ℥. iiii.
Syr.contra pestem. ℥. i.

Fiat potus.capiat patiens, per sex horas ab assumpto cibo, & quanto citius ab inuasione morbi, tanto melius.

De lapide Bezahar, nõ multa dicam.hoc vnum sufficit, quod cætera medicamenta, quæ veneno aduersantur, ab ea tantum, vt Bezahardica appellarentur, nomẽclaturam sumpsere, qui ad grana decem cum zuccaro rosato dari poterit. De bolo armena, uera tamen, quid afferamus cum à Galeno.9. de simplici medicina adeo miris laudibus sit celebrata, vt omnibus medicamentis, in peste præferatur? Idem de terra Lemnia, & sigillata sincera omnino sentio. Cæterum in Mediolanensi clade, stercus gallinæ nigræ, maximi iuuamenti extitisse, à fide dignis habui. An autem in illa tantum valuerit, vel in aliis etiam possit prodesse, experiẽtia ipsa mostrabit. detur à ʒ.j. vsque ad ʒ.ij. cum tantundem zuccari rosati, vel in forma potabili, cum syrupo contra pestem, & aqua scabiosæ. Cæterum singulis diebus patiens aliquid sumat, & pluries, secundum quod citius, aut tardius, medicamentum conficitur, & morbus magis requiret, hac tamen lege medicamenta accipiantur, vt vnum alterum non confundat, & in eorũ confectione, non multum natura laboret, nec ab assumptorum multitudine deterreatur. Reliqua vero omnia, quæ ad hanc prouinciam, & ad exhibendi ordinem, & modum faciunt, lib. 2. abunde disseruimus. Modo quomodo bezahardica dicta in venenum agant, & corpora immutent; accuratius perpendamus.

Lapis Bezahar dosis ad g.a x

Stercus Galine Nigre

Quomodo Bezahardica in venenum agant, & an, si à non venenatis sumantur, veneni accidentia incutiant. Rursus, in quibus proprietates reperiantur; & quid sit proprietas. Cap. XIII.

INter cætera naturæ sagacissimæ archana, hoc vnum maximum putamus, Alexipharmaca nempe, & bezahardica medicamenta, (vt quinto colliget cap. 23. affirmauit Auerroes) id operari posse, vt contra venenum exhibita, ipsum interimant; à non venenatis autem sum

pta, eadem accidentia, ac si venenũ sumpsissent, inducere queant, propterea dixit, & istæ medicinæ non curant, nisi sumantur, cũ in corpore est dispositio venenosa, & à veneno facta, & tunc dant corpori virtutem vnam quæ est contraria virtuti veneni, & sic curatur venenum, quasi per accidens. propterea quando comedit illa homo sanus, sunt sicut venenum. exceptis granis citri, & his similibus. Et paulo inferius, dicti causam reddens ait. sed causa quare, bezahar occidit sanum? est quia non habet prodesse, nisi quando in corpore est dispositio venenosa. Duas enim facit in corpore dispositiones: vna est venenosa, quando recipitur, non existente in corpore dispositione venenosa; altera est iuuatrix, quando in corpore est dispositio venenosa, & sunt sicut venenum ex vna parte, & medicina ex altera. hæc Auerroes. Quæ positio non paucam substinet dubitationem. Scio enim non defuturos, qui Auerrois sententiam damnent, præcipue cũ Auicennas lib. 2. tract. primo capite iij. huic opinioni diametraliter aduersari videatur, dum ait, Bezahar, autem, & Theriaca, sunt omnes medicinæ, quarum proprietas est, vt sanitatem conseruent, & virtutem in spiritu; & ex his expellat nocumentum veneni à se. Nullam itaque ex dictis, venenositatem habere, ita manifestum est, vt non sit, quod probem. His adde, quod in dies terram Lemniam, bolum armenam, dictamnum, tormentillã, scordeon, & his similia, vt non venenati sumant, imperamus: & non tantum hæc, sed bezahar lapidem; nec propterea veneni accidentia sumentes incurrunt. Nec possent insuper non venenatis, vt à venenis præseruentur, (vt in dies ex vsu est) si accidentia veneni incuterent, exhiberi. Galenus quoque Auerrois opinioni simpliciter assentire non videtur. quinto enim de simpl. med. 18. cap. ita scriptum reliquit. Siquidem facultates quæ deleteria medicamenta alterant, naturam habent mediam, inter corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia; vt videlicet, eadem sit proportio corporis ad facultatem Alexiteriam, quæ illius ad deleteriam, & rursus, deleterii ad alexiterium, quæ alexiterii ad corpus. Vnde hic duplex notatur proportio continuata, in quatuor terminis semper facta, prima est Vincentis ad uictum, sub illis verbis, eadem est proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam. sed se habet ad deleteriam, vt ab ea vincatur: ergo se habet ad alexiteriam, vt corpus ab ea superetur.

Secunda

Secunda verò est proportio victi ad vincentem, vnde dixit, & rursus deleterii ad alexiterium, quæ alexiterii ad corpus. sed ita se habet deleterium, vt ab alexiterio vincatur: ergo alexiterium se habet ad corpus, ut à corpore superetur. Ex quibus, quis facillime intelligere poterit, bezahardica non ita corporibus aduersari, vt ab ipsis euinci, & superari non possint. Quare quando bezahardica uincuntur, veneni accidentia in corpore inducere non valebunt: quæ si non vincuntur, dictorum accidentium causa esse poterunt. præcipue autem non superantur, si largius sumpta fuerint. Vnde paulo inferius subdit. ea propter propemodũ omnia quæ deleteriis aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter animantis corpus oblædunt. quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibere oportet, ut neque copia nimia corpus offendant, neque exiguitate sua à deleteriis uincantur. Nunc tempus est, vt quomodo, ab eis in venenum dictæ operationes fiant, diligentius examinemus. Qua de re tam bezahardica, quàm alexiteria, ex eodem 5. de simpl. medicina, citato capite, duobus modis operari posse putandum est. nonnulla enim alterant, alia euacuant, ex corpore patiente venenum corripiens, seu deleterium medicamen. Si alterant, aut vna qualitate id agunt, aut duarum coniugatione, uel denique tota substantia. euacuant rursus, totius substantię similitudine, & caliditate subtilium partium. Quatuor itaque sunt differentiæ, quæ ab ipsarum vtilitate emanant; duæ alterantes, & duæ euacuantes. vnde si frigidum est medicamen deleterium, aut animantis venenum, ab excalfacientibus petendum auxilium est; sin calidum, à refrigerantibus; & in passiuis eodem modo: similiter, & in coniugationibus procedatur. nam si calidum & humidum est quod deleterium existit, à frigidis & siccis petendum remedium est. eodem modo in aliis est faciundum, ex contrarietatis proportione. Ex quibus credendum ducimus, bezahardica, & alexiteria, tunc veneni accidentia, contraria tamen inducere, cum scilicet, à contraria qualitate operantur. nam frigidum aliquod venenum esse non potest, nisi summe frigidum sit, & in noxia quantitate sumatur. quod in aliis etiam qualitatibus, veritatem habet, vt 3. de simp. medicina cap. 9. à Galeno habetur. Quæ tamen deleteria, toto genere contraria, vti corrumpentia, & erodentia, dici non possunt. illa enim in modica quantitate

Quasi Alexit.a et Bezaart.a in magna dosi noceat.?

ſumpta, à calore naturali vincuntur; corrumpentia autem, & erodentia, etiam in pauca quantitate exhibita, abſque alexiteriis ſuperari non poſſunt, vt ex 3. de ſimpl. medicina cap. 21. & 22. manifeſtum eſt. Quare quod ſumme frigidum eſt, vt ab extreme calido vincatur oportet. vnde corpus temperatum ſi venenum frigidum non ſumpſerit, & ſe cæpiſſe exiſtimet, ſumme calidum ſumens, ab eo ipſius temperies immutabitur, & à ſumma caliditate in corpore inducta, accidentia etiam grauiora perpetietur. quã veritatem Galenus eodem quinto de ſimpl. med. 18. capite conſcripta locutione confirmauit. ſcire oportet deleterias facultates vniuerſas, temperatura eſſe diuerſiſſimas corporibus, quæ ab ipſis læduntur. Et illinc ad parum dixit, nec ſecus fit curatio, quæ per venenorum remedia, & antidota adhibetur, quæ alexipharmaca nuncupant. hæc enim contraria lethalibus, alteratione totum corpus immutant. Quare ſi bezahardica deleterium in corpore inueniunt, cum extrema mutatio à veneno in eo facta ſit, ab extremo alexipharmaco, & ſuperante uicto, ad temperiem, & ſanitatem, corpus reducitur. Quæ alexipharmaca ſi corpus intrantia, ipſum venenatum non inuenerint, à temperie, ad alterum extremorum immutando, veneni accidentia, contraria tamen inducere poterunt. Cæterum, an per materiales vocatas qualitates, an per ſpirituales, id agant, inquiramus. Quare per vtraſque fieri, Gal. etiam decreto, credendum eſt. & primo, quòd per materiales qualitates fiat, quinto de ſimpl. med. citato loco docuit, quando ſupra nedum à ſimplicibus; ſed etiam à cõiugatis, per contrarias qualitates, deleteria curari poſſe, & debere demonſtrauit. Quod autem per ſpirituales qualitates id ipſum fiat, ex primo de ſemine cap. 16. clare habetur. Quam met ſententiam etſi ſupra lib. 2. cap. 39. ad uerbum recenſuerim, eã tamen hic repetere non pigebit. vnde poſtquàm docuit in minima etiam quantitate, tam deleteria, quam alexipharmaca id poſſe operari, ſic ſubdit. Non ſanè quod ſubſtantia eorum per totũ penetret corpus; neque enim poteſt tam paruus ſuccus, tam breui tempore, corporis interdum, etiam maximam molem replere; ſed qualitatis ſuffuſione, qualis, & extra nos à ſolis fulgore in ambientem aerem, & in nobis, tum à corde in arterias, tum à cerebro in neruos, fieri conſpicitur. Ex quibus non ſolum per materiales qualitates; ſed per ſpirituales etiam, tam deleteria

quàm

Venena, et Alexipharmaca p materiales, et p spirituales qualit. operant.

quàm alexipharmaca agere, manifestum putamus.

Cæterum quoniam dictum fuit, bezahardica in venenum bifariam operari posse, ipsum nempe alterando, vel euacuando; rursus alterationem duobus modis agere, qualitate scilicet, & tota substantia, postquàm de qualitatibus, tam simplicibus, quã ex coniugatione, satis superque disputatum est; remanet, vt de actione, quæ à tota forma emanat, aliquid dicamus. Non enim obscura est alteratio, quæ fit per totius substantiæ facultatem, vt quinto de simpl. medicina loco sexcenties citato clare habetur. quam veritatem, 6. de morb. vulg. sectione 6. com. 5. sequentibus verbis confirmauit. cæterum iuuamenta, & noxæ, non solum per simplices nos attingentium qualitates; sed etiam per totam substantiam corporibus nostris adueniunt. Quæ tota substantia, & proprietas, per Auerroim lib. citato, cap. 24. est illa, in qua operatio existens per se, transit ab vno ente ad alterum, propter proportionem mensurarum elementorum, quam habet vnum ens cum alio, quæ mensura compræhendi nõ potest. Vnde cum comprehendi non possit, negare aut affirmare non auderem, an eadem, an contraria veneno accidentia, si à corpore non venenato sumantur, in ipsum inducere possint. Et hæc de his, quæ per qualitates primas, & à tota forma alterant, dicta sint satis. Modo de euacuantibus, tanquàm de secundo principali membro agamus. Quæ euacuantia, tantum foris imposita venenum educunt, vnde quinto de simp. medicina ita scriptum reliquit Galenus, omne deleterium venenum, à foris impositis medicamentis euacuatur. quasi innuere voluerit aliqua medicamenta non dari, quæ intus imposita, venenum euacuent. Et docens quomodo hæc peragant, subdit. nempe aut caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudine. Verùm quoad fieri poterit, maxime medium natura, alexiterium sit oportet, corporis videlicet, quod curatur, & veneni lædentis. nam si aduersissimum esset corpori, in ipsum ageret potius, ceu deleterium; venenumq; haud euacuaret. at deleteria non sic. propterea subdit. scire enim oportet, deleterias facultates vniuersas, temperatura diuersissimas esse corporibus, quæ ab ipsis læduntur. quare si à similibus temperie medicamentis euacuantur, & alterantur, erunt. & hæc corporum naturis contraria; ex toto autem contraria esse, putandum non est: sic

enim, vt deleteria interimerent: ſed ambigant potius, in medio eorum ſita, quæ ex profeſſo corpus animantis lædunt, & quæ iuuant. At deleteria, (ſubdit Galenus,) non ſic ſe habent, cum tantum interimere nata ſint, quod. 3. de temper. cap. 4. conſcripra locutione confirmauit. Cæterum grauia & naturam animalis corrumpentia, vnde & totum eorum genus deleterium & peſtilens dici reor. Et 6. quoque de morb. vulg. loco allegato dixit. ea verò appellant deleteria, ideſt pernicioſa, quæ vllo vnquàm tempore, neque ęgrotis hominibus, neque valentibus, opem ferunt. Ex dictis manifeſtum ducimus, Galeni mentem non fuiſſe, alexiteria ſcilicet, & bezahardica, ſi à non venenatis ſumantur, præcipuè in moderata quantitate exhibita, veneni accidentia inuehere. & ſi ab eiuſdem verbis, corpora lædi habeatur, etiam parcius ſumpta, dummodo venenum in corpore non inuenerint; vti grauius, (vt dictum eſt) ſi largius ſumpta fuerint, animantis corpus oblædunt; & tunc, vt deleteria ſe habebunt, & veneni accidentia in corpore inducere poterunt, vt in prima proportione vincentis ad victum, dictum fuit. ſecus autem eſt, ſi in moderata quantitate ſumantur: tunc enim ſecunda proportio victi ad uincentem locum habebit. Vnde ſicut deleterium ab alexiterio vincitur, ita alexiterium à corpore ſuperabitur. Modo tempus eſt vt in quibus dictæ proprietates reperiantur, dicamus. Quare. 6. de morb. vulg. citato capite, hoc docens Galenus, ita ſcriptum reliquit. Iure ſanè optimo, & illud dictum fuerit, ſtirpium humores, & in quibus vim habent, proprietates namque ex tota ſubſtantia progenitæ medicinæ ſunt, alimenta, & ad hæc tertio, ea, quæ Hippocrates hic malefica nominauit, ſimiliter quarto ipſorum remedia. in quatuor itaque ac ſi diceres in omnibus, proprietates reperiuntur. omne enim, quod eſt, vel alimentum eſt, vel medicamentum: rurſus vel deleterium eſt, vel Bezahardicum. In quibus omnibus ex Galeni decreto proprietates reperiuntur. Modo, quomodo grauiſſimorum virorum opiniones intelligi debeant, præſcrutemur. Hæ autẽ vt multa paucis colligam. in vniuerſum tres ſunt. quæ & ſi nedum diuerſæ, ſed etiam contrariæ videantur; ſano tamen modo intellectæ, vna quæque vera apparebit. Et ab Auicenna exordientes dicimus, de his virum illum doctiſſimum verba feciſſe, quæ taliter veneno obſiſtunt, & corpora ita iuuant, vt ſi ſumantur, etiam abſque eo, quod in corpore venenum

num inueniant, nedum non lædant, sed à venenis mirificè præseruent, vt de terra lemnia, bolo armeno, dictamno, scordio, iacintho, smaragdo, & similibus dictum fuit; hoc, vel maximè, si in moderata quantitate sumantur. Quæ opinio nedum in dictis simplicibus veritatem habet, sed etiam ad composita se transfert. Quare in Theriaca, Mithridato, Electuario de ouo, & consimilibus, verificatur.

Auerroes verò duplicem in Bezahardicis facultatem reperiri asseruit, deleteriam vnam, alexiteriam alteram. Quæ opinio in his verax apparet, quæ venena, & deleteria cum sint, aduersus, tamen nonnulla venena, Alexipharmaca, & Bezahardica existunt, hoc autem, vel ex diuersitate mixtionis, vel ex diuersitate substantiæ à cœlestibus influxibus receptæ facere posse credendum est. propterea si in corpore venenum inueniunt, antipathia partis quàm cum eo habēt, ipsum destruunt, & euincunt. in quibus accidit sicut quando duo inimici conueniunt, in destructione tertij communis inimici. exemplum requiras à Matthiolo in sua nuncupatoria in Dioscoridis interpretatione, dum aconitum ictibus à scorpione, præsentaneo auxilio esse; similiter plura alia venena, pluribus venenis, & morbis opitulari affirmauit. Quæ si venenum, vel morbum non inuenerint, deleteria cum sint, veneni accidentia induunt. hinc grana citri, & his conformia excepit, quæ si à non venenato sumantur, quia deleteria non sunt, veneni accidentia non incutiunt. Sed Galeni opinionem spectemus. qui alexiteria, & alexipharmaca natura esse media inter corpora perpetientia, & deleteria, lędentia affirmauit. non enim, vt deleteria, quę ex professo corpus animantis lędunt perpetuo ipsum offendunt, nec vt semper iuuantia, iuuant; sed cum contraria qualitate, quęcunque sit illa, prędite sint, cum summam ipsam possideant, si in corpore venenum non inuenerint, ad alterum extremorum ipsum immutando, animantis corpus oblædunt; & hoc si in excedente quantitate sumantur, efficiunt. Quare iure merito in medio eorum sita sunt, quæ ex professo corpus animātis lædunt, vt deleteria, & ea quę iuuant, vt cibaria, vel placidiora, & parum alterantia, vel immutātia medicamenta, & hoc quia excedentis qualitatis, & potentiæ, vt sint, oportet, vt ab ipsis deleteria vincantur: diuersitas tamen quantitatis, nocumentū variare maximè poterit; vt hinc natura media inter deleteria, & ale-

Auerrois sent.

Gal.ni sent.

xiteria reperiantur. Quare in moderata quantitate alexipharmaca, quæcunque sint, vt exhibeantur, consulimus; ne quæ natura iuuantia sunt, noxia efficiantur. Modo iuxta tertiam vniuersalem intentionem, de victus regimine agamus.

De cibandi ratione in febribus pestilentibus, vt virtus pro morbi debellatione seruari possit. Cap. XIIII.



T si supra lib. 2. de victu eo, qui pro præcautione sanis debebatur, satis abunde à nobis dictum fuerit; cum tamen, tam ægris pro sanatione, quàm sanis pro præcautione, congrua victus ratio, magis necessaria videatur (sine ea enim nullus apprime morbus curari potest, vt docte Galenus. in lib. de vsu Theriacæ ad Pamphilianum, conscripta oratione demonstrauit. Nullum enim tam efficax remedium Medicina habet, quod solitum auxilium afferre queat, si ei victus, vel resistat, vel non adiuuet) hinc de victu ab egris seruando in presenti capite agemus. in quo præscribendo, tria potissimum respicere oportet. quæ & qualia danda sint, primo; secundo, modum & apparatum; tertio tempus, & quantitatem. De quantitate & tempore primo dicamus, in quibus recta victus ratio constitui certè non potest; nisi à tempore, morbo, & à viribus ægrotantis, indicationes sumantur; vt prima aphoris. 17. docuit Hippocrates. vnde applicatione ad morbum de quo agimus facta, cum in eo multæ, & continuę, ob vitalium spirituum, à pestilentibus & venenosis enecationem, virium resolutiones fiant; multa profecto, & continua eorum reparatione, restaurationeq; indigemus. Verùm, quia cum spirituum enecatione, vires stare nullo pacto possunt; hinc sæpe, & parum, dare expediet: sæpe, ob vitalium spirituum continuum interitum; parum verò, quia virtus reddita imbecillis, multum concoquere non valebit; hoc vel maximè si anni tempus, ætas, & patientis temperies, non repugnabit; vt si in tempore calidiori, in iuuene, & biliosa temperatura id continget, in quo multas fieri resolutiones, etiam non concurrente hoc morbo, manifestissimum est: quas, & si prospicere necessariũ sit, non est propterea quin regio, consuetudo, & alia

adiacentia spectanda non sint; à quibus, an multum & sæpe, vel multum & raro, similiter parum & sæpe, aut parum & raro dare expediat, sumere indicationem oportet. Quare parum & sæpe, dictis de causis (nisi sit, quod impediat) dare opportunissimum erit, quam veritatem Ficinus, tractatu proprio, cap. 10. de mente Rasis, & Auicennę confirmauit. Inquit enim quod freque͂ter, & modicum cibum dare expedit. Montanus verò, in explanatione dicti decimi septimi aphorismi, non solum parum & sæpe; sed tribus, quatuor, & quinque vicibus, vna eadem hora exhibet. quod non absque admiratione perlegi. Nunc de secundo dicamus, in quo, quæ, & qualia danda essent, continebantur. Quare cibaria debent esse multi nutrimenti, paucarum superfluitatum, & in quarum coctione natura non multum laboret, inter quæ à Marsilio Ficino, pulli gallinacei, capi, & eorum pullæ magis, cum eorum brodium adæquandi humores potestatem habeat; similiter perdices, phasiani, oua sorbilia, summopere commendantur. hordeatum insuper, & auenatum, ex Philonij decreto, salutaria censentur. Modo quantum ad quale, præter id quod frigida potentia, & multoties actu, conueniunt; multi laudant elixa, alij assa; Ficinus Hippocrati inhærens, qui prima aphor. 17. victum humidum febricitantibus omnibus competere asseruit, elixa magis probauit; è contra Alexander Benedictus, tractatu proprio, capite 14. assa magis laudare videtur. Nos autem, & assa, & elixa non improbamus; sed quæ magis ab ægrotantibus expetuntur, ipsisq; sapidiora videntur, libentius concedimus, iuxta dictum Hippocratis 2. aphor. 38. parum deterior cibus, aut potus, suauior tamen, minus suauibus præferendus: hoc vel maximè, quia in hoc immanissimo morbo, appetitus ita deijcitur, vt ad sumendum cibum, cogere patientes oporteat. Ita dixit Auicennas, prima 4. tract. proprio, & Rasis in lib. 10. diuisionum capite. 16. vbi habent quod qui viriliter agunt & comedunt, vt plurimum euadunt. Quare pro ægri delectu, & desiderio, variis delitiis, varijs saporibus, additis odoramentis, appetitus suscitandus, & conciliandus erit: ex quibus modus, & apparatus innotescet. ad quod perficiendum, acetosa omnia commendantur: ex quibus salsamenta, & condimenta paranda eru͂t, vt 2. lib. affluenter docuimus. erant autem, vt in exemplo, acredo citri, limonum, acetosa, & reliqua, cum quibus brodia, contu

ſa, conſumpta, ſortita, & ſtillatij ex carnibus liquores alterari poterunt. quam veritatem Auicennas, prima 4. tracta. 4. cap. 4. ſequentibus verbis confirmauit. Eorum cibi ex acetoſis & deſiccatiuis eſſe debent. Et hęc de ciborum qualitate dicta ſint ſatis. Cęterum, vt facilius dicta cibaria parari poſſint, nonnullorum, & primo ſortiti ordinem parare, non grauabimur.

Sortitum.

℞. Coxæ Caſtrati, vel mutoni, vel vituli, lib. x. vel quantumuis.
Marenarum, Ceraſorum. ℥. iij.
Coriandorum præpar. ℥. s. vel ℥. j.
Foliorum acetoſæ. m. i.
Acredinis citri. ℥. i.

Impleatur coxa, prius per medium diuiſa dictis rebus, & in veru poſita, ſed non ad integram cocturam & omnimodam deſiccationem aſſetur; in fruſtra redigatur; & in torculari fruſta ponantur; & exprimantur: quod enim exit, ſortitum appellatur, quod cum puluere cap. ij. deſcripto, alterari poterit. Recipit enim margaritas, corallos, & cæteras, & dempta pinguedine propinetur. Nunc ſtillatitium carnium liquorem ponamus, qui ſequenti ordine paratur.

℞. Capi. nu. i.
Accetoſæ.
Borag.
Pimpinellę. } an. m. ii.
Cicerbitæ.
Micæ panis. ℔. i.
Zuccari roſati.
Borraginati. } an. ℔. s.
S. acetoſæ.
Citri.
Portulacæ.
Coriandorum præparat.
Cornu Cerui prępatati. } an. ʒ. iii.
Sandalorum rub. ʒ. ii.

Fiat ex herbis ſtratum. capo ad optimam deſpumationem elixetur, & in fruſtra redactus, cum aliis rebus in ſtillatorio ponatur,

tur, & in balneo mariæ omnia distillentur, & liquor bene clausus vsui reseruetur. hæc enim aqua carnis est, quæ etiam sequenti ordine paratur.

℞. Pulpæ Capi. lib. I.

Ponatur in vrinali, quod optimè claudatur, & in balneo Mariç per sex horas bulliat. & in fundo vrinalis aquam inuenies, quç præter id, quod multum nutrit, gustui sapida valde existit. Non desunt, qui carnem in petia rara ligent, & petiam in vrinali suspensam, vt fundum non tangat, locant, & vt supra, bullire permittunt; & aquam in fundo vrinali collectam dempta pinguedine patienti exhibent. & hic modus melior existimatur, similiter & eorum qui filo serico carnem perforant, & in vrinali suspēdunt. Consumptum quoque, ad eādem facit intentionem. Qui omnes liquores, cum pulueribus supradictis, vel cum acetosis mixti, magis salutares habentur.

Cæterum fercula ad ęgrorum vsum varia parari poterunt. inter alia tamen panis gratatus, panis in brodo pullę intinctus, brodettus, cucurbita, far, pręter dictum auenatū, & hordeatum, similiter, & contusum summopere commendantur. Quos cibos congruis horis dare expediet. hęc autem remissionis morbi hora erit: quod si nulla quietior dabitur, horis in quibus sani cibum sumere consueuerunt, ipsum capiant, hac tamen ratione cibentur, vt quando prius assumptum, coctum fuerit, alter exhibeatur. In fine verò prandij, & cœnę, pira, & pira cottona cocta, vti pomum appium, & roseum, similiter coriandri pręparati, & pauco zuccaro inuoluti concedantur, reliqua ex lib. 2. studiosi petere poterunt, quę loca alternatim legi debent. Modo de potu dicamus.

Quisnam potus peste correptis congruus existat. Cap. XV.

Potvs ex vino granatorum, acido simplici, a credine citri, aceto, cum aqua cocta, vel aqua hordei mixtis, necnon cum aqua, in qua aurum ignitum pluries extinctum sit, summopere commendatur. Non desunt, qui chalibeatam aquam bibendam imperent. Nos

præscri-

prescribendam non vulgaris iuuamenti esse, longo, vsu comperimus, quę sic paratur.

♃. S. acetosę.
Citri.
Portulacæ.
Plantaginis.
Cornu cerui pręparati.
Terrę lemnię. } an. ʒ. ii.
Coriandrorum præparat. ℥. j.

Omnia grosso modo conterantur, in petia rara ligentur, sacculus fiat, qui in aqua bulliat, cum qua liquores dicti limphentur, & contemperentur. Sequens etiam potus mirifice laudatur.

♃. Acetosi. s. ℥. iiij.
Aceti rosati. ℥. i.
Aquæ communis. ℔. vi.

Bulliant ad consumptionem libræ, & pro potu vtatur. Quod si dulciorem æger cuperet, acetosi s. maiorem quantitatem immisce; si vero magis acidum, aceti portionem adde. Sunt qui vinum granatorum cum iuleb violato vel rosato mixtum, vt vini fortitudo frangatur, exhibent. quæ omnia si loco aquæ communis cum aqua borraginis, acetosæ, pimpinellæ, cicerbitæ, & similium limpharentur, & conficerentur, validius prodesse possent. Cæterum si ratione virium vinum dare necessarium erit; illud album, vel cisiolum, odorum, clarum, cum supradictis aquis bene linphatum detur. vnde Rasis lib. 4. cap. 25. sic habet. à vino, nisi multa frigida temperatum fuerit aqua, cauendum. Quo tempore etiam aquam carnis pro potu dare expediet. Qui potus sit largus, ne maius incendium, modicus pariat. ad quam intentionem non desunt qui largiorem aquæ frigidæ potum commendant. nos autem maxima cum cautela, & secundum regulas 9. Meth. cap. 5. præscriptas exhibendam existimamus. Modo sæuioribus dicti morbi accidentibus succurramus.

De sym-

De symptomatum, quæ pestem comitare solent remotione, & primo syncopis curatur. Cap. XVI.



CVM tria in vniuersum corpori præter naturam inesse dicantur, morbus nempe, morbi causa, & symptoma, Galeni etiam decreto 2. Meth. cap. 3. causa quidem præcedere, symptoma vero morbũ velut vmbra corpus sequi consueuit. hac de re de causa, & morbo, prius hucusque egimus, modo de symptomatum remotione, à morbo deinceps dicere congruissimum erit. verum enim verò, quia multa, & varia symptomata in peste conspiciuntur; non de omnibus, sed de potioribus, & frequentioribus pertractare, nobis in animo est. Quæ sicuti in aliis acutis febribus, ita & in hac sed excellentiori modo, & in maiori numero reperiuntur. inter quæ hæc potissimum connumerantur, syncope, dolor capitis, & eiusdem grauedo, phrenesis, vigiliæ immodicæ, somni profunditas, sitis in exhausta, linguæ scabrositas, & eius nigredo, ventris fluxus, & dolor, appetitus deiectio, extremorum frigiditas, carbunculi, bubones pestilentes, exanthemata, variolæ, & morbilli. Nos non à capitis dolore, sed à syncope, quia magis timorosum accidens est, exordiemur: & non de omni syncope, sed de ea dumtaxat, quę vel à vitiato & coinquinato aere, aut à prauis venenatisque vaporibus à putri materia eleuatis, vitales spiritus enecantibus prouenire consueuit, agemus. Hoc enim symptoma tantæ potentię existit, (cum in vitæ discrimine ægrotantes ponat) vt ad se ipsum omnem fere medentis scopum, animumque vertat. Cæterum cum duplicem causam syncope habeat, extrinsecam scilicet, & intrinsecam, duplicem quoque curandi modum exposcit. Quorum vnus aerem venenatum, alter verò infectos spiritus respicit. & rursus vnus, intrinseca, alter verò extrinseca medicamenta ministrat. de intrinsecis autem abunde satis supra differuimus. modo de extrinsecis dicamus, & primò aerem corrigere volentes, ipsum eo ordine, quo lib. & cap. 2. diximus corrigatur. hoc vnum monentes, vt ad nouum aerem, & deputatum (nisi sit quod impediat) mutatio sæpe fiat. paucissimusque ex vitiato trahatur, & ille quantum fieri potest

test peregrinissimus; vt 2. de nat. humana nu. 16. docuit hippocr. sensim enim eius alteratio, & correctio moliatur. qui nullo pacto sit fœtidus; sed suauis, odorus, vt ab ipso vitales spiritus recreentur. Cęterum quia eleuati à materia putri venenati vapores, vitales spiritus semper lædere, & interimere tētant; ne id præstare valeant accuratè curandum erit. quod cum epithematibus cordialibus appellatis, (præter cætera) fieri perbelle poterit. epithema verò hoc modo paratur.

℞. Aquarum quatuor cord. an. ℔. s.
Aquæ acetosæ. ℔. j.
Aceti ros. ℥. iiij.
Florum quatuor. Cord. an. m. s.
Spec. cord. temp. ℥. i.
Camphoræ.
Ambræ. } an. gr. iiii.

Misce pro epithemate Cord. quod cũ panno coccineo appellato, applicari debet: & hoc quanto citius fieri potest, fiat, ne à spiritibus venenatis venenata qualitas in corde imprimatur: qua in eo firmata, nulla spes amplius remanet salutis, quod ab initio etiam inuasionis, morbi, ante alterius medicamenti exhibitionem, vt ab eo curatio initietur fieri expediet. hoc enim corporis vires reficit, animi tristitiam tollit, lætum cor reddit, malos, pestiferosve vapores fugat, & vincit. Cæterum nonnulli frigidum, alij calidum, tertii tepidam applicant. Nos tepidam administrationem magis commendamus. à frigida enim pororum obstructio & clausura; à calida verò, actus, & febris adauctio sequi posset, quorum neutrum à tepida continget. quo per dictos pannos septies, aut decies immutato, tali linimento Cor liniatur.

℞. vnguenti Cordialis Guainerii. ℥. ii.

Vtatur frigido pro linimento Cordis. sunt qui Theriacam cum linimento dicto miscent, vt.

℞. Vnguenti Cordialis supradicti. ℥ i.
Theriacæ optimæ. ℥. s.

Misce, & vt dictum est vtatur. Nonnulli oleo Matthioli, contra venenum appellato, vel Carauitæ, aut. Magni Ducis Hetruriæ, cor liniunt, & muniunt. Non desunt qui oleum de semine Citri commendant, quod efficax, vt multi dicũt non inuenimus. forsan, quia rectus conficiendi modus non seruatur. Cæterum

notan-

notandum, quòd dictum Epithema, in æstate magis, quàm in hyeme applicatum prodesse potest. In frigidioribus enim temporibus sequenti ordine paratur.

℞. Aquarum quatuor cordialium. an. lib. s.
Aquæ melissæ }
E floribus aranciorum. } an. ℥. viii.
Vini optimi. ℥. v.
Spec. Cordialium calidarum. ℥. i.
Florum quatuor Cord. an. m. s.
Musci. }
Ambræ. } an. gr. ii.

Misce pro Epithemate Cordiali, quod aliquanto calidius applicetur, & vt dictum est immutetur. ab applicato verò Epithemate, sequenti linimento sæpe facto Cor inungatur.

℞. Vnguenti Cordialis. }
Theriacæ. } an. ℥. i.

Misce pro linimento Cordis.

Manardus vero cor, hepar, & testes, liquore infra dicẽdo fouet.

℞. Aquæ ros. lib. ii.
Aceti ros. lib. s.
Vini optimi. lib. i.
Pul. frigidi ab eo pro epithemate cordiali descripti. ℥. s.

Misce pro epithemate dictarum partium, pannum in eo madefaciendo & crebrius immutando. Nos supradictum frigidum in æstate vti calidum in hyeme, magis commẽdamus: quod pro cordis, & testium munimine, in vsu esse debere intelligimus. pro hepate enim suo loco aliud epithema parabimus. Cæterum in syncope, duo sunt spectanda tempora. Alterum præsentem accessionem tollit; alterum verò futuram præcauet: Qui actu syncopizant magnis & altis vocibus vocentur, eorumq; facies odoratis præcipuè aspergatur: extremitates quoque Herculani etiam decreto, quo ad à syncope releuentur, arctissimè ligentur. Ad futuram verò præcauendam, victu superius descripto patientes nutriantur, spiritus restaurentur, & recreentur, cor roboretur. Quas omnes intentiones præter alia plurima vinum præstat, quod non sine animaduersione tribuatur. Modo de dolore capitis agamus.

Dolor

Dolor capitis quibus arceri possit, exaratur. Cap. XVII.

SI caput febris ratione dolet, post couuenientem humorum cum eo, quod expedit euacuationem, Caput prius derasum, tali linimento liniatur.

℞. Ol. ros. ℥. iiii.
Aceti ros. ℥. i. s.

Misce, & ex eo caput liniatur, quod linimentum in commissura Coronali cum petijs lineis applicari debet, æstate frigidum, hyeme tepidum, Pauli lib. 2. cap. 44. decreto. per suturas enim non tantum vis medicamenti, sed eius substantia si subtilis est, penetrare potest: vt docte. 13. meth. cap. 22. docuit Galenus, nec timendum est, (vt gregales medici dicunt) materiam in cerebro impingi, cum quæcũque sit illa, vel calida, vel frigida, Gal. etiam decreto loco citato, cap. 21. à capite repellenda sit. Vnde si validius medicamentum morbus exposceret, quod sequitur paretur.

℞. Ol. ros. omphacini.
Violati.
Aquæ ros.
Plantag.
Aceti ros. } an. ℥. ii.

Misce pro irrigationibus, quæ vt dictum est, fiant, & petiæ in liquore præscripto intinctæ, sæpius in commissura coronali immutentur. quibus liquoribus apud necessitatem, species triasandalorum simplicium, & muccilago psyllij, & succus semperuiuæ, & bursæ pastoris addi poterunt. perseuerante adhuc dolore, cataplasma ex veteri polenta, & poligono, similiter ex pane, rosis, & pauco mirto siue serpillo, Paulus lib. 2. cap. 44. parat, & applicat. Ad eandem quoque intentionem, polenta cum coriandro permixta commendatur. Pulsatiles verò dolores, ruta, & mentha cum pane, rosaceo adiecto, eiusdem Pauli testimonio discutit, atque tollit. Cæterum si connumeratis remediis, dolor manum non dederit, Cucurbitulæ in spatulis, & in summitate colli admoueantur, partesq; insuper extremæ vinciendæ & manibus fricandæ erunt. Hyrudines præterea nedum ano, sed naribus,

bus,& venis nocrę quæ sunt post aures affigantur. inter cætera lux ualida uitetur,lædit enim visum, & membranas ad motum sollicitat.uitanda est etiam à carbonibus, & lucernis caliditas. Item iniucundi & humiditate referti odores, ex Aetii testimonio.quibus si dolor nõ cesserit,hyosciami folia viridia,aut papaueris,cum mica panis,idem Aetius applicat. ad eundem quoq; vsum,intestina terrę trita parat,& mirifice, celeriterque prodesse affirmat. Aduertendo quòd in tempore frigidiori, nisi calor excesserit,nonnulla calidiora admiscere tenemur: quæ calidiora succedente tempore,& materia pro maiori parte fluxa, pro dictæ fluxæ materiæ,& coniunctę resolutione, frigidioribus misce re,tandemque calidiora solum,ad eandem intentionem, modo leuiora,interdum validiora, secundum opportunitatem applicarę debemus. Nunç de grauitate capitis disseramus.

Grauitas capitis eorum remouetur. *Cap.* XVIII.

CApitis grauitas, ut Auicennę prima quarti tract. 2. cap. 19.placuit,lactis emulsione, aut olei effusione, embrocha & caputpurgio remoueri non debet,sed suffumigiis ex decocto chamæmeli, furfuris, rosarum,uiolarum,& his similibus curare oportebit,& hoç præcedẽtibus euacuationibus.à quibus reuulsiones diuersiones,& deriuationes,capite superiori descriptæ,fieri poterunt.quo tempore acriora clysteria,ad eandem intentionem, & valentiora suppositoria,summopere cõmendantur.grauitas enim capitis, eius ponderositatem,extensionemque,in eleuatione, & compressione ab ægro perceptibilem significat,quæ à multa materia,crassa, uaporosaque fieri certissimum est. hinc pro eius remotione quatuor requirũtur intẽtiones. Prima grauantẽ materiã euacuationib. cõmunibus, phlebotomia scilicet,& pharmacia(si expedire videbũtur) euacuat. Secunda cum clysteribus,frictionib. cruriũ lotionibus,uentosis,& similibus ipsam diuertit.Tertia residuũ materię in capite contentæ,cum masticatoriis,& caput purgiis educit.Vltima qđ à masticatoriis,& caput purgiis, in eo relictũ est,cũ euaporationib. supradictis resoluit,& cerebri discrasiã, ipsum ad cõtrariũ alterando tollit. inter cætera rosa ab Herculano maxime laudatur. Nunc de phrenesi sermonem habeamus.

Phrenesis cura. Cap. XIX.


Hrenesis Galeno etiam 2. de sympt. caus. cap. 7. authore, est cerebri, siue eius membranarum inflammatio, quæ à mordentibus, & calidis succis, in cerebro exuberantib. oritur, etsi à vaporibus calidis mordacibusue, ad cerebrum in febrium summo incremento ascendentibus, excitari, & fieri possit. quæ supradictis repercutientib. oxyrhodinis, capite de dolore capitis præscriptis, ab initio curatur; præcipue tamẽ sectione venæ humeralis, si uires constant; & materia cũ cõpetentibus eisdẽ sufferentib. educta. à quibus expletis euacuationibus, cũ uentosis in tibiarum parte carnosa, hyrudinibusq; ano affixis, frictionibus, & ligaturis reuulsionẽ moliemur, vti pro materiæ cõiunctæ eradicatione, si narib. dictæ hyrudines affigẽtur, & uena frõtis incidetur, salutare admodũ putamus. fot° quoq; cũ gallo, catulo, & pipione, per mediũ scissis, statimq; sup. coronalẽ suturã applicitis, ad eandẽ intentionẽ non uulgare auxiliũ cẽsetur. Hæc aũt temere & indiscriminatim admouenda nõ sunt. si enim nõ remissa inflammatione applicarentur, nedũ iuuarent, sed magis ac melius in vitæ discrimine ægrotantes ponere, adaucta inflammatione perbelle possent: idem quoque de fotib. dicendum est, qui si expediret cum sequentibus parantur.

℞. Chamęmillæ.
Ros. rub.
Betonicæ.
Pulegij. } an. m. i.

S. lini.
Fœnugræci. } an. ℥. i. s.

Bulliant in s. q. aquæ. s. ar. decocto spõgiæ madefiant, & cõmissuræ coronali cal. applicentur. quod si loco spongiæ pulmonibus castrati, uel arietis, vti libuerit, patientem validius iuuabis.

Vti pro materiæ repercussione ĩ phrenitidis initio præter oxyrhodina in capite de dolore capitis recensita, pro somni etiam conciliatione, quod sequitur mirifice prodesse poterit.

℞. Aquæ hordei.	℔. ij.
Violarum.	m. i.
Cort. papaueris albi.	℥. i.
Radicis mandragoræ. }	an. ℥. s.
Succi lactucę. }	

Bul-

Bulliant s.ar. ad bonam coctionem. coletur, & ingredientia exprimantur. expressionique adde,

Ol. violati.
Ros. } an. ℥. iii.
Acet. ℥. ii.

Misce pro oxyrhodino; quòd instantibus uigiliis, vt dictum est applicentur: extra verò dictam necessitatem, non temerè ex vsu existat, ne phrenesi, subeth, & letarghus, ob spirituum & materię incrassationem sequatur. animaduertendo, quòd stante catarrho, & capitis grauedine, ex Auicennæ prima quarti tract. 2. cap. 10. testimonio, exyrhodina applicari non debent, ne repercussa materia, pectus petens, præfocationem causet; aut grauedo in capite à vaporum, & materiæ incrassatione augeatur; & apostema causetur. Modo de vigiliis dicamus.

De vigiliarum remotione. Cap. XX.

IN vigiliarum excessu crura manusq; vincire, hora maxime somno consueta; genasq; aperire ad defatigationē vsq; & claudere, Pauli decreto lib. 2. cap. 42. præcipimus. extemplo inde vinculis solutis, lucernaq; sublata, altū silentiū mandamus, vt quiescere patiens possit. Quibus si uigiliæ non cesserint, facies ex capitū papaueris, & anethi decocto, í accessionis remissione abluenda erit, odoramentū quoq; ex Aetii testimonio lib. 1. secūdi tetrabili cap. 116. maxime cōmēdatur, quod hoc modo paratur.

℞. Papaueris albi calycum tostorum.
Cort. radicis mandragoræ. } an. ℥. s.

Terantur, & cum vino & aqua rosacea an. q. s. bulliant, spongiamque eis imbutam naribus admoueto, olfaciendamve exhibeto. vnguento etiam somnifero sequenti ordine vtitor.

℞. Vnguenti populeonis. ℥. i.
Opii. gran. vi.

Misce, & ex eo vngantur tempora, nares, volæ manuū, & pedū hora somni. lotiones quoq; in casu ex sequentibus summopere laudantur.

℞. Foliorum vitis.
Salicis. } an. m. iiii.

Violarum. } an. m. ii.
Lactucæ.
Capitum papaueris albi. ℥. i. s.
Radicum mandragoræ. ℥. s.
Chamæmillæ. } an. m. i. s.
Anethi.

Bulliant in s.q. aquæ & fiant lotiones à cubitis ad manus, & à genibus ad pedes calidæ hora somni, & hęc ab extra. ab intra verò syrupus de papauere cum aqua lactucæ, & uiolarum, communiter in vsu sub hac forma existit.

℞. Sy. de papauere. ℥. i. s. vel ii.
Aquæ lactucæ. ℥. iii. uel iiii.

Misce. capiat hora somni, in quo syrupo, loco aquæ lactucæ, non desunt qui aquam uiolatam ponant, sunt qui libentius dẽpta aqua, ad tria, uel quatuor coclearia dictũ syrupum deuorẽt. Ad eandem intentionem seminis papaueris albi emulsio, & lac in cõtuso, uel in hordeato positum prodest, uti brodia cum lactucis alterata, utilia erunt. facit insuper ad somni conciliationẽ Nicolai requies, & si non desint, qui ipsam malam requiem appellent. Confectio quoq; diacur, diacodion vulgo dicta, in tabellis parata, & placidum, & salutare somniferum est, quæ ad quantitatẽ unciæ exhibetur. Cæterum dicta omnia, & præcipue ualidiora stante grauedine capitis, & eiusdem dolore à materia pendente, similiter, & virium debilitate, maxima cum cautela administranda erunt, ne uigiliis cataphora aut subet, succedat. hoc vnum moneo, quòd somnifera omnia post cœnam exhibenda sunt. Nunc de somni profunditate dicamus.

Somni profunditas tollitur. Cap. XXI.



Omni profunditatem prima quarti tract. 2. cap. 18 cum fabulis, & cantilenis Auicẽnas arcet, & tollit, quæ non debẽt esse longę, sed animum ad gaudiũ iram, & audaciã moueant. Qui effectus, caloris ad extra reuocationis, & consequutionis ordine, vigilię causa existunt. Somnus enim à caloris ad intra retractione causatur. futurorum quoque malorum timorosa narratio, somnum arcere solet: Qui met cum extremorum dolorosis li-

ſis ligaturis,ex Auicennæ,loco citato,decreto;ſimiliter cum cly ſteribus & ſuppoſitoriis acrionibus; nec non cum ventoſarum in ſpatulis affixione fugatur, quæ perdurante morbo,Pauli etiã teſtimonio,in acceſſionis remiſſione admouentur. quibus ſi ma lum non ceſſerit,veſicatoria in brachijs,& tibiis, in parte exteriori,& carnoſa,vel circum circa ſex digitorum latitudine; mul tum ad excitationem valent. Quo tempore, capite prius de raſo,in commiſſura coronali,cum gallo,vel lactante çatulo, per poſteriora diuiſis fotus fiant. ad quam intentionem ſpongiæ, vel arietis pulmones in ſequenti decocto madefactæ, & corona li ſuturæ applicitæ ſummopere laudantur. decoctum ſic paratur.

℞.Chamemillæ.
Meliloti.
Betonicæ.
Thymi.
Baccaræ.
Stœcados.
Verbenæ. } an. m. .
Seminis lini.
Fœnu græci. } an. ℥. j.

Bulliant in s.q.aquæ s. ar. in quo decocto ſpongiæ balneatæ & expreſſæ,(vt dictum eſt)vſui eſſe poſſunt.ſuper omnia tamen, ſi venter ueruecis,aut mutoni aperiatur.caput verò patiẽtis, ad caloris remotionem intus locetur, mirifice diſcutit, & liquatas materias reſoluit.quibus non proficientibus ſinapiſmata,veſica toria, & cauteria,capiti applicata vltima ſunt. ſinapiſma ſequenti ordine paratur.

℞.Ficuum ſiccarum.
Paſſularum. } an. ℥. iii.

Piſtentur ad formam vnguenti & adde

℞.Sinapis. ℥. s.
Euphorbii.
Caſtorei. } an. ʒ. i.
Stercoris columbini. ʒ. ii.

Pulnerizentur omnia ſubtiliſſime,& cum ficubus, & paſſulis ſupradictis miſceantur.quibus adde

℞.Aceti albi. ℥. iiii.

Misce fiat emplastrum & deraso capiti ad modum capillaris, vel cuffiæ calidum applicetur, & per horas 24. vel ad minus duodecim permanere permittatur. Vesicatorium verò ita fieri consueuit.

℞. Medullę fermenti ueteris. ℔. s.
Cantharidarum. ℥. s.

Misceantur insimul cum pauco aceti acris, & de dicta pasta fiat offella supra quam puluis cantharidarum, & paruum dicti aceti acris aspergatur: coronali applicetur, & per horas duodecim permanere permittatur. Animaduertendo, quod dicta resoluentia & caput calefacientia, indiscriminatim applicanda non sunt. Vnde, vt congruum tempus dicta applicandi, melius innotescat, an cum cataphora, & subet, linguæ ariditas associetur, non inepte prospicere operæprecium erit. quod si adest, cum placidis resoluentibus, & calefacientibus procedatur. si non aderit, sed loco eius saliua successerit, validiora calorifica, & resoluentia, uerenda non sunt. linguæ enim ariditas, in inferioribus cauma esse, & ignem vigere ostendit; qui à calidioribus capiti applicitis, augeri facile posset. quare tunc temporis mors summopere verenda est. Cęterum alimentorum materia incisoria, & discutiẽdi facultate prædita, ex Pauli testimonio esse debet. Vnde aceto sa omnia, & quæ subtilium partium sunt, in casu laudantur. Modo de siti, quæ in istis febribus patientes cruciare maxime solet, dicamus.

Sitis pro posse extinguitur. Cap. XXII.



CVM sitis causa duplex sit, Aetij lib. primo 2. tetrabili. cap. 19. testimonio, humiditatis nempe inopia, & caliditatis redundantia; in febribus ambæ affligunt: caliditas enim in his multa est, & siccitas ei succedit, ex humiditate multa ob febris violentiam consumpta, verum, quia bibere, tutum semper non est, quandoquidem tempora, & potus mensuram, decernere oportet: quomodo sitis lenienda sit, scire debemus: intempestiuus enim potus nedum sitim tollit, sed ipsam potius auget. vt in principijs accessionum spectare licet, in quibus interna materia sitim intendit. vnde datus potus, à materiæ multitudine superatur, & calor increscit;

quo

quo tempore ſitis cum infra ſcribendis mitiganda erit: & primò cum his, ſuper quibus anhelamus, ipſam remouere quæramus, vt ſuper aquam, frigidam, qui modus in ſiti, ſuperfluam cerebri, & membrorum ſpiritualium calefactionem ſequente, ab Herculano commendatur. ad eandem intentionem, tum ſimplicia, tum compoſita varia, in ore retenta proſunt. ſimplicia ſunt, anguriæ, cucumeris, & cucurbitæ fruſtulum, lactucæque cauliculus, tamarindi, pruna, ſebeſten, amarena, ceraſa, & criſtallus, quæ dicto modo uſurpata, vti inter compoſita ex Dioſcoridis decreto ſequentia, laudantur.

℞. S. Cucumeris. ℥. i.
Tragacanthæ. ℥. s.

Tragacantham tritam, & cribratam, ouorum recentium candido crudo dilue, & ex contritis catapotia efformato, ad umbrā ſiccato, & vnum ſub lingua teneto, & qui diſſoluitur liquor abſorbeatur, valet etiam hoc quod ſequitur.

℞. Muccilag. s. pſyllii.
Mucc. citoniorum. } an. ℥. i.
Zuccari candidi. ℥. s.
Vini granatorum. ℥. i.

Miſce. intingantur in eo petiæ duplicatæ, & una in ore teneatur, & crebrius immutetur. Lotiones quoque oris, & gargariſmata non vituperantur, quæ hoc modo parantur.

℞. Aquæ ordei ℔. i.
Vini granatorum. ℥. ii.

Miſce pro lotione oris, in quo, vini granatorum loco aceti vnciam ponere poteris, & cum eo gargariſmata facere, quæ gargariſmata in ſiti valida, ſicci capitis diſpoſitiones ſequente mirifice laudantur. In quo caſu, Paulus lib. 2. cap. 53. irrigationes ex gelidiſſimo oleo, præſertim roſaceo, torrentis modo, cum ſtrepitu capiti factas imperat. Vigiliæ quoque ſiti ſuccurrunt, ad exteriora caliditatem expandendo. non deſunt qui ſomnum magis probent, cum humiditatem in corporibus inducat. Cæterum potus interdum eſt neceſſarius, pręcipue ſi à calida & ſicca intēperie ortum ſitis habuerit, ne loco potabilis humiditatis, humidum ſubſtantificum à dicta intemperie conſumatur. Qui potus congruo tempore exhiberi debet. in principiis enim acceſſionū exhibitus vt 4. acut. 40. tex. habetur, maxime nocet, exemplo nā-

que eorum, quibus pedes in acceſſionum initiis infrigeſcunt dicta confirmat, in quibus ad intima calor retrahitur, vt magis ſupra exhibitum potum augeri, quàm ab ipſo minui, & euinci poſſit. At poſtquàm calor ad pedes deſcenderit; reddito lotio propinatus, nedum obeſt, ſed mirifice prodeſt, eiuſdem Hippocratis loco citato teſtimonio. quo tempore ſorbitionem etiam præbet. quem potum quandoque actu frigidum, aliquando actu calidũ, ſed potentia frigidum, exhibet Herculanus: nos ſemper frigidũ, actu, & potentia, (ſuppoſita cauſa) laudamus. Cæterum potus ſit aqua hordei, cum uino granatorum, vel cum iuleb violato vel ſyrupo de acredine citri mixta. valet & aqua cocta cum ſeminibus: ſimiliter & aqua, in qua aurum multoties extinctum ſit; & alia, quæ ſupra dum de potu egimus, recenſita fuere. qui potus in pauca quantitate eſſe non debet, nec repẽtina ingluuie deglutitus. paucus enim magis inflãmat, & ita deglutitus nõ penetrat. Modo de linguæ ſcabritie agamus.

Scabrities linguæ curatur. Cap. XXIII.



SI lingua ſalebroſa, ſcabreſcit, præter dicta ſuperius, dum de ſiti agebamus, quæ & hic omnia adaptari poterunt; quare capita hæc alternatim legantur; lini ſeminis decocto, ore detento, ſcabrities tollatur, cui ſi mixa addentur, efficacius operari decoctum poterit, in quo digito infecto, & lingua ex digito confricata, aqua limpida abluatur, aut ſpongia abſtergatur, deinde roſaceo illiniatur: verum roſaceum ipſum, melle temperatum, id validius præſtat. ſuccus item portulacæ in ore detentus, & rhus qui in obſoniis vſum habet, mulſa temperatus, probe ſuccurrit. Sal inſuper indicum, quod calore, & ſubſtantia à communi non diſſidet; ſapore vero mellitum eſt, lentis inſtar, vel ad ſummum fabæ quantitate comeſtum, Archigenes affatim humectare affirmat. Cæterum hiante ore ægrotantes manere, & ſupini iacere non debent, ſed in latus. hiatus enim, & ſupina dormitio, ſiccum reddit. ſternutationes denique accerſitæ linguas Paul. libr. ſecundo, cap. 54. decreto, quouis largius humectant. Modo de nigredine eius dicamus.

Nigredo linguæ tollitur. Cap. XXIIII.

LInguam variis coloribus mutari,& infici, ſecundum varios humores in corpore prædominantes,conſcripta oratione Hippocratus 6. de morb. vulg. ſectione 5.tex.14.oſtẽdit,linguæ virides bilioſę, bilioſum autem à pingui,rubeæ vero à ſanguine,nigræ ab atra bile,aridæ à fuliginoſa exuſtione,& ab vterino membro , albidæ vero à pituita;grãdioribus,etenim venis prædita eſt lingua, & inani ſubſtantia ſpongiam referens, aliis duris denſiſque particulis paratior,vt ſeroſos humores intra ſe admittat, ab illiſque colores inſtar lanarum ſuſcipiat. quare ſi nigredo vna cum ſcabritie iũcta fuerit,ea quantocius fieri poteſt,Auicennæ etiam prima 4.tract. 2.cap.28.decreto,amouenda erit,ne ab ea mali, capnoſiq; vapores ad caput eleuati,ſyrſen cauſa exiſtant. Quæ nigredo pręter cauſam iam dictam,malignam nempe capnoſamve exhalationẽ, à putri materia eleuatam, ab urente etiam febre aſſationem perpetiente originem ducit,quæ lingue inhærentes, guſtus corruptionem inducunt : vti ad caput eleuati ſyrſen uel paraphrenesis,cauſa eſſe poſſunt. Cæterum linguæ nigredo,ab his, qui mãduntur,interdum efficitur,& tunc cætera iam dicta ſigna nõ correſpondẽt,ſed mitiora iuncta apparent. Quę morbida linguæ nigredo,cum his,quę ipſam abſtergũt,& cũ his,quæ ab ea ſcabioſitatem,ſitimq; tollere poterũt,perbelle arcetur;pcipue ſi cũ aqua zuccarata abluatur,& poſt eius cum dicta aqua ablutionẽ,cũ cocleari vel alio ad hoc congruo inſtrumento,lingua placide tamẽ radatur,& à ſordibus nigredineq; mundetur, & abſtergatur,etſi eius cauſam amputare , materiam ad contrarium alterando, & educendo, membraque corroborando,congruentius eſſet. Modo de deiectione appetitus agamus.

De deiectione appetitus in eis. Cap. XXV.

INter cętera familiariſſima ſymptomata,quæ morbũ ſociare ſolent, appetitus deiectio vnum eſt , quod ſymptoma duplicẽ cauſam habet , ſimplicẽ nempe intemperiẽ,aliquãdo etiam cũ materia, alteram vero oris ventriculi ſenſus inopiam , quam ex ſorde circa illã parte

impoſita,

imposita,à continuis euaporationibus, à lenta, viscida, necnon spumosa materia, eleuatis, (vt in olla contingit) oriri credendum est; cum non secus, sed magis ventriculo quàm linguæ accidat; cum agẽs omne, prius in propinquum agat, quàm in remotum: in qua ab eisdem vaporibus sordes genita, eius temperiem corrumpendo, & ferè obruendo, sensum minuit, atque deprauat. similiter, titillatio quæ à ventriculi sensu fieri consueuit, propter dictum impedimentum non fit, etiam quod sitim sentiant patientes; quam sensationem à minori, debilioriq; sensu fieri, putandum est. hinc, etsi sitiant, non propterea appetunt; sed contrario modo sempiternam nauseam possident. natura enim, quod ibi superfluum est, & inimicum, semper expellere tentat, & conatur: quæ nausea à materia in ventriculo contenta, prouenire etiam potest. quare si materia in ventriculo existens, & naturam molestans, nauseam fecerit, vomitu tollatur ponendo, vt docet Auic. prima quarti tracta. 2. cap. 26. digitos in guttur, ad stomachi commotionem, præcipuè in æstate, quo tempore melius, & facilius per superiora, vt 4. aphor. 4. docuit Hippocrates, quàm per inferiora curatio molietur, etsi quandoque per secessum Auic. & Paul. decreto, educenda materia sit. quod si digiti immissione vomere non valerent, cum alijs, quæ capite proprio de vomitus prouocatione, dicta sunt, vomitus prouocetur. Cæterum quia dictũ est à sorde in ore ventriculi existente, quandoque appetitum deijci, ea quæ abstergunt, incidunt, & emundant exhibita salutaria erunt: quæ si vnà appetitum suscitabunt, & intemperiem emendandi, corrigendiq;, rursus prauæ qualitati obsistendi, potestatem habebunt, meliora censentur: inter quæ acetum cum zuccaro, succus limonum, citrorum, aranciorum, eodem modo paratorum, proprij existunt: cum quibus syrupus ros. simplex, vel aliquid mellis ros. zuccarini, immisceri poterit. valet & aqua hordei, ex hordeo non mundo confecta; sed magis hordeatum. quæ omnia paulatine, & lambendo deglutiri debent, vt abstergere, & emundare locum commodè possint. Verùm quoniam aliquando appetitus deiectionem tantum ab intemperie fieri posse, supra dictum fuit, quæ intemperies, quia calida est in casu, cum frigidis, quæ tamen corroborandi confortandiq; facultatem possideant, tollatur; hæc autem intus sumpta, & exterius applicita, vt Herculanus in textus supra citati expositio-

positione affirmauit, maximè prosunt. quare ab eodem quod intus sumitur, sequenti ordine paratur.

℞. Succi citoniorum.
Mellis despumati. } an. ℥. iii.
Aceti optimi. ℥. ij.

Coquantur cum facilitate, spuma auferatur, de quo patiens ante cibi assumptionem, per horam ad minus, duo coclearia capiat. ad eandem intentionem, Auic. piscium oxizonium, Gelatinam, vulgo appellatam commendat: Nos magis ex pectore, & alis capi laudamus. Fugaces insuper fructus, qui non facilè acescunt, nec nimium dulces existunt, non integre maturos, similiter cappares, oliuas conditas, & salsamenta Paulus lib. 2. capite 45. non prohibet. totius etiam corporis mediocres frictiones, eodem citato loco præscribit; Ab extra verò præter dictas frictiones, inūctio, fotus, & emplastri vsus, eis summopere prodest. linimentum sequenti ordine paratur.

℞. Ol. de citonijs.
Rosati.
Masticini. } an. ℥. s.
Pul. rosſ. rub. ʒ. i.

Misce pro linimento stomachi, quo per horam ante cibum calido liniatur. Quod si ab eius applicatione ventriculus non iuuaretur fotu scribendo foueatur, qui.

℞. Mirtillorum.
Rosſ. rub.
Florum Lambrucę. } an. m. ii.
Pomorum citoniorum in frusta redactorum. nu. 2.

Bulliant in s. q. aquæ, & cyatho vini rubei, s. art. in quo filtrū, vel spongiæ imbibātur, exprimātur, & supra ventriculū adaptentu; si magnū cauma, & incendiū sentitur, frigido; sin minus calido. quib. decies immutatis, supradicto linimēto, stomachus liniatur, quibus nō proficiētibus ad emplastri vsum accedatur. quod.

℞. Pulpæ citoniorum coctorum. ℔. s.
Pul. mirtillorum.
Rosſ. rub. } an. ʒ. i.
Masticis. ʒ. s.
Ol. mirtini.
Masticini. } an ʒ. vi.

Misce

Misce pro emplastro, & vt dictum est applicetur; vel factis fotibus, vel per se, vt necessitas magis requiret. Cæterum dicta localia in morbi etiam initio Paul. decreto lib. 2. capite 50. applicanda erunt. Odores quoque boni, vt Auicennæ loco citato placuit, in casu optimi sunt, hoc vel maximè si ob virium imbecillitatem inappetentia prouenit, quam spiritus recreando & reficiendo odores arcent, & tollunt. vnde, cum his, quæ multum nutriunt, odora immiscenda erant. Et sit completus sit sermo de deiectione appetitus. Modo de vomitu dicamus.

Vomitus si in istis febribus excesserit quibus remoueatur. Cap. XXVI.



OMITVM interdum ob humorum in ventriculo præsentiam, digitis, vel penna ciendum esse capite superiori monstrauimus. verum enimuero, quia, multoties ob humorum multitudinem, vel eorum acredinem, aut prauam aliquam, & venenatam qualitatem, facultatem expultricem irritantem, adeo vomitus exuberat, & superfluit, vt in symptomatum numero adscribi queat; ea propter fræno indigeat, & remotione; hac de re quomodo, & quo tempore, compesci debeat, doceamus. Vnde quo ad ab eo natura non læditur, permittatur; lædens verò ex Pauli etiam lib. 2. cap. 56. testimonio, moderetur, & compescatur. Cum quibus autem id præstari possit, Idem Paulus sequentibus verbis demonstrauit. His qui vomitu bilem eiiciunt, catapalsma ex palmulis malicorio, gallaq; , vino decoctis, aut posca panibus simul leuigatis, applicandum est. Acatia quoque, & hypocistis, & balaustium, & rhus cataplasmati admiscendum. & cucurbitula cum flamma multa apposita magnifice iuuat. quod sequitur etiam summe prodest.

℞. Empl. de crusta panis. ℥. iiii.
Ol. myrtini, vel ros. ℥. i. s.

Misce, & cal. in regione stomachi applicetur. Cui intentioni, quæ capite superiori dicta fuere, & potus, & emplastra egregie opitulantur, & fauent. quibus si symptoma nō cesserit, cerotum sequenti ordine paretur.

℞. Cerot.

℞. Cerot. de maſtice. q. s.

Et ventriculo applicetur. quod alio ordine parari poterit.

℞ Pul. mirtillorum.

Roſ. rub.
Balauſtiorum. } an. ʒ. iii.
Hypociſtidos.
Corallorum rub. ʒ. i.
Maſticis. ʒ. ii.

Cum reſina, terebintina, & oleo roſato fiat cerotum s. ar. & ſuper corio expanſum, ſtomacho applicetur. Cæterum quia ſæpe contingit, vt atram bilem patientes euomant, quem vomitum in morborum initiis perniciosum eſſe. 4. aphor. 22. ſtatuit Hippocrates, ſuccedente verò tempore non ſic, eodem loco docuit Galenus; cum natura regulante fieri interdum poſſit. Verum nos, de ſymptomatico ſermonem habentes, cum Paulo loco ſupra citato, ſic agendum putamus. quòd ſi qui bilem atram vomunt, & ſtomachi inflationem experiuntur, his ſpongię aceto acerrimo calidoq; imbutæ, ventriculo ſuperponantur. vel hederæ folia vino elixa, cataplaſmatis inſtar applicetur cibus denique parum, & ſæpe exhibeatur, partiumq; præcipuè infernarum frictiones iniungantur. & hæc tanta de vomitu dicta ſint ſatis. Modo de deiectionibus dicamus.

Fluxus ventris, qui accidit eis, curatur. Cap. XXVII.

ETSI de fluxu ventris, non tamen de omni fluxu agere, nobis in animo eſt, ſed de eo dumtaxat, quem doctores liquatiuum appellãt: vt potè, qui frequentior in febre hac reperiatur. quod Galenus 8. de comp. med. localium cap. 7. conſcripta oratione confirmauit. Calida igitur intemperie circa viſcus exiſtente, colliquationes fiunt, primo humorum, deinde etiam carnis ipſius hepatis, & vacuatur per ventrem bilis craſſa graue olens, & abundè colorata. Et ſubdit, quemadmodum in peſtilentibus contingit. quo loco, cauſarum, ſignorumq; ſcientiam, ſtudioſi habere poterunt. decimo quoque Meth. cap. vltimo, ponens diſcrimen inter maraſmodes

febres,

febres,& malignas liquantes, sic ait. in febre marasmode, quod liquatur in halitum conuertitur; quod verò in malignis liquatur, defluit in ventrem, & fluxum parit. vbi exemplum de carnibus, quæ in craticulis torrentur, affert: ppea. 3. acut. com. 14. liquatiuas deiectiones, flammantis, in hypochõdriis ipsis affectionis symptoma esse, affirmauit. & 4. acut. com. 112. colliquationem in eo fieri assumpta contabefactaq; propter morosam febrem, vel pinguedine, vel molli carne. Cuius curationem. 10. meth. loco citato docuit Gal. vbi frigidã exhibet, & quæ refrigerant, & humectant pro nutrimento prębet. Quam doctrinam Aetius primo lib. 2. tetrabili cap. 90. sequutus, sic habet. Clarum est, quod extinctoriis modulis vtimur, & valide frigidã aquam potandam exhibemus, cataplasmatave, & epithemata frigefacientia, thoraci, & præcordiis imponimus, & cibos refrigerantes & humectantes damus, vbi dictæ colliquationis signa haberi possunt. hæc Aetius, quæ omnia ferè ad verbum à Paul. lib. 2. cap. 91. accepit. Nos autem proximius medicamenta parantes, præter dicta superius, dum de syncope verba fecimus, in quo loco epithemata cordialia descripsimus, & pectori congruo refrigerio subuenimus; hepar in casu, sequenti epithemate refrigerandum esse putamus.

℞. Succi Cicorij. ℔. iii.
Acet. ros.
Aquæ Rosæ. } an. lib. s.
Spec. tria Sandalorum sine Rhabarbaro. ℥. i.
Ros. rub. m. i.
Camphoræ. ʒ. i.

Misce pro epithemate hepatis frigido, quæ vel cum spongiis, vel cũ filtro decies in dicto liquore intinctis, & hepati applicitis, & immutatis fiant. postea linimento infrascripto hepar liniatur.

℞. Ceroti Sandalini. ℥. ii.
Ol. de spica. ʒ. s.

Misce pro linimento hepatis frigido, & hoc in magno visceris incendio. at si tantum incendium in hepate non reperietur, cum hoc quod sequitur, epithema fiat.

℞. Aquarum Cicoreæ. lib. iii.
Ace. ros.
Succi absinthii, vel aquæ eius. } an lib. s.

Spet.

Spe. tria ſandalorum ſimp. ℥. i.
Roſ. rub.
Comarum abſynthii. } an. m. s.

Miſce pro Epithemathe hepatis tepido, quod modo dicto applicetur. & dicenda vnctione liniatur.

℞. Ceroti Sandalini. ℥. i. s.
Ol. de ſpica. ℥. s.

Miſce pro linimento hepatis tepido, quæ ante cibum hora quietiori applicata conueniunt, vti purgato corpore, fluxu liquatiuo non moleſtante, ne gregales Medicos imitemur, vt 2. Meth. 15. & præſertim. 16. capitibus, docuit Gal. in quo loco, quæ, quomodo, & quando adminiſtranda ſint, videre licet. quorum Epithematum quanta ſit vtilitas, ex Auic. prima 4. tract. 2. cap. x. clarè habetur, dicente embrochationem cum infrigidantibus hepar, rem eſſe maximi iuuamenti, propter æquationem temperaturæ ipſius, & hæc ab extra. Ab intra verò, præter victum refrigerantem iam dictum, tabellæ, ex ſpeciebus tria ſandalorum confectæ, ſimiliter decoctum ſandalorum citrinorũ, vel rubeorum magnifice prodeſt, quod decoctum ſequenti ordine paratur.

℞. Sandalorum citrinorum, vel rubeorum raſpatorum. ℥. ii.
Laccæ ablutæ. ℥. s.
Aquæ fontis. lib xii.

Infundantur per horas viginti quatuor, deinde bulliant ad conſumptionem medietatis, & hæc pro potu in prandio, & cœna, vel per ſe, vel cum vino granatorum, acredine citri, de ribes, de citoniis, & ſimilibus mixto. Zuccarum quoque è floribus cicoreæ, e ninfea, de foliis acetoſæ & roſatum prodeſt. Cæterum, quia materia acris, mordax, & venenata exiſtit, quæ pungendo, vel inteſtina abradendo, & excoriando dolores excitare poſſet, ſequentia Clyſteria, vt pote quæ inteſtina abluere, inueſtire, & humoris acutiem remittere poſſunt, maximè proficua cēlentur. fiunt autem hoc modo.

℞. Capitis caſtrati in aqua hordei integre cocti. nu. i.
Item. ℞. prædicti brodii. lib. i. s.
Zuccari rub. ℥. ii.
Vitelli ouorum. num. ij.

Miſce pro clyſtere. ſit autem brodium abſque ſale. Vel paretur ſic.

℞. Aqua

℞. Aquæ hordei cum quo decocta sint frusta cucurbitæ. ℔.i.s.
Zuccari rub. ℥.ii.
Vitelli ouorum. nu.ii.
Ol.rof.omphacini ℥.iii.
Misce pro clystere vt supra. quod si dolores iam dicti non cesserint, sequenti ordine, clystere paretur.

℞. Hordei. m.iiij.
Capitum papauer. ℥.s.
Lactucæ. m.i.
Bulliant in s.q.aquæ.s.ar.ad bonam coctionem.

℞. prædicti decocti. lib.i.s.
Zuccari rub. ℥.ii.
Vitelli ouorum. nu.ii.
Misce pro lauatiuo, vt supra. cui decocto apud necessitatem solanum, cucurbita, & semperuiuum, cum chamęmilla, & anetho, addi, poterunt. Verum si excoriata essent intestina, cura dysenteriæ curentur, & tunc decoctis prædictis, cauda equinal, ymphitum, rosæ, mirti, & similia addantur. In quo casu talis fotus paretur.

℞. mirtillorum.
Rof.rub.
Consolidæ.
Summitatum rubi.
Chamæmillæ.
Anethi. } an. m. s.
Bulliant in.s.q.aquæ.sec.ar. & fiant fotus cum spongijs in regione ani, & ventris inferioris. quæ astringentia, vsui esse non debent, quo ad natura ferre potest, & imbecillior reddita non sit. quo tempore præter fotum iam dictum venter inferior sequenti linimento liniatur.

℞. Empl. diaphoniconis.
Ol.masticini. } an. ℥.i.s.
Misce pro linimento ventris inferioris calido. In quo casu corralli, cornu cerui ambo præparati, & terra Lemnia insimul mixti, summopere commendantur. qui pulueres per se, vel cum zuccaro rof. aut miua citoniorum sine spetiebus, similiter conserua corneolorum, & sorbarum mixtæ, & sequenti ordine exhibitæ prosunt.

℞. Pul.

℞. Pul. corallorum rub.
Margaritarum.
Cornu cerui. } omnium præparatorum. an. ℥. s.
Terræ Lemniæ. ℥. i.
Zuccari rof. ℥. iij.
Miuæ citoniorum. q. s. misce pro mixtura. capiat ad formam grossæ castaneæ per tres horas ante cibum. Cæterum clysteria dicta ante cibum, tàm de mane, quàm de sero apud necessitatem fieri poterunt. Modo de singultu dicamus.

Singultus ortus, & amotio. Cap. XXVIII.



ETSI singultus tractatio, deiectionis liquatiuæ tractationem præcedere debuisset, quia tamen am bo ab eadem causa interdum excitari solent, & ab inanitione factus singultus, ad dictas deiectiones, sequitur; de eo propterea in præsenti capite tractare distulimus. Qui Galeno etiam teste. 4. acut. com. 69. sunt motiones quædam stomachi conuulsoriæ, quas propter immoderatam, vel inanitionem, vel repletionem fieri Hippocrates 6. aphor. 39. docuit. quæ si propter inanitionem fiunt, ferè sanationem non recipiunt; si verò ob repletionem, ab his quę infarctas materias secant medicamentis, absterguntq́; sanantur; & præcipuè vomitu, euacuationeq; Pauli etiam decreto lib. 2. cap. 57. Dictis adde, quod & per consensum fieri singultus potest, Hippocrate 7. aphor. 27. sequenti oratione dictum confirmante. propter iecoris inflammationem singultus malum. quæ verba Galenus exponens sic habet, iam supra etiam dixi, his omnibus consequenter scriptis aphorismis, de his symptomatibus agere Hippocratem; quæ morbis ipsis acutis, & ingrauescentibus superueniunt. & subdit, Quo sanè modo nunc singultus quoque ob iecoris inflammationem fieri dicitur, non quidem semper, neque quouis modo affecti, sed cum feruente inflammatione, in magnitudinem attollitur, per quem feruorem in sympathiam, & malum consensum stomachus venit, communium nonnunquam neruorum ratione, q[illegible] vt ipse. 2. epidemiorum docuit, perexigui sunt, & perminuti: vnde tunc solum iecoris fit, cum stomacho affectionis commutatio, postquàm inflammatio maxima, & pes-

ſima euaſerit. Quin etiam, quia per huiuſmodi viſceris inflammationem, bilis admodum calida & copioſa generatur, & confluit in principium inteſtinorum, inde ipſa in ventriculum euadente, & innatante, vt ſtomachus vellicetur, & ſingultiat, accidit. Quidam verò inflammationis magnitudinem, quia ventriculum premat, ſingultum facere arbitrantur, ſpiritum quemadmodum inquiunt, exitum non habente. Ex dictis colligere eſt, ex repletione, & inanitione, ſimiliter & per conſenſum, ſingultum fieri, quæ vti varia ſunt, variam quoque curationem expoſtulant. Quare quia ſingultus ex inanitione conuulſioni ex inanitione correſpondet; vti hæc, aut nullã, aut difficillimam recipit curationem, ſic & ſingultus. ſi quæ tamen datur, vt Raſis. 9. ad Almanſorem cap. 65. docuit, aqua calida paulatim, placideq; deglutita curatur. qua morbum non fugante, aqua hordei cum ol. amygd. dulcium mixta, vt ſupra deglutiatur; & ſpondiles colli, dorſiq;, ex eodem oleo tepido inungantur, & fricentur. At ſi ex repletione, vel ex acriorum humorum ventriculum vellicantium præſentia, ſingultus fieret; vomitu, vel euacuatione conuenienti curetur. vti ſi per conſenſum ab hepate, per hepatis curationem ſanatur. quod ordine capite ſuperiori dicto, præter euacuationes competentes, ad temperiem reducatur. Modo de extremarum partium frigiditate dicamus.

Extremarum partium frigiditas remouetur. *Cap.* XXIX.


E extremarum partium frigore, at non de omni earum frigore, ſed de eo dũtaxat, quod ob ſpirituum, & caloris natiui inopiam, vel alicuius viſceris in febribus ardentibus inflammationem, euenire cõſueuit, agere intendimus. de quo Galenus 2. prognoſticorum com. 4. ita ad verbum ſermonem habet. per morbos diutinos potiſſimum hyeme, & ſenibus, non ſolum per incurſiones febriũ, quas nominant adnotationes, ſed etiã, ex intermiſſionibus, nihil mirũ videri debet, extremas corporis partes refrigerari. quippe, quæ carne vacant ex natura, longeq; ſunt à viſceribus poſitæ. Verùm hoc lib. nequaquam agit de morbis diutinis. Et ſubdit. itaq; per

morbos

morbos acutos tales refrigerantur partes, propè dixerim, propter affectionem contrariam illi, quæ per morbos diutinos tale accidens infert. per illos enim, calor natiuus præ debilitate, nequaquam permeat ad extremas corporis partes; in morbis verò acutis, propter inflammationis magnitudinem in visceribus fatigantis, parũ sanguinis in omne permanat corpus, plurimũ verò eius in parte affecta inflammatione includitur; & ob eã rem, mediæ corporis partes, quæ sunt thorax, & venter, admodũ calent. Cæterum à quacunq; dictarũ causarum frigus pendeat, malum semper est, & interdum læthale. hinc. 2. prognosticorum tex. 4. dixit Hippocrates, si caput, manus, ac pedes frigidi sunt, ventre costisq; calentibus, malum est. Quod septima aphor. 26. sequentibus verbis confirmauit. in forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas malum. & 4. aphor. 48. ita sonat oratio. in febribus non intermittentibus, si partes extrinsecæ algent, internæ vruntur, & sitiunt, læthale. Quam sententiam Gal. exponens, ita scriptum reliquit. in exitialibus febribus, & ardentibus, & malignis, vt lypirijs tantum reperitur; necnon quando, aut inflammatio, aut erisypelas viscera fatigat: tunc enim extrema frigescere necessarium erit, ad intima sanguine & cũ eo calore illuc retracto. & septima aphor. primo in explanatione verborum Hippocratis, ait Galenus, quod instar cucurbitæ, vehemens visceris læsi calor, à toto corpore sanguinem trahit: vnde partes extremas algere necessarium est. Cæterum si nusquàm alibi, ob visceris inflammationem, spirituumq; enecationem extremorum frigiditas contingit; in hoc immanissimo morbo contingere, clarissimum est; cum à venenata materia multi vitales spiritus enecentur; & ob cordis, vel contentorum ab eo corruptionem, instar cucurbitæ intro calor trahatur. quare si ob spirituum, & caloris natiui enecationem, extremorum frigus aduenerit; cum his, quæ spiritus conseruant, & reficiunt, vt cum brodiis consumptis, cum contusis, aqua carnis, sortitis, & aliis quæ supra (dum de cibandi ratione verba fecimus) descripsimus, succurratur. quæ etiam cum his, quæ diximus alterentur: At si ex viscerũ inflammatione contingeret, ijs quæ inflammationem tollere possunt, venæ sectione, pharmaco, & ad contrariam qualitatẽ alterantib. & intra, extraq; administratis arceatur. Cæterũ si ob partium ad ventrem pertinentium, vehementem dolorem, extremorum fri-

gus aduenerit, dolor dictarum partium, cum his quæ expediunt remoueatur. sint tamen humorum si qui adsunt, euacuantia, & ad contrariam qualitatē alterātia, flatuumve dissipantia: semper tamen anodina. quib. secundū opportunitatem expletis, etiam refrigeratis partibus, cū debitis auxiliis, ne materia ad mēbra principalia repat, succurratur. inter quæ panni calidi ab Herculano locis refrigeratis appliciti, præcipuè si cum ipsis frictiones fiant, maximè cōmendantur. similiter lateres calidi vino aspersi, item approximatio partium refrigeratarum igni, (si fieri potest) salutaris admodum existit: quæ etiam cum oleo anethino, secūdum ipsum, calido liniantur. Nos magis oleum vulpinum, costinum, de nuce muscata, de croco, & similia cōmēdamus. quib. si parum aquæ ardentis immisceretur, validius calefacerent. Vesica quoq; decocto anethi, chamęmillæ anisorū, & similiū repleta, & partibus refrigeratis admota; ex sententia Herculani prodest. Aetius quoq; lib. 1. 2. tetrabili c. 95. ex Ruffi decreto, calorifica fomenta applicanda esse, vt calor ad corporis superficiem retrahatur, præscribit. quarè sic scriptum reliquit. quibuscunque id fieri potest modis, conandum est, vt calor ex profundo ad extrema ducatur. qui aquam frigidam, ex Auicennę prima quarti decreto, bibere non debent; sed aqua zuccarata calida potanda detur. similiter ad frigidum aer nullo modo, sed potius ad calidum immutetur. cum quibus completus sit sermo curationis frigiditatis extremarum partium. Modo de Carbunculo agamus.

Carbunculi in febribus pestilentibus Curatio. *Cap.* XXX.

INter cætera numerata symptomata, etsi his plura satis in hac febre reperiantur, interdū quędam circa cutim apparentia, diuersa tamen, conspiciuntur. vnde modo papulę, exanthomate vocatæ, modo bubones, & aliquando carbunculi visuntur. dixi (interdum,) quia dictis apparitionibus, hæ febres quādoq; carent. quare primo de carbunculis, secūdo de bubonibus, tertio, de exanthematib. dū 4. lib. de variolis, & morbillis agemus, tractabimus. Carbūculus itaque à carbone nomēclaturā assumpsit. nigredo nāq;, tuberositas, & incēsa rubedo, ipsum comitari solēt: vnde crustosum vlcus est: quæ

Signa

quæ crusta, modo cineris colorem, modo nigriorem præfert: incipit plerunque à pustula; aliquando verò & sine hac. semper tamen circa initia, quibus hoc instat malum, particulam scalpunt omnino; mox pustula quædam oritur; qua rupta vlcus cum crusta gignitur; sæpe verò non vna oritur scalpentibus pustula, sed multæ, exiles, veluti milij semina, crebrę, in particula residentes; quibus perruptis crustosum vlcus succedit: omnibus præterea his circumposita caro, in summam peruenit inflammationem; non tamē colore aspicitur erisypelatis; immo qui adhuc phlegmonis colore sit nigrior, veluti si plusculo rubro, minus nigri immisceas. Hic indiscriminatim in omnibus corporis partibus, prout magis in vno quàm in alio loco materia reperitur, & pars debilior est, erumpere solet. Cuius humor crassus, feruensve, causa existit. vnde 4. acutorum. com. 22. inter flammantes morbos à Galeno reponitur. Quimet 2. ad Glauconem capite primo, sequentibus verbis idem confirmauit. Cum verò sanguis influēs calidus sufficienter extiterit, & crassus; quodcunque membrorum subito occupauerit, illud comburendo, vlcus cum crusta facit; quidquid verò circumiacet, in inflammationem leuat, efferuescentem, grauiterq; dolentem: huiusmodi autem passio Carbo vocatur. postea subdit, cum verò sanguis influens niger extiterit, crassusq;, feculentus, ac feruens, qualis quem antea diximus; simul autem & sanies nonnullas tenues admixtas habuerit; pustulas quasdam per summam cutim excitat, similes his, quæ exiguæ fiunt: quibus disruptis, crustosum vlcus sub ipsis reperitur, hocq; etiam carbo est.

Cæterum quòd immane istud symptoma, cum febre semper, in pestilenti statu existat, ostendit Galenus, eodem decimoquarto meth. cap. supra citato, sic inquiens. in Carbunculis, qui per Asiam populatim grassati sunt, etiam citra pustulas, nonnullis statim excoriata est cutis. & illinc ad parum. quod autem necessario febricitent, qui ita sunt affecti, idq; non minus, immo magis, quàm illi, quibus erisypelatosa est phlegmone, id vtiq; latere neminem potest. quam sententiā primo de diff. febr. c. 3. sequentib. verbis confirmauit. in hisce autem omnibus cōmunicationis ratione febris accenditur, semper enim calefacta proxima pars simul calescit, donec ad cor dispositio pertingat. Cui sententiæ Auic. 3. 4. tracta. primo cap. 9. conscripta oratione

Dubit.

astipulatur. succedit enim malis febribus, vehementis caliditatis, & perniciosis carbunculus. Cæterum quæsitum perdiu est, an febris ex carbunculo, an ex febre carbunculus oriatur. Et quidem ratione. Galenus enim loco citato. 14. meth. habet, quod carbunculis detenti necessario febricitant. vt visus fuerit velle ad carbunculos febres succedere. At 6. de morb. vulg. sect. prima com. 29. contrarium determinauit, dum ait. & quoniam tuberculis febres, à symptomate cognominãtur, probabiliter sanè, à symptomate pestilentes febres denominari, intelligere possumus. est enim re vera, hæc vna febrium species. Et subdit. quod autẽ in ipsa tubercula oriantur, Thucidides testatur ita scribens. & exterius quidem tangenti corpus, neq; valde calidũ erat, neq; viride, sed subrubrũ, liuidum, tuberculis exiguis, & ulceribus efflorescẽs. Vbi apparet, quod dictæ efflorescẽtiæ, tubercula scilicet, & vlcera, febribus successerunt. Auicennas quoq; loco citato dixit. succedit enim malis febribus, vehementis caliditatis, & perniciosis carbunculus. Pro quo diluẽdo quæsito cũ Fernelio lib. 4. c. 18. dicimus ꝙ vna venenata pernicies, vtriusq; causa existit, quę nec tota in carbunculo, nec tota in febre reponenda erit. nam quãdiù carbunculus absq; febre reperitur, quis omne venenum in affecta sede collocabit? licèt enim circumscriptione cum profundis, sed paruis scarificationibus, vel cum igne facta ad affectã partem intus virus subire inhibeatur; non iccirco corpus in tuto fuerit. cum, & ab aere coinquinato, vel ab humoribus veneni naturam possidentibus molestari possit; à quibus carbunculos oriri contingit. Cum igitur huius veneno cor lacessitur, si robustæ sunt vires, veneni quiddam statim in aliquam partem disiicitur; illisq; incrementum sumit, partemq; contaminat: altera veneni portio intus hæret: quæ cum sensim inualuerit, febrem infert pestilentem. Verum si imbecilles erunt vires, incensum intus à causis supradictis venenum, febrem parit. cuius impetu veneni pars per se foras exiliens carbunculum producit. Ad cuius opinionem sequitur, febrem etiam præcedente carbunculo, in statu pestilenti nunquam accidentalem, aut symptomaticam esse. Ficinus verò capite 13. suæ Epidemiæ, sic inquiens, contrarium sentire videtur. Si carbunculus ipsa febre prius oriatur, febris tunc accidẽs erit. Cui opinioni fauet Galenus primo de diff. febr. capite 3. dum ait. in hisce autem omnibus communicationis ra-

Sol.

tione

tione &c. Nos autem vtriusque dictum posse stare affirmamus, pro maiori enim parte Ficini opinionem veram esse dicimus; aliquando tamen aliter posse contingere, cum Galeno, & Fernelio non negamus. Cæterum quicunque eius sit ortus, vel ante febris aduentum, vel post, nullatenus absq; ea tempore præcipuè pestilenti inuenitur. vt doctè docuit Galenus 14. meth. cap. scilicet 10. De præsagio sic tenendum ducimus. si carbunculus fuerit rubeus, vel citrinus, & cito crescit; salutis signa sunt, præcipuè si accidentia non adaugebuntur. E contra verò, si fuerit niger, & accidentia increscent, læthale erit omnino. Similiter si ad febrem carbunculus sequetur, peius erit, quàm si ad carbunculum febris. Modo curationem aggrediamur. Quæ ab incisa vena Galeni & iam. 14. meth. loco citato testimonio, auspicanda erit. quantitas verò sanguinis, si vsquam alibi nedum copiosa, sed vsq; ad animi deliquium; vt idem met imperauit Galenus (nisi sit quod impediat) esse debet. Nos tamen temporibus nostris parcius agendum putamus, & potius, vt reiterato, quàm vt vnica vice hauriatur, consulimus, hoc vel maximè adhuc fluente materia, quod supra capite 9. similiter, & è qua parte mittendus sit, videre licet. Verum non id tantum faciendum; sed purgationem iuxta peccantis humoris naturam, exhibendam esse putamus. In quo sunt qui valentiora tantum commendent, de quibus supra capite 10. ad saturitatem diximus; vti alia quæ venenatam morbi naturam superare possunt exhibenda erunt. Quæ omnia capite xi. large digessimus. Cæterum vniuersalioribus expletis, quæ vt in pestilenti febre cuncta exequenda erunt, sibi laborans particula, quod ad humorum inflammationem spectat, refrigerantia scilicet imponi desiderat. At ob humoris crassitiem, atque etiam malignitatem, fluxionem auertere nunquam poteris. & si quandoque id feceris, aliud quidpiam quod in alto sit corpore offendes. quare nec effluere is permittendus est; quin potius inquirenda remedia sunt, quæ modice reprimendo, etiam digerere possint; tale autem est, quod ex plantagine conficitur; tum quod ex cocta lente; his micam panis in clybano cocti miscendo: esto autem panis, nec omnino à furfure mundus, nec eius nimium habens: si quidem qui omnino purus est, eius substantia in cutis meatibus hærere est apta; furfuraceus verò crassarum est partium. Cæterum super vlcus, Curatio

præcipuè si liberè non exiret, nec in altum prorumperet. non desunt, qui ventosas, hyrudines, & ad minus galli anum depilatum adaptent, quæ omnia à centro ad circumferentiam trahere venenum possunt: ad quam intentionem, aliquod valens medicamentum supra locandum commendant, vt est, Andronis, Pasionis, vel Polydę pastillum. liquari autem cum vino dulci, ad sordium crassitudinem, debebit. in cuius inopia sapa vsurpanda venit. Quæ autem Pharmaca reliquis vlceribus adhiberi solent, nempe quæ concoquunt, & pus mouent; ea nunc adhibenda non erunt. sic enim particulæ putredinem auxeris. Quinimò etiam scarificare huiusmodi tumores, post sanguinis missionem, à recta methodo alienum non est. Sunt autem incisiones mediocribus altiores propter infestantis humoris crassitudinem. quibus præstitis, ex lixiuio in quo lupini, & sal ebullierint, locus lauetur, & abstergatur. Cessante autem inflammatione vleus ad cicatricem, similiter, vt in reliquis vlceribus perduces. hæc ex Galeno. Cæterum quia morbus sæuissimus est, & mitioribus non cædit, validiora propterea medicamenta exposcit, & quæ paulo minus, quàm ignis crustam inducunt: inter quæ, radix ranuculi, vel aristolochiæ ex aceto trita, & imposita, calx, arsenicum, sandaraca, & alia huiusmodi ex Tagaultij lib. primo, capite septimo, decreto commendantur; quæ satis proficere putandum est, si partem sanam ab ægra protinus resoluant. ad quam intentionem sequens medicamentum à Petro de argillata mirificè laudatur; quod.

℞. Calcis viuæ. lib. s.
Arsenici. ℈. i.

Saponis nigri. q. s. ad conficiendum linimentum, & loco patienti applicetur. Gulielmus de Saliceto accensam candelam discolare finit. Valet similiter quod ignis mortuus dicitur. fit ex capitello, ad humidi consumptionem integram ebullito: capitellum vero ex aqua, cinere, & calce conficitur, vt

℞. Calcis viuæ. lib. x.
Cineris quercus. lib. v.

Aquæ. q. s. ad pastam conficiendam, quæ in catino, in eius fundo foramen habente ponantur, per viginti quatuor horas, vel ad minus per duodecim permanere permittito, foramen aperito, & quod exit pro capitello, habeto. quo medicamento vlce-

ris

ris mortificationem procuramus, & crustam super ipsum inducimus. quo tempore, quod in crustam euasit, eximere, & quod corruptum est, radicitus euellere curamus. mortificationis autem signum erit, si vesicæ in parte sana amplius non apparebunt. Quæ si non profecerint, candente ferro carbunculum extirpare oportet. Finis autem adurendi ex Celsi testimonio erit, cum ex omni parte doloris sensus aderit. Mox quæ crustam eximunt, superponenda erunt. quæ autem hæc sint, loco citato Tagaultius docet; inter quæ butyrum recens, & assungia porci; similiter, & sequens emplastrum commendatur, quod prçter id, quod crustam & escaram multo citius quàm prædicta cadere facit, dolorem etiam ab acrioribus, & adurentibus medicamentis, vel à candente ferro excitatum demulcet, & vna malignum succum, qui carbunculum creat potenter discutit. fit autem.

Signu Mortific: carbunculi

℞. Farinæ triticeæ. } an. ℥. iii.
Hordeaceç.

Cum decocto maluarum, violarum, radicum altheæ, & scabiosæ, fiat emplastrum solidum. cui adde.

Butyri recentis. } an. ℥. ii.
Assungię suillæ liquatæ.
Vitelli ouorum num. ij.

Quæ vitella in vltimo, & dum ab igne cætera remouentur ad miscenda erunt. fiat ex omnibus emplastrum, & calidum mane & sero supra locum ad crustæ remotionem applicetur. qua remota vlcus mũdificetur. mũdificatur aũt cũ hoc quod sequitur.

℞. Mellis ros.	℥.ii.
Farinæ hordei.	ʒ.ii.
Salis.	ʒ. i.s.
Succi appiorum.	℥.i.
Vitelli ouorum.	num.i.
Terebinthinæ.	℥.s.

Misce pro vnguento, & ad integram vsque mundificationem continuetur. quo bene mundato aliorum ulcerum more sanato. Cæterum quia supra Pasionis, & Polydæ pastillos cõmendauimus, vt vsui, tempore congruo esse possint, eorum descriptiones ponere non grauabimur, & primo Andronis pastillus sequenti ordine paratur.

Cautio

Andronis

Andronis Trochiscus.

℞. Balaustiorum. ʒ. x.
Aluminis sciſſilis. ℥. s.
Calcanthi. ʒ. xii.
Myrrhæ. ʒ. iiij.
Thuris.
Ariſtolochiæ. } an. ℥. i.
Gallarum.
Salis ammoniaci. ℥. s.
Ex maluatico vino conſtruitur.

Polidæ ſphragis Paſtillus.

℞. Malicorij. ʒ. vj.
Myrrhæ. ʒ. viii.
Aluminis ſciſſilis. ʒ. s.
Thuris. ʒ. iiii.
Calcanthi. ʒ. iij.
Fellis tauri. ʒ. vi.
vino dulci paratur.
In alio paſtillo addit aloem, & balauſtia, & vino auſtero conficit.

Muſæ paſtillus.

℞. Aluminis ſciſſi.
Aloes.
Myrrhæ. } an. ʒ. vi.
Calcanthi.
Croci.
Crocomagmatis. } an. ʒ. iii.
Balauſtiorum. ʒ. iiii.
Mulſo ex Falerno facto piſtatur. Hi ſunt paſtilli ad necandos carbunculos accommodati. Vnum notandum, quòd nunquàm abſque defenſiuo, pars ſana dimittenda erit. quod ex oleo mirtino roſ. aceto, terra Lemnia, & ſanguine draconis, cũ pauca cera albâ conficitur, vt

Cautio (handwritten margin note)

℞. Olei mirtini.
Rosati omphacini, } an. ℥. i. s.
Aceti ros. ʒ vi.
Sang. drac.
Terræ Lemniæ. } an. ʒ. i. s.
Ceræ albæ parum, misce pro defensiuo. Modo de Bubone agamus.

Bubonis pestilentis curatio. Cap. XXXI.

Bubones fieri asserit Galenus 13. meth. cap. v. cum à valetioribus partibus humores ob eorum redundantiam, vel prauam qualitatem, ad debiliores, quæ glandulosæ partes sunt, adenæ vocatæ, expelluntur: aut quando vi propria humores, ob eorum dictas conditiones, ad eas confluunt. hinc Galenus loco citato tumentes adenas, bubones nominauit. Quæ quia rariores natura sunt, fluxiones facillime recipiunt, validius enim est arteriarum, & venarum, & neruorum, & musculorum robur; imbecillius verò, ac forte prorsus nullum, corporum quæ glandularum sunt naturæ, quæ in collo, secus aures, sub axillis, & in guinibus, præter cætera loca reperiuntur; quæ cerebro, cordi, et hepati, vt eorum superfluę materiæ expurgentur, datæ sunt. inde dictorum membrorum emunctoria appellantur, vt Auicennas prima, 4. tract. 2. cap. 36. docuit. Cæterum bubones de genere inflammationũ sunt, ex Gal. 2. ad Glauconem cap. primo, & 3. de medicamentis secundum loca, cap. 2. decreto, plurimum enim à calida materia excitantur. ex Paul. etiam lib. quarto, cap. 22. testimonio, præcipue si sub alis & inguinibus prorumpant, at retro aures parotides, quæ fiunt, aliquando à frigida materia generantur. ita dixit Argilata lib. primo, tract. primo cap. 21. quare si sub axillis fiunt, cum à corde materia tradatur, calidiorem censendam rationabiliter putamus; vti frigidiorem si à cerebro; frigidius nempe corde membrum istud existit: medio autem modo se habet si ab hepate ad inguina materia demandatur, cum calidius cerebro, & corde minus calidum hepar habeatur; etsi

quia

quia dictorum membrorum vnum altero calidius, vel natura, vel ex accidenti, esse contingit; interdum res variari, nec vt dictum est, esse, facile poterit. Qui bubones, si absque causa manifesta fiunt, viscerum inflammationem sequuntur; cum quibus etiam accessiones habent; & tunc ex ipsis ortæ febres malæ sunt, vt 4. aphor. 55. habetur, quod 6. de morb. vulg. sect. 2. tex. 10. sequenti oratione Hippocr. docuit. abscessus veluti bubones, signa quidem sunt germina habentiũ, tum aliorum, tum præcipue viscerum. Et subdit. maligni autem sunt hi. Cæterum si in pestilenti statu contingunt, nedum maligni, sed perniciosissimi habeantur: quod Paul. lib. 4. cap. 22. sic inquiens confirmauit. At qui febribus superueniunt, sicut præcipue in lue pestilentiali accidere consueuerunt, pessimi sunt, siue in femoribus, siue sub alis, collo ve proueniant. hæc autem quia non vi naturæ, sed morbi potius, prorumpunt. Præsagium sic se habet. Si post eorum ortum rubentes sunt statim, & in molem eleuantur, prominentq;, & mucronati fiunt, magis salutares existimantur; hoc vel maxime, si accidentia remittantur. Econtra verò si latentes erunt, albi, vel liuidi, & omnium maxime nigri, præcipue si accidentia increscant, perniciosissimi censentur. Ratione etiam loci non modicum discrimen habent. nam si in inguinibus prorumpunt, dextri inguinis læthalior erit, si sub axillis deterrimi. eorum verò qui in collo nascuntur, ex acutiori feruentioriq; materia orti, nocentiores existunt. Modo curationem aggrediamur, in qua quia de bubone pestilenti pauca, ne dicam nulla, apud antiquiores medicos mentio reperitur, quicquid. n. in hac materia dixerunt, sub nomine de apostematibus glandulosarum partiũ, de eo tractauerunt; hac de re antiquorum & modernorum dicta, qui de eo accurate scripserunt, non derelinquentes veterum vestigia, insequemur. Quare ante omnia, exhibito bezahardico medicamento, curatio Galeni etiam 13. Meth. cap. 5. & Paul. li. 4. cap. 22. decreto, à sectione venæ auspicãda erit. & hoc, quia morbus nedum magnus, sed maximus existit. Qui vt plurimum nõ vi naturæ regulantis, vt dictum est: sed magis veneni vi, & humorum copia erumpit. quem sanguinẽ præcipue eo peccante, Guainerius non modicæ doctrinæ vir, cap. 4. sui tractatus, ad hypothymiam vsq; mitti iubet; hoc vel maxime, si cætera quę ad eius missionem faciunt, non reclament: vel ad minus vt reiterato mittatur

Præsagium

Curatio

tur suadet. Quod si sanguis iustis de causis mitti non poterit, scarificationibus, Galeno eodem loco imperante vtaris. A qua autem parte sanguis mittendus sit, preter ea quæ in capite de sectione venæ supra docuimus, idem Guainerius, loco supra citato conscripta oratione insinuauit. Bubone in emunctoriis cerebri existente, cephalica illius lateris tūdatur: si autem sub axillis eiusdem partis; medianā, vel cubiti, vt Paulus docet, facias phlebothomari. quòd si in inguinibus bubo apparuerit, saffenam secandam iube. At si vt dictum est, aliquid obstat, quod sectionem venæ impediat; ventosæ eius uicariæ erunt. Quare si retro aures bubo apparuerit, ventosas in eius collo, & spatula illius lateris affiges. si subaxillis, parum sub spatulis. si verò in inguinibus; in natibus, in curuatura clunis, & coxa eiusdem partis, applicandæ erunt. idem quoque de scarificationibus dicendum est. Ex qua sanguinis missione, duo commoda non spernenda sequentur. primum quia sanguis à membro principali ad eius emunctorium trahetur: secundum, quia natura exonerata sarcina, reliquum melius poterit regulare. Cæterum cum humor peccans non quantitate tantum aberret, sed qualitate infensus, & deleterius existat; educente aliquo medicamento, secundum humoris peccantis naturam, Galeni etiam decreto 13. meth. educatur: qui non tantum humorem superabundantem, sed etiam si in mediocritate constiterit, dummodo morbi magnitudo suadeat, ducendum esse affirmauit. Cæterum repellētibus vti medicaminibus in bubone, nefas est, ex Galeni 3. de comp. Med. localium cap. 2. monimēto: sed mollitiuis maximè, quod Auicennas loco supra citato sic inquiens, confirmauit. & non administres expulsiua; sed mollitiua. Quare locus, Pauli etiam testimonio, sequenti decocto fouendus erit.

Que Vena sit secadda

Cautio

℞. Chamæmillæ.
Meliloti.
Maluarum.
Anethi. } an. m. i.
Ficuum siccarum num. x.

Bulliant in s. q. aquæ s. ar. & ex eo locus cum lana succida, vel cum stuppa canapina, per duas horas ante cibum multoties lanam, vel stuppam immutando, bis in die foueatur. Ad eandem intentionē Guainerius emplastrū ex Cæpa sequēti ordine parat.

Cæpæ

℞. Cæpæ, num. i.

Fiat in ea fouea, quæ Theriaca impleatur, & operculo proprio cooperiatur & obturetur, coquatur, & emplastri loco applicetur. quæ præter id quod venenum attrahit; attractum interimit. quod enim Theriaca dicto modo applicata, venenum tanquam cucurbitula attrahat, Gal. in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. aperte demonstrauit. Idem quoque sequens emplastrum præstare solet.

℞. Cæpæ communis. ℥. iiii.
Cæpæ scillæ. ℥. iii.
Calamenthi.
Hyssopi. } an. m. ii.
Origani.

Conterantur omnia, & in lixiuio bulliant, donec pistari commodè possint. quibus adde.

Galbani.
Ammoniaci.
Serapini. } an. ℥. ii. s.
Costi.
Visci bene parati.
Mellis. } an. q. s.

Misce. fiat empl. quod humiditates à profundo attrahit venenosas, & attractas enecat. Nõ desunt qui hoc modo empl. parent.

℞. Farinæ cicerum rub.
Farinæ lupinorum.
Farinæ seminis lini. } an. ℥. i.
Chamæmillæ.
Appiorum. m. i.
Scillæ. ℥. s.
Fimi columbini. ℥. ii.

Misceantur, & cum oleo anethino q. s. fiat empl. s. ar. & calidũ applicetur. sunt etiam qui podicem gallo depilant, & ipsum supra bubonem, ut ipsum sugat, apponunt: à cuius suctu, foras vna cum uiru attrahitur. Cui intentioni hyrudinũ, ventosarumque affixio, Galeni 3. de comp. med. localium loco citato decreto, fauet, & astipulatur. hæc autem non nisi materia libere non erumpente, vel natura eam non potente expellere exequantur. quæ bene attracta, maturetur. Maturabitur autem si dictis empla-

stris,

ſtris, malua, lapatium, radices hybiſci, cepæ liliorum alborum, & branca vrſina, ſi vna, aut plura iſtorum, cum pinguedine porci, & butyro addantur. Quo ad maturitatem perducto, etſi non completam, incidatur, mundificetur, incarnetur, & more aliorũ apoſtematum curetur. Verum quia maturationi ſæpius eſt rebellis, propterea multi cauterio potentiali, capite ſuperiori deſcripto, ad granum hordei ſuperpoſito, & per horam vel plus dimiſſo, vt profundior eſchara fiat, ipſum inurunt: poſtea quæ eſcharam tollunt, apponunt, & more aliorum vlcerum ſanant. multi cauterio actuali, etiam à principio bubonem cauterizant; quod certe niſi maxima inſtante neceſſitate non laudo. hoc autem in his, qui uiribus conſtant, & vniuerſalioríb. expletis, niſi ſit quod obſtet, exequutioni mandetur. Pro quorum confirmatione, cuiuſdam fabri Chiamberiaci Guainerius hiſtoriam refert, qui candentibus tenaculis, ipſe ſibi bubonem inuſſit, & euaſit. Cæterũ ſi poſt vſtionẽ, maturantia applicare placuerit, vt ſupra dictum eſt, facere expediet. in cuius curationis tempore, vt ſuis capitibus videre licet, infirmum tum Bezahardicis, cum epithematibus, cum uictus regimine, & cum omnibus, quæ ad bubonis peſtilentis curationem faciunt, regere expediet. Cum quibus omnibus, auxilio Dei exercituum, qui ſolus languores noſtros ſanat, quia ſolus ipſos pertulit, infirmos deperditam ſanitatẽ redimere, ſanoſque ſibi ipſis ipſam tueri, commode poterunt. Qui Deus, vt in æternum viuit, ita in æternum ſit benedictus, noſque à tam immaniſſimo morbo liberet. Amen. Modo de cæteris cutis apparitionibus dicere tempus eſſet. verum quia de Morbillis, & Variolis in 4. lib. dicere intendimus, dum de iſtis agemus, eorum quoque curatio innoteſcet; ad quem locum lectores expectamus, cum quibus Tertio libro finem, & Quarto principium Dei implorato auxilio dabimus.



ANTONII



ANTONII PORTI FIRMANI PHYSICI DE PESTE

LIBER QVARTVS.

Quo de Variolis & Morbillis.

PRÆFATIO.

Variolas, et Morbillos cum Peste similitudinem et convenientia



*Q*VANTVM *Variolę, & Morbilli, cum peste commune habeant, id ostendit, quòd pesti homogenei sunt. contagium enim omnibus inest, & interdum par ad interitum exitus. Eadem quoque quoquo modo vni, & alteri curatio debetur, & sub eodem titulo, de eis nonnulli monumenta dederunt. inter quos Razes Medicus admirabilis, sub pestilentiæ titulo, accurate satis de illis pertractauit. Quare haud incongruum erit, absoluta de peste in tribus superioribus libris, tractatione, si in hoc quarto de Variolis & Morbillis agemus, etsi non defuerint, qui non post, sed ante pestis tractationem, ipsorum sermonem habuerint, nec hoc præter rationem omnino, cum pestis præcursores & prædictores (vt primo libro diximus) sæpe sæpius existant, vt aliquando ab ipsis pestilens lues originem traxisse videatur. At nos, cum promiscue ad salutem & interitum se habeāt, semper pestilentes dici posse non putamus. Quare cum à causa, externa, communi tamen, nempe aere, cęteris concurrentibus originem*

Morbilli, et Variolę sępe sunt Pestis Precursores

ducant

ducant, si ad salutem terminantur. Epidemium morbum simpliciter dicimus, vti si ab eodem aere uel coinquinato, vel immodice alterato, aut aspectu syderum, malo modo per spirituales qualitates immutato, fiant; propter quæ deleterij effecti, cum vt plurimum ægrotantes perdant, pestilentes vocamus: quo tempore, vt cæteri pestilentes reguntur. Vnde, ne tædiosa repetitio contingeret, & quia Princeps, & cum eo alij plurimi, de Morbillis post pestis tractationem sermonem habuere, hos sequutus, à quid nominis, ipsorum tractationem aggredior.

Nomina synonima præsentis morbi explicantur. Cap. I.



ARIA nomina rebus omnibus imponi propter varios respectus, docet Galenus. 2. meth. cap. 2. vel enim à læsa particula hoc euenit, vt pleuritis ab affecta pleura; vel à symptomate, vt tenesmos, ac si desidēdi assiduā & continuā cupiditatē dixeris; vel ab ambabus, vt othalgia, id est aurium dolor; interim quoque à similitudine ad aliquod extra positum, vt Elephantiasis. ad quę tanquàm ad suas radices, omnis denominatio reducitur. Vnde mirum alicui esse non debet, si variis nominibus, morbum de quo pertractamus, varij doctores nominare veriti non sunt. Nonnulli enim pestilentiam, Alij Epidemiam, Tertij Exanthemata, Ectimata similiter alij, Variolas, Morbillos, papulas, pustulas, & pituitæ denique eruptiones, vocauerunt: Variolas dixerunt, quia cutim variant, eam variis maculis, & multis signando: Morbillos verò, quasi paruos dixerint morbos: Exanthemata autem conscripta oratione. 5. meth. cap. 2. Galenus insinuauit, Atque cum ita iam vacuati essent, qui euasuri erant, nigræ toto corpore his pustulæ, quas exanthemata vocant, confertim multæ apparuere, vlcerosæ quidem plurimis. Ectimata tumores in cute sponte efflorescentes. 3. epidemiorum dicuntur, quæ si à crassiori materia Italica lingua variolæ, vti si à tenuori morbilli appellātur. Cæterum quantum ad nomina, varios doctores inuenio. Auicennas enim eleuatas apparitiones, quæ Romana lingua moruiglioni dicuntur, variolas vocat. E contra verò Morbillos dicit, qui Romæ,

Rosalia nominantur. quare etsi de nominibus disputari non debeat, quia tamen nisi nomen constituatur, certa rei ratio, de qua agitur, haberi non potest, hinc nos cum doctissimo Germano, qui de re medica optimè meritus est, eleuatas apparitiones, quæ putescunt, & pruriunt, similiter quia Romæ degimus, Romano nomine Morbillos dicemus, vti planas & non ita prurientes, variolas appellabimus. Quam sententiam confirmauit Galenus. 6. de morb. vulg. sect. 2. com. 29. super verbis Hippocratis latæ pustulæ non admodum pruriunt &c. in Commẽto sic habet. Quæcunque tubercula ex calido humore nascuntur, celeris videlicet ea iudicationis esse, ac minimè lata; ex frigido verò, lata atq; diuturna. Et subdit, eadẽ ratione, & de pustulis disserendum est. ex quibus, non à crassiori materia morbillos oriri, cum eleuatæ apparitiones existant, sed à calidiori subtiliorive videretur esse dicendum. etsi idem Galenus super 3. in 3. de morb. vulg. com. 51. conscripta locutione visus fuerit aliter determinasse, ἐκθύμασι idest papulis, nomen in his, quæ in cute sponte extuberant, in cute. hæc constant superfluis scilicet humoribus, atq; qualitatẽ, & iam non iniuria subsequũtur. Et subdit, cum tenues humores exulcerationem potiusquàm tumores creent. at crassi in tumorem pellem attollant. Quæ verba taliter conciliari poterãt, cum supradictis contraria quoquo modo videãtur. humores inquam crassos pellem attollere, non in principio apparitionis, hæc agere dicendum est; Verum in initio non crassum, sed tenuem potius pellem eleuare, quimet succedente tempore à natura totus extra detrusus, & per coctionem incrassatus, & in pus conuersus, crassior euadit, & cutim magis ipsum eleuare cernimus. quod, non, quia natura crassus, sed magis quia coctus, hæc efficere posse putandum est. etsi possimus etiam dicere, quòd à crassiori humore, respectu subtilissimi, & acerrimi, pellis attollatur, à quo subtiliori magis, & melius vlcerari, quàm eleuari cutis ipsa potest. Non itaque humor, qui cutim attollit crassus appellari simpliciter debet, sed potius ad subtilissimum relatione, vti respectu humoris variolas excitantis, cum crassior iste sit, iure proprio subtilis dicetur. Crassior nanque humor repentino impulsu ad cutim detrusus, ob partis duritiem in ipsa remanet, & secundum eius varietatem, variolas similiter, & alias diuersas in cute efflorescentias præter id quod cutis eleuetur, gignere valet.

Quæ ferè planę omnes sunt, & cuti ipsi adhærentes, secus autem in morbillis conspicimus, qui vix apparentes, milij formam repræsentant. Erit itaque crassior materia variolarum, quàm morbillorum. Quimet morbilli eodem. 3. Epidemiorum 51. & 52. papulæ magnæ : & Herpetes magni dicuntur. quæ verba exponens Galenus, ita scriptum reliquit. herpetes magni dicuntur, vel quia magnum occupant locum; vel quia cum maligna erosione contingunt. hæc autem oratio in morbillis à phlegmate salso ortis, vel à superassata bile, potissimum veritatem habet. tunc enim, ac si igne, vel feruenti aqua perusti essent patientes, vesiculæ fiũt, & à prurigine scalpere coacti, cutis eis excoriatur, virus exit, & ambulatoria vlcera ex his sæpe contingunt. Plinius verò interdum papulas, aliquando pituitæ eruptiones, vocare consueuit. papulas dixit, quasi sponte in cute exuberantes, quas si propterea papulas quasi pascentes, aut populares dixeris, aberrare non putaremus. De quibus Celsus lib. 5. cap. 28. circa finem, sub nomine pustularum, & papularum, doctè satis, & eleganter pertractauit; hoc præcipuè sub titulo papularum; quarum duas præscripsit differentias, quas citato loco legant studiosi, nostris enim adaptari perbelle possunt. Ex quibus manifestum est, vti antiquus est morbus, antiquioribus etiam, & Græcis & vt Razes 18. continentis ex Georgij decreto refert, etiam Galeno, notos extitisse. de quibus si apud eos tractatio non inuenitur, fuisse in causa credendum est, quòd eorum temporibus, totius securitatis morbus esset; id autem vel à moderatiore victu, vel à corporum cœlestium benignitate prouenisse, existimandum est. quod nostris quoque temporibus, antequam ita vinulenti essent mortales & ingluuiosi, accidisse vidimus. ad eorum enim curationem Medici non admittebantur; sed à frigore, & aeris iniuria ægrotantes tantum tuti, ope sola naturæ, sanitati reddebantur. non enim cum à sanguine, quo fœtus in vtero nutritur, ortum ducant, nouum morbum esse, vt Moderniores videntur innuere, dicendum est: cum à sato mundo, vsque modo, sanguine, qui singulis mensibus expurgari solebat, fœtum in vtero nutriri certissimum sit. quare vel dictus sanguis propria eorũ causa nõ esset, vel hi morbi sempiterno ęuo fuere quimet, vel ex prauo victu, vel ex coinquinato aere, deleterij effecti, vti apud Arabes ex eorum monumentis interdum cõtigisse habetur, non

Q 2 iniuria

Inn apparent variole milij forma representat

quare Papule dicatur

Quare Antiqui [illegible] fecerunt tractatum de Variolis

iniuria pestilentes dicuntur. ab aere enim coinquinato, vel a priuis cibariis, eorum ortus acceleratus, & ante ebullitio vehemens excitata, infirmos depascitur. Epidemia vero tandem, quasi supra aduenienis nuncupatur, & hoc iure merito. absque enim impellente aere, atque eius concursu cum vulgaris & contagiosus morbus sit, fieri non potest. Et hæc de nominibus. Modo de quid rei dicamus.

Essentia præsentis morbi, & quomodo inter se variolæ, & Morbilli differant enodatur. Cap. II.



EXPLETO quid nominis Morbillorum, & variolarum, vt quid rei examinetur, remanet. verũ quia dictum fuit promiscue, ad interitum, & ad salutem dictum morbum, secundum causarum agentium maiorem minoremve potentiam, & suscipientium corporum dispositionem, terminari posse; ideo cum vniuersalis morbus, sit, & non tantum vni sed pluribus ciuitatibus communis, quandoque Epidemium, interdum veró pestilentem, dici debere affirmamus; hinc vario modo diffiniendum esse, ita manifestum est, vt non sit, quòd probem. Et quoniam libro primo satis superq; pestis definitionem examinauimus, reliquum erit, in præsentiarum, cum Epidemiæ, tum exanthematum definitionem explanare. Propterea dicimus, Epidemiam esse, Aeris dispositionem, per quam morbi eiusdem generis multiplicantur, & communes fiunt, in vno tempore, in vna Regione, vel in pluribus, vt plurimũ insalubres, vt febres, dysenteriæ, catarrhi, variolæ, & Morbilli. Quæ variolæ, & Morbilli, est eruptio materiæ, vel eleuata, vel plana, post ebullitionem à febre habitam, à sanguine, & bile orta, per viam crisis, propter sanguinis defecationem à natura ad cutim demandata. Quæ definitio omnibus aliis apparitionibus, & nominibus est communis. Cæterum ex dictis manifestum est, Morbum hunc simplicem non esse, sed maximè complicatum. nam in intemperie, cum sine febre morbilli non fiant; in soluta vnitate, cum vesicula, & tuberositates oriantur; in numero cum multæ dictæ tuberositates existant; in magnitudine denique

Epidemij Morbi descriptio

nique, cum in molem excrescant, & per ipsos corpus intumeat; iure proprio reponi potest. Differunt tamen, inter se, quoniam variolę à crassiori, Morbilli vero (vt capite superiori probatum est) à tenuiori materia ortum ducunt. Differunt rursus figura. Morbilli enim eleuati; variolæ vero planæ conspiciuntur. Differunt præterea, quoniam variolæ, non pruriunt, vt Morbilli; nec prurescunt, & in squammulas euadunt. omnibus tamen eadem, aut parum variata curatio debetur. & si morbillorum curatio diuturnior, difficiliorq; existat, non est propterea, vt tanta eorum diuturnitas sit, quin inter acutos morbos non reponantur, hoc vel maximè in deleterio cœli statu; quo tempore non tantum acutus, sed pestilens, (vt supradictum est,) apprime dici poterit. Cæterum quia positum est in definitione Morbillos esse eruptionem materiæ ad cutim post ebullitionẽ à febre habitam, in qua locutione morbillos absque febre dari non posse videretur esse dicendum; vt tamen veritas magis elucescat, an sine febre erumpere possint, inquiramus.

Variolaz, et Morbillorz caus. et differentię

Morbillorz, et Variolaz eadem curatio

Morbillos absque febre non erumpere, Rursus quęnam febris sit explicatur. Cap. III.



QVONIAM autem an cum febre semper, vel aliquando sine febre morbilli fiant, non paruam dubitationem habet, Moderniores enim authoritatibus, & experimentis innixi, Morbillos absque febre interdum erumpere posse affirmant, & ab authoritatibus, quibus eorum fulcitur opinio exordiens Auicennam prima quarti tract. 4. cap. 6. conscripta locutione hoc voluisse contendunt (& vt sit febris deinde variolæ saluius est, quàm vt sint variolæ præcedentes, deinde consequatur, & accidat super eas febris.) Rursus aliam citant authoritatem ex. 2. Theisir. tract. 7. cap. 3. quo loco Abenzoar sic locutum dicunt. Cum mouetur natura ad hanc expulsionem faciendam, excitatur pro maiori parte febris. Hinc subdunt, ipsum innuere, huiusmodi expulsionem sine febre interdum fieri posse. hæc Recentiores. Nos autem pro tuitione veritatis secus tenentes dicimus, morbillos cum eos ebullitio facta in sanguine præcedat, absque febre fieri minimè posse. ver

Dubit.r ex authoritate Doctorz

ba enim Principis Morbillos absque febre erũpere nedum probant, sed nec innuunt. habet enim Princeps, melius est vt Morbillos antecedat febris, quàm vt subsequatur, non quod sine febre erũmpere morbilli possint; sed potius quia febris ebullitionem supponit, melius est, vt tempore ebullitionis febris fiat, quàm vt ebullitioni succedat, quo tempore, quia materia ebullitionem faciens, ad cutim à natura per viam cutis detrusa fuit, ebullitio cessare debet: quare si eo tempore febris fiet, materiæ inobedientiam, venenositatemq́;, necnon, & naturæ impotentiam ostendet: hinc melius, & tutius esse, vt in ebullitione, tanquàm in tempore competenti febris fiat, quàm post morbillorum apparitionem, & ebullionis cessationem, manifestum est. habent enim duo tempora morbilli, vnum ebullitionem insequitur, alterum eorum exitum & eruptionem parat. in ebullitione (vt dictum est) necessario febris excitatur, & oritur; post morbillorum vero exitum, sæpius febris imminuitur, & interdum delitescit: quæ postea in eorum maturatione redit; cum in generatione puris, & saniei, dolores, & febres fiant. Ex dictis facilè elici potest, verba Principis verissima esse. Melius nempe esse, febrem morbillos antecedere, quàm eos consequi. Vnde non quòd aliquando absque febre morbilli erumpere possint, Principem intellexisse, putandum est; sed melius ob dictas rationes, tutius esse febrem morbillos anteire, quàm ad ipsos succedere: cum semper febris eos anteeat, & vt plurimum sequatur. quæ tanto validior esse consueuit, quanto numerosiores morbilli fiunt, & pus in maiori copia generatur; hoc vel maximè, si quod putrescit, acrius est, & praui moris. hæc ad Auicẽnam. Abenzoar vero authoritas, si vt citatur iaceret, nullam profectò expositionem susciperet; in meo tamen codice, sequenti ordine sonat, Et cum mouetur natura ad hanc expulsionem faciendam, excitatur pro maiori parte febris valida. quam vltimam dictionem, valida scilicet, forsan in eorum libris recentiores non habent. quare non vt absque febre aliquando morbilli fiant, Abenzoar affirmauit, sed quod pro maiori parte febris valida excitetur; ac si dixisset, interdum absque febre valida fieri posse, sed nõ propterea sine febre. et si quandoque, & quia materia pauca est, & quia mitior, morbilli absque febre ad cutim detrudi videantur; dictam tamen expulsionem cum mitiori febre fieri, dicendum est. nec

plura

plura ad aucto ritates. Ad experimenta autem, quod absque febre interdum viderint morbillos erupisse, vario modo pro varietate casuum satisfacere possumus. Apparitiones nanque, quæ in cute fiunt, vel in adultioribus, vel in puerulis erupere. Rursus vel vere morbillos, vel quid eis proportionatum esse. quare si in adultioribus dictæ apparitiones absque febre contingunt, Morbillos veros non esse, sed quid eis proportionatum existimandum erit. vnde cum morbilli vere non sint, vti in scabie, aliisq; multis cutaneis apparitionibus, in dies conspicimus; hæc scilicet sine febre erumpere; similiter in istis euenire credendum est. secus autem in veris morbillis eueniet, cum vel mitiorem vel validiorem febrem, iuxta dictas dicendasq; conditiones semper supponant. Quare si veri morbilli fuere (vt recentiores asserunt) per simplicem contactũ eos patientes suscepisse; præter id, quod interna fuerint agitata, ebullierintq;, putandum est, propterea absque febre apparuerunt; non fuit tamen facta ebullitio, vel quia humores alias ebullierunt, vel quia impulsor tantæ potentiæ nõ fuit, vt ebullitionem excitare posset; vnde natura non stimulata, cum per simplex contagium, id factum fuerit, (cum contagiosus morbus sit) morbillos in cute gignere potuerunt, ebullitionem autem, & tandem febrem, internæ, dictis rationibus excitare non valuerunt. Quare si antea, isti morbillos passi non sunt, ebullitione, & consequutionis ratione febre ab impulsore excitata, iterum morbillos patientur. Cæterum cum plurimum puerilis morbus sit, iuxta secundum diuisionis mẽbrum, in quibus interdum debilis fit ebullitio, vt hinc leuis etiam febricula excitetur, ipsi verò, nisi valida, potentiave, non vereantur, ebullitio & febricula delitescunt, morbilliq; erumpunt, priusquam pueri se febrire dicant, & astantes cognoscant. hinc absq; febre erumpere, sed falso creditur. Ex dictis elicitur, Morbillos absque febre fieri nequaquam posse. Cæterum videndum remanet, quænam febris sit, quæ morbillos comitatur: quam cum in sanguine ebullitio fiat, synocham appellare iure merito possumus. Propterea Rasis lib. septimo, capite 8. dixit, Variolæ de sanguinis putridi nascuntur corruptione, & sunt de accidentibus synochum comitantibus. Quimet 18. cõtinentis, eandem sententiam confirmauit; & Constantinus Affricanus lib. 7. cap. 8. non tacuit. Sanciatur itaq;

febrem quæ morbillos præcedit, & consequitur, conclusam esse, & synocham. Verum quia synochus duplex est, nempe cũ putredine, & sine putredine, vt 9. Meth. 2. 3. & 4. capitib. liquet; propterea, an hęc quæ morbillos comitatur, sine uel cum putredine sit, videndum remanet. Moderniores enim sine, & cum putredine fieri posse affirmarunt. Nos tamen dicimus, in omnibus morbillis, synochum cum putredine reperiri. quam veritatem Auicennas loco supra citato, conscripta locutione declarauit. quandoque accidit in sanguine ebullitio, secundum semitam putredinis cuiusdam. Sed clarius illinc ad parum, sub his verbis. & de hoc est, cuius causa est res quasi naturalis, faciens ebullitionem sanguinis, quare putresit ab eo, illud quod admiscetur ei de reliquiis nutrimenti sui menstrualis, quod est in prægnatione. Rasis quoque loco allegato eandem sententiã sic inquiens confirmauit. Variolæ de sanguis putridi nascuntur corruptione, & sunt de accidentibus synochum comitantibus. In qua locutione, febrem variolarum synochum esse, & rursus synochum cum putredine, in morbillis semper fieri habetur. eandem sententiam Constantinus Affricanus protulit, & Serapio tract. 6. cap. 12. similiter, & Razes cap. primo non dimisere, & hoc equidẽ ratione. nunquàm enim contingit, vt infra clarius patebit, morbillos absque causa interna erumpere posse: quam internam causam, excrementum a fœtus nutrimento genitum, & cum bono sanguine intra uenas à natura receptum statuemus: quod excrementum in dicto morbo semper putrescere, ebullitionem gignere, & ad cutim per uiam crisis ipsum naturam detrudere, ex dicendis manifestissimum erit. hinc dicere cogimur, ab excremẽto putrido, synochum cum putredine semper oriri, quod apparitiones ipsæ, à materia putrida, & propterea fętida ortę, clare ostẽdunt. sint itaque ad salutem, vel ad interitum variolæ, à putrido excremento semper, etsi quandoque benigniori, interdum verò acriori, perniciosioriue generantur; quæ pernicies, & salubritas, præter dicta, à paucitate, quandoque & multitudine materiæ ortum trahit, vti à causis exterioribus etiam, quæ omnes modo perniciosiorem, aliquando verò mitiorem, salubrioremue morbũ gignere valent. Vnde quicumque sint, vel ad salutem, uel ad interitum finientes, synochum associari, & illum cum putredine esse, concludendum videtur. Modo de eorum causis dicamus.

De

De causis variolarum & Morbillorum ex Auicenna. Cap. IIII.



VORVM sunt principia, causæ, & elementa ea perfecte scire arbitramur, (vt Philosophus, primo phys. ad principium docuit) cum dictas causas, principia, & eorum elementa, non ignoramus. hac de re cum usque modo, quid nominis, quid rei Morbillorum; & an cum febre semper erumperent, rursus quæ nam febris esset, expositum sit; remanet modo, vt eorum principium, & causas accurate inuestigemus. quod certe maximam difficultatem habet. Nam etsi varii scriptores eandem fere radicem tetigerint, & vt in adagio est, eundem lapidem reuoluerint: non est propterea, & quia diuersimode de ipsis tractauerũt, & quia causas adeo perstricto sermone recitarũt; vt ex eorũ monimentis veritatem colligere perpetuo tutum sit; hoc vel maxime, quia apud Hippocratem, & Galenum præcipue sub nominibus Variolarũ, & morbillorũ, fortasse quod totius securitatis eorum temporibus morbus esset, & sub aliis nominibus quoq; modica ne dicam nulla mentio reperiatur. Princeps vero 4. primi tract. 4. cap. 6. duas morbillorum causas visus fuit assignasse, extrinsecam vnam, intrinsecam alteram. Intrinsecam causam dixit, menstruum sanguinem esse, ebullitionem, & putredinem in massa sanguinea excitatam, vt eam à dicto sanguine expurget natura, purioremque reddat: vnde dixit quòd hæc operatio ex parte est naturalis, & ex parte præter naturam, sic inquiẽs, & de hoc est res quasi naturalis faciens ebullitionem sanguinis, vt ab eo illud quod admiscetur ei de reliquiis nutrimenti sui menstrualis, quod erat in prægnatione expellatur. Extrinsecam vero causam docuit, sub illis verbis; aut generatur in eo post illud, ex cibis feculentis, & malis. & paulo inferius. & de cibis, sunt cibi, qui faciunt cadere in variolas velociter, hi autem sunt, qui ebullitionem excitare solent, & præcipue si post eos medicinæ calefacientes administrentur, vel larga vini potio sequatur. & vt multa ab eo dicta vnico verbo complectar; calida omnia, incendibilia, & puttescibilia, præsertim si cibaria insueta fuerint, & eis comedentes multum repleantur, variolas, & morbillos pro-

Variolaꝝ intrinseca causa sm̃ Auic.

procreare solent, quæ sub exemplo lactis camelorum & equarũ Princeps docuit; præter quas dictas causas, alias etiam extrinsecas conscripta oratione assignauit. & de hoc est, cuius causa est res adueniens extrinsecus, occulta ebullire faciens, vt status sub sole, & temporum mutationes, & præcipue veris; similiter, & austrorum multiplicatio, propterea dixit, Variolæ & morbilli multiplicantur in successione austrinorum. Modo quæ de causis dicat Razes videamus.

Morbillorum & Variolarum causæ ex Raze. Cap. V.

Variolar. Causa in Rasim



Azes vir profectò admirabilis, in tractatu, quem de pestilentia construxit, sub quo titulo de Variolis & Morbillis pertractauit, capite primo aliam causam visus fuit assignasse, nullam prorsus de sanguine menstruo explicite faciens mentionem; sed Morbillos ab humidiori calidioriue sanguine generari asseruit. quam sententiam pulcherrimo exemplo firmauit. Sanguinem nempe puerorum, & infantium, musto dicens correspondere: quem natura eum adhuc depuratus non sit, elaborare, & repurgare intendens, in eo ebullitionem excitat, per quam partes eterogeneæ ab homogeneis separantur, & seiunguntur. propterea dixit. at infantium sanguis, & puerorum, musto respondet, quod nondum absoluta coctione, elaborari, nec ad eam commoueri inceperit. adolescentium vero sanguis, musto similis est, quod iam ferueat, efflaueritque & à primo statu mutatum sit, plurimumque vaporis & recrementi expirauerit, cuius modi est vinum coctum, mitigatum, & quod ad summum vigorem peruenerit. At senum sanguis uinum repræsentat, quod exhalauerit, vehementiamque abiecerit, & prope refrixerit, acidumque euaserit. & subdit, porrò generatur pestilentia, cum putruerit, ebulliatque, vt recrementa vaporosa, & limosa perspiratu discutiat: Ad hæc cum sanguis ex infantis natura, quæ musto respõdet, transierit ad adolescentiũ naturã, quæ vino cocto similis est. ac ipsa Pestilentia pse efferuescentiæ & ebullitioni, quæ in mustis cum feruent, euenit, similis apparet. Atque iccirco om

nes

nes propemodum huiusmodi morbo sunt obnoxii, magisq; masculi, quoniam sanguis necessario ex primo statu in secundum commutatur, sicut musta necessario in statum, qui feruorem, & ebullitionem sequitur, transeunt. Et vix inueniri poterit, infantis, aut etiam pueri temperatura, quæ ex primo statu in secũdum commutetur; temporis spacio, paulatim & deinceps, vt etiam feruor, & mutatio in sanguine, tempore, & paulatim appareat. Quia eiusmodi temperamentum, quod ita deinceps mutatur, frigidum, & siccum esse oportet: At puerorum temperamentum his contrarium est. Quod autem horum temperamentum calidum, & humidum existat, hinc demonstratur, quoniã alimentum ipsorum ex lacte existit. Si vero pueri lacte non aluntur, certe affini & proximo huic victu ciboque nutriuntur, vt aliæ ætates vniuersæ. Quin etiam pueri in victu plus delinquunt, quàm alii: eoque raro aliquis ipsorum hunc morbum effugit. Modo quæ pro dilucidatione istarum opinionum faciunt perpendamus.

Quæ ad dictarum opinionum dilucidationem faciunt examinantur, sanguinemque, quo fœtus in vtero nutritur, nec qualitate, nec quantitate peccare probatur. Cap. VI.



SAnguinis putredinem & ebullitionem concurrente motore extrinseco, Morbillorum, & variolarũ causam esse ex decreto Auicennæ, & Razæ, duobus superioribus capitibus visum fuit. at cum iste sanguis, qui in fœtu putrescit, & ebullit, ille sit, quo in vtero fœtus nutritur: hic autem, qui menstruas purgationes facere solitus erat, existat; quomodo ipsos generet; & an qualitate, vel quantitate peccet, primo inquirere, vt certa morbillorum causa inueniatur, operæprecium duximus. sanguis enim si quod peccatum habet, in qualitate, aut in quantitate ipsum habere ex Galeni. 9 meth. cap. ii. testimonio conscriptis uerbis clare habetur. Fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam, uel cum propriam qualitatem ad vnguem non seruat; & amplius nutri-

re,

re, ſicut prius cum vtilis eſſet non poteſt: uel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, uel diſtendat, vel ſcindat, uel obſtruat. Quorum neutrum in ſanguine, quo fœtus in vtero nutritur reperiri, ex dicendis manifeſtũ erit, & in primis quòd qualitate non aberret, ex primo de ſanit. tuend. cap. 9. Gal. conſcripta loquutione dederunt. interim enim quicquid ſanguinis certe eſt optimum in ſe fœtus abſumit, & quidem iure merito; prouida enim natura de ſpecie magis, quã de indiuiduis curam habet, quæ tantum ſucceſſione æternatur, vt 2. de anima 34. docuit Ariſt. in cuius commenti explanatione in hæc uerba prorumpit Auerroes; miſerta enim eſt natura vidẽs hominẽ non poſſe perpetuari in indiuiduo, & fecit ut perpetuaretur in ſpecie, quæ perpetuatio ſucceſſione indiuiduorum habetur. Galenus itidem tertio in tertium de morb. uulg. comm. 73. poſtquàm de ſupreſſa à partu purgatione, habuit ſermonem, vt quæ inſignem humorum pariat prauitatem, ſequentibus uerbis eandem ſententiam confirmauit. Nam meliorem ſanguinem ad ſe fœtus, nutrimenti cauſam alliciens, deteriorem relinquit. ideo prægnantes prauis humoribus implet, quos à partu euacuat natura. Hoc autem in his prouenire putandum eſt, quæ prauis humoribus abundant, quæ pica, uomitu, & aliis ſymptomatibus dum vtero gerunt, infeſtantur. quæ affectiones, non quia ſuperfluant menſes, cum fluere deſierint; ſed quia prauiori ſucco abundant, ineſſe dicuntur; quo tempore, quia grandior fœtus, & in corpore, qui ſufficiat ſanguis pro eius nutritione non adſit, prauiori veſci coactus eſt. Vnde primo de ſympt. cauſ. cap. 7. Galenus ita ſcriptum reliquit. vitioſas autem qualitates concupiſcunt hi, quibus ventris tunicæ vitioſum aliquod excrementum imbiberunt. & ſubdit. ſolet id maxime mulieribus, quæ vitioſo ſucco ſcatent, cum grauidæ ſunt incidere, uocantque affectus Græci cittam, picationem aliqui latine appellant. & habita oratione, quare, & quando ceſſet affectus, illinc ad parũ ſubdit. facto autem grandiore fœtu, tum ipſe ampliore uictu, pro nutrimento utitur; & tunc non ſolum quod in venis optimum eſt, id trahit, ceu prius dixi; ſed etiam quia plus indigeat, quod vitioſum eſt, aliquid vnà trahit: hoc autem modo totum corpus matris plenitudine, & minus vitioſo ſucco laborare deſinit, & ſymptomata, tandem deperduntur. Quibus probatum credi-

mus,

mus, alimentum fœtus qualitatis prauitate non peccare; nisi mater prauo ſucco à quacunque cauſa ſit abundet, & hoc quando bonum nutrimentum non ſufficit, vt ex. 3. de morb. vulg. & primo de ſympt. cauſ. probatum eſt. Cæterum an quantitate, & multitudine vitium ſanguis retineat, videndum remanet: Quem certè tàm ratione fœtus, quàm ratione vteri ſuperfluum eſſe dicere minimè poſſumus. & primo quòd reſpectu fœtus ſanguis non ſuperfluat, Hippocratis in libro de natura pueri num. 5. ſequentia verba oſtendunt, Menſes non prodeunt vbi mulier conceperit intra ipſam, ſi puer ſanus fuerit, & permanere debet, niſi in quibuſdam primo menſe, modicum ſucci indicationem faciens. quare vt puer ſanus fiat, menſes prodire non debent, cum eis veſcatur. Quam veritatem idem Medicinæ author, 5. aphoriſmorum. 60. conſcripta locutione confirmauit. Si prægnanti purgationes menſtruæ curſum teneant, bene valere fœtum eſt impoſſibile. vnde ſi menſium curſus imbecillum fœtum reddit, eorundem retentio fortē facit. at quæ præter naturam ſunt, non fortem, ſed debilem facere certiſſimum eſt. hinc dicere cogimur, menſium retentionem naturalem omnino eſſe, eorum vero curſum conceptionis tempore pręter naturam. Nec dicere poſſumus, quod quia ſanguis retinetur, eo laſciuiet fœtus; cum ſecundum eius magnitudinem, & reſpirationem nutrimenti conueniens quantitas attrahatur. quam veritatem docuit Hippocrates in libro de natura pueri, nume. 6. ſic inquiens. At vero mulier cum vterum gerit, à menſibus non prodeuntibus, propterea non dolet, quòd ſanguis non conturbatur; aceruatim abire ſolitus ſingulis menſibus, ſed procedit ſenſim, ac modice citra dolorem quotidie in vterũ ipſum, & quod ineſt in vtero augeſcit. & ſubdit. ſingulis autem diebus ea gratia procedit, & non ſemel per menſem, quòd genitura in vtero exiſtens, ſemper à corpore trahit, prout vires tum ipſa ſpiratio habet: & primũ quidẽ modica ſpiratio fit, & ſanguis modicus à matre procedit. cũ vero ſpiratio amplior redditur, magis ſanguinẽ trahit, & vberior is in vterũ deſcendit. quam veritatẽ Galenus primo de ſani. tuen. c. 2. cõſcripta oratione confirmauit. Quippe ſanguis cum propriè in ſe vitæ principiũ cõtineat, huius moderamine agitur, & aſſidue cõueniens ſibi alimentũ trahit, inſertis in vtero radicib. nuſquã nocte dieve diſcedẽs, vnde nõ plus attrahi, quã pro fętus cõgrua alimo-

nia opus habet natura. Ex dictis manifestissimũ est, quare fœtũ præ copia alimẽti lasciuire putandũ non est, cum suffocationem extinctionemq; potius, quàm fœtus auctioné nimia copia pareret, ꝙ Hippocrates in lib. de natura pueri nu. 14. sequenti locutione demonstrauit, primis diebus vbi genitura in vteros illapsa est, paucissimus sanguis à muliere in vteros venit, deinde copiosior: si enim aceruatim, & multus semel ueniret, genitura spirationem habere non posset, sed sanguine multo accedente suffocaretur. Modo quæ ex parte vteri circa sanguinis quantitatem existunt, quomodo se habere debet, perpendamus. Non enim si ad conceptionem vterus aptus esse debet, sanguine aut alia humiditate abundare oportet. quam veritatem Hippocrates 5. aphoris. 62. sequentibus uerbis declarauit. Quæ perhumidos loculos, vel vteros habent grauidari nequeunt, extinguitur enim in ipsis genitura. quòd in libro de natura pueri, num. 7. sic inquiens confirmauit. Quare si quidem euacuatur à sanguine mulier; in ventre concipit; si vero repleta fuerit non concipit. & subdit, nã vacuis vteris à sanguine factis mulieres in se fœtum concipiunt. ac si diceremus, quòd quoquo modo exinaniti uteri præ defectu semen attrahunt, attractum retinent, calore fouent, & ipsum fœcundant. Ex dictis manifestum est, alimentum quo fœtus in vtero vescitur, nec quantitate nec qualitate, aut aliqua corruptionis labe, per se peccatum habere; verum per accidens peccare posse, ex tertio, in tertium de morb. uulg. & primo de sympt. caus. clare cognouimus, cum scilicet prauis humoribus mater abundat, hoc vel maxime grandiori fœtu affecto, cum eo tempore ei bonus non sufficiat sanguis, vnde quod in uenis est, nutrimenti necessitatis gratia, etiam quod prauum sit, attrahere conatur. Cæterum dictis quis obijcere posset, quòd in fœmina bruta singulis mensibus, quemadmodum humana non menstruat, nec propterea bruto fœtui nutrimẽtum deest, ergo humano fœtui nutrimentum superfluere, dicendum videretur. Cui cum Hippocrate in lib. de flatibus num. 8. dixerim, quòd differt corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimẽto, præter id quod videmus plantas plurimas similiter, & herbas, non modico succo abundare, & tamen in seminis, & fructuum productione, nõ lasciuire: quod inter herbas petasites, thelephium, semperuiuum, & aloe, inter arbores salix, populus, & vlmus

præter

præter cæteras plurimas oſtendunt. Vnde non quia plantæ, arbores,& animalia, multo ſucco abundant, prolificæ propterea inueniuntur:ſed potius, quia tali vi prædita, & naturæ lege ſic conſtare ad ſpecierum perpetuationem datum fuit. His adde, quòd humanæ fœminæ grauidæ ab initio conceptionis, parciori victu vtuntur, quàm fœminæ brutæ, imo appetentiæ loco nauſeæ,ſubuerſiones,& vomitiones plurimę contingunt,& hoc quia pauco alimento fœtus eget, & pauco adiecto pro matris nutritione ſatis eſt: quod potiſſimum ſi mater prauo ſucco ſcateat videre licet, in qua quia natura eos educere per menſales purgationes, & expellere conceptionis tempore non valet, quibus mater & fœtus læderetur; vt ab eis nedum ſanguis, ſed corpus totum non inficiatur,vomitu educit,vti etiam in quibns ſuperfluit ſanguis,ſæpe per nares,& interdum per vterum, ne multitudine fœtus offendatur,obruaturve,ipſum excernit.ſecus in brutis eſſe conſpicimus.tempore enim conceptionis,& ſucceſſiue magis, plurimo alimento vtuntur,nec pica,nauſea,ſubuerſione, uomitione,aut aliqua alia euacuatione tentantur. quam veritatem oſtendit,quod humanas fęminas in dies variis ex cauſis parũ mẽſtruare videmus,vel ſit quia plurima ſanitate,& corporum temperie abundant, & propterea pauca excrementa colligunt; uel quia ſicciori victu uiuũt;aut quia ſiccioris naturæ ſunt;uel quia plurimo exercitio utuntur: quæ dum grauidantur, nec pica, nec uomitu, aut aliquo ſymptomate corripiũtur, & hoc quia excrementis non abundant, & tantum nutrimentum ſumunt, quantum pro alendo ſe & fœtu congruum exiſtit: quæ & minores a partu habebunt purgationes, & earum fœtui nutrimentũ ſuperfluum non erit. quare cum his nutrimentũ non ſuperfluat, variolis,aut morbillis tentari non deberent. ſecus tamen quotidiana experientia demonſtrat. Nam & ſi mitiores, & in minore copia morbillos patiantur, eis tamen detinẽtur omnino dicente yſac.cap.27.in tract.de febrib.quòd nullus remanet qui eos non habeat.& Razes dixit,ac ipſa peſtilentia per ſe efferueſcentiæ & ebullitioni quæ in muſtis cum feruent euenit ſimilis apparet. Atque iccirco omnes propemodum huiuſmodi morbo ſunt obnoxii,quorum ſuperfluum nutrimentum cauſa ex probatis eſſe non poterit. Rurſus quis ex multis & copioſis in puerperio excrementis copioſiore alimento fœtus in utero abundare,inſta-

re

re posset: quod non ad nutrimenti copiam sed ad eius malitiam potius, cum Galeno primo de sympt. caus. & tertio de morb. vulgar. locis supra citatis referendum affirmamus. sæpe enim contingit, ut morbifica mulier concipiat, cuius fœtus, præsertim grandior effectus, cum ei bonus non sufficiat sanguis, prauiori nutriri coactus est: hinc plurima excrementa gignit, quæ natura expellit, in tunicis colligit, & à partu euacuat. quam veritatem Galenus primo de sympt. causis. cap. primo, sic inquiens demonstrauit, ipse autem fœtus alimenti quod attrahit excrementa, in duplicibus membranis reponit. quare, non quia multa, & copiosa in puerperio excrementa contingunt, propterea copiosiori alimento fętum abundare dicendum est; sed potius quia prauiori nutritur, à quo plura excrementa colligit, & in membranis reponit, quæ tandem à partu euacuat natura. Cum itaq; sanguis, nec quia superfluit, nec quia praua qualitate præditus est, morbillorum causa esse non possit, quomodo eorum causa sit, diligentius inquiramus.

Cum sanguis quo fœtus in utero nutritur per se quantitate aut qualitate non peccet, quomodo variolarum & morbillorum causa esse possit dilucidatur. Cap. VII.



Anguinem quo fœtus in vtero nutritur, nec quantitate nec qualitate peccare, capite superiori probatum fuit. quare variolas & morbillos ab eo fieri non posse, videretur dicendum. At nos secus pro veritatis tuitione tenentes dicimus, nutrimentum, quo fœtus in vtero nutritur, morbillorum causam esse, quod nutrimentum, & quia turbatio in sanguine non fit, vt supra ex lib. de natura pueri num. vi. probatum fuit; rursus quia singulis mẽsibus, sicut prius fluere solitus erat, amplius non fluit, mẽstruus proprie appellari non debet. Ex eo enim nedum nutiri, sed magis & melius in vtero fœtus interimi commode posset, vt Abeuzoar. lib. 3. tract. 3. cap. 4. satis docto sermone demonstrauit, cum non tantum ipsi sed etiam animantibus, arboribus, & inanima-

tis ipsis, Plinij lib. 7. cap. 15. testimonio, innumera mala proueni re, conscripta locutione clare habeatur. Sed nihil facile reperitur mulierũ profluuio magis mõstrificũ, acescunt enim superuẽtu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorũ germina, & fructus arborum quibus insidere decidũt, speculorũ fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri perstringitur eborisq; nitor, aluei apũ emoriuntur, æs etiã ac ferrũ rubigo protinus corrumpit, odorq; dirus aera, & in rabiẽ aguntur gustato eo canes, & insanabili veneno morsus infigitur. Quam veritatem Fernelius lib. 7. cap. 7. confirmauit. Quare ex dictis menstruum supradictum non esse illud, quo fœtus in vtero nutritur, ita manifestum est, vt nõ sit quod probẽ. Et si quia ante conceptionẽ tale fuit, & in mẽstruante muliere post enixionẽ, tale futurũ, sit, menstruum cum Auicenna, quoquo modo appellare possimus. vnde cũ proprie menstruus sanguis nõ sit, malitiam ob perturbationẽ in eo factã, & quia extra propriũ locum, a natura expellitur, & pro contracta mora in vtero, similiter a motu & aspectu lunæ suscipit, non habet hinc peccatũ, nisi prauo succo mater abundet, ipsum non possidere cap. 4. probatũ fuit. propterea matrem & fœtũ non lædere credimus. Cęterũ cum eo sanguine, qui singulis mensib. solebat expurgari, fœtus (vt dictũ est,) in vtero nutriatur & ille cũ eo quod in dies in ipso deperditur, & in eo augetur, idẽ nõ sit, nisi reiteratis coctionib. in aliti & aucturi fœtus substantiã, quia cũ eo identitatẽ nõ habet, conuerti non potest, excremẽta inde ex naturæ nutrimenti necessitate generantur. Quam veritatẽ Gal. primo de sanit. tuen. cap. 3. conscripta loquutione declarauit. Cũ eorũ quotidie præter insitũ ipsis calorẽ cunctis animalibus nonnulla substantiæ portio defluat; nec est aliter huius iustũ seruasse modũ, quam vbi potionis, respirationis, & arteriarũ motus ope frui, ex quibus necesse est excrementorũ prouentus cõtrahi. Nam si quale erat ipsum quod effluxit, tale prorsus adiũgere, agglutinareq; ei per totum nutrimentum liceret, optimum id saluberrimũq; plane esset. nihil autẽ eorum quæ edũtur, bibuntur ve, eiusmodi prorsus est. Necessarium naturæ fuit, ea prorsus immutare, concoquere, & quàm fieri maxime potuit efficere, corpori alendo restituẽdoque similia. in quo opere, si quod nec cõfectum, nec prorsus assimilatum est, id corpori nec admiscetur, nec crescit, sed per ipsius latiora intus spacia, tanquã superuacaneũ

R erat

errat. Cum igitur esse, bibereq; animantib. necessaria sint, has aũt res sequatur excrementorũ generatio, hinc natura non solũ ipsis excernendis, excludẽdisve, instrumẽta instituit, uerũ ẽt instrumẽtis ipsis facultates inseruit, quib. incitata, quædam ad se trahunt, quædã aliis trãsmittũt, quædam excremẽta expellunt. Quare si vt deperditum resarciatur, natura nutrimentũ constituit, eo magis & quia in fœtu aliquid in dies cõsumitur, & quia ipse augetur, alimento fœtus opus habet, dictisq; de causis excrementa plurima gignit, quæ & cõformia, & diuersa a natura sanguinis fieri, putandũ est. Quare quod à natura sanguinis diuersum & serosũ est, in tunicis amnion & allantoyde colligitur. at nõ tantum hæc sed crassiora quoq; gignũtur, quæ duorũ generũ sunt. nõnulla. n. fæculenta existunt, minus fæculenta altera. Prima ad intestina trãsmittuntur, ad lienẽ altera. quæ ad intestina, papauerculũ ab Arist. 7. de nat. animal. cap. ex appellatur. quod cũ picis, & atrioris; crassiorisve sanguinis naturã sapiat, crassiorẽ ẽt sanguinis partẽ esse, qui ꝓ fœtus nutritione congruus nõ erat, credendũ est. Modo memoria repetere oportet, quæ primo lib. cap. 17. dũ de calore verba fecimus, dicta fuere. Adultorũ nẽpe calorẽ, ex Galeni ẽt in variis locis decreto, tum uel maxime prima aph. 14. & in lib. aduersus Lycum, respectu caloris infantiũ, & puerorũ, acriorẽ, mordacioremq; esse, vt qui in sicciori, terrestrioriue substãtia fundetur; blandiorẽ, mitioremue econtra, infantium, & puerorũ vt qui in aerea aqueaq; substantia consistat. Vnde etsi siccior, terrestriorue matris sanguis, a semine & loco humidior, blandior & magis aereus a calore per coctiones reddatur, non est propterea, vt ad blanditiẽ, aqueitatem, & aereitatem, totus, & per totum ita cõmutetur, ut nullã prorsus terrestreitatis, siccitatis, acredinisue maculã, in eius aliqua portiuncula non retineat. quod. n. natura tale est, ex toto immutari non potest. Quam veritatem primo de diff. febr. cap. 3. sub exẽplo allii, cæpæ, ocymi, urticæ, & cæterorũ docuit Galenus quæ etiam per reiteratas coctiones a natura mutata ab eorum acredine ita denudari expurgariue non possunt, vt sanguinẽ acrẽ non gignant, & si omne quod nutrit, sub ratione qua dulce, nutrire aptum sit. hoc autem respectus & latitudinem habet. Quare, etsi sanguis matris, ab innato cõplantatove fœtus calore, ad aqueitatem, aereitatem, & blãditiem reducatur, non est propterea, cum natura siccior; terrestriorve existat, quin

quin

quin acrius quoddam, terrestreue in dies & sensim, etsi paruum excrementum generetur. Quod cum in pauca quantitate, & quasi parua gutta sit, unaque cum benigniore sanguine misceatur, & quoquo modo ab eo inuoluatur obruaturue, sua acredine naturam non stimulans aut lædens, intra venas, pro fœtus alimonia cum bono attrahitur, & recipitur: qui nouem aut vndecim mensium cursu, in aliqualem quantitatem euadit, plus minusue secundum fœtus temperamentum, alimenti acredinem, terrestreitatem, nec non loci maiorem minoremue caliditatem, præter id quod in ventre conclusus puer libere perspirare non valet; propterea multa uaporosa recrementa colligit, quæ per morbillos euacuat natura: Quod Gal. primo de sanit. tuend. cap. 5. confirmauit, quando ex respiratione & arteriarum motu excrementa generari asseruit. Quæ excrementa Razes sequentib. uerbis delineauit. porro generatur pestilentia, cum putruerit, ebulliatque, vt recrementa vaporosa, & limosa perspiratu discutiat. quos autem morbos spiritus procreet, late longe quæ in lib. de flatibus docuit Hippocrates. vaporosa itaque recrementa, a cõclusa respiratione, limosa vero à terrestriori sanguine generari ex dictis manifestissimũ censemus, quibus naturam assuescere, quia sensim & paulatine generantur; rursus quia cum eis natura adolescit, rationi consonum est. Quæ aliquando a contracta mora putrescere quia excrementa sunt, Galeni 3. de facult. nat. cap. 12. sequentia verba ostendunt. Siquidem excrementa singula, si moram in corpore diutiùs trahunt, putrescunt, alia spatio breuiori, alia longiore: itaque mordacia, & acria, atque his qui ea continent infesta redduntur, quod Auicennas prima 4. tract. 4. cap. 6. sic inquiens cõfirmauit. quare putrescit ab eo illud, quod admiscetur ei de reliquiis nutrimenti sui menstrualis, quod est in prægnatione: Quod excrementum, quia terrestre est, etsi natura, & præ adustione acre, corruptionem nõ facile suscipit, sed interim, aliam sanguinis massam inficit, atq; fermẽtat, a mẽbris tamen principaliorib. remotum, & cuti uicinũ. Quam sententiã confirmauit Ysach, in libro de febribus cap. 27. ad principiũ. vnde quia (vt dictum est) cũ eo adoleuit, & assueuit natura, ab alia que benigniori sanguinis massa, ut à cinerib. ignis inuoluitur, a se ipso non mouetur: sed sicut cineres ignis caliditatem & splẽdorem, manifestari & agere absq; impulsore, & agente exterio-

re,non ſinunt,ita benignior ſanguis acriorem, limoſioremq; inuoluens,& fere obruens,ipſum mouere,& agere,abſq; agente & impulſore non permittit. Rurſus cum ab acriori dicto ſanguine, natura ſtimulata nō ſit, ipſum a ſe expellere, quoad ſtimuletur non tentat.hinc ad ſenectam quandoq; etſi raro, ut eius motus protrahatur euenit: hoc uel maxime, ſi motor cum quo analogiam habeat,ei non occurrat: cum motore.n. vt analogiā habeat, oportet. quæ analogia, ut motus & ebullitio in ſpuma illa aerea fiat,operatur: rurſus acriora terreſtrioraue gignit, & inde morbilloꝝ materiā auget. Quam ueritatem Auic. eodē citato loco, ſic inquiens,demonſtrauit.& de cibis ſunt cibi, qui ebullitionē excitare ſolent, & præcipue ſi poſt eos medicinæ calefacientes adminiſtrentur, vnde medicinæ acredinē,& præ adiectione terreſtreitatē in materia inducūt,& dicta cibaria ebullitionē excitant. Quare hic motus ex parte eſt naturalis,& ex parte præter naturam. naturalis eſt ſanguinis a materia acriori ipſum fermentante defęcatio,& emundatio. hinc Princeps citato loco dixit,& de hoc eſt cauſa quaſi naturalis,ſanguinis ebullitionē faciens. præter naturalis uero eſt ex parte qua humor putreſcit.quare dixit,quandoque accidit ebullitio in ſanguine,ſecūdū ſemitā putredinis.ſupra quoq; ait.quare putreſcit ab eo illud,quod admiſcetur ei de reliquiis nutrimenti ſui menſtrualis. Razes quoque ſupra eandem ſententiā ſub illis uerbis cōfirmauit.porro generatur peſtilentia, cum ſanguis putruerit,& reliqua.& paulo inferius dixit, illi igitur eo corripiuntur,qui ſuperfluam in venis,humiditatē, aut vitioſam qualitatē,peruſtamq; vehementer habent.in qua oratione notandū, ꝙ ſanguis ſpumoſus & aereus ebullit, vt fęx terrea, limoſa,corruptaue expurgetur. Vnde quæ ī hac ebullitione ebulliunt,duorum generum ſunt. vnum eſt,& ut plurimū, ſanguis ille aereus,aqueusve,ſuccis pomorū, & vuæ correſpondens; propterea dixit Auic. ſicut eſt illud quod natura facit in ſucco uuæ: & Razes dixit,at infantium ſanguis & iuuenū muſto correſpondet,quod nondum abſoluta coctione elaborari, nec ad eam cōmoueri inceperit. Et paulo inferius. At ipſa peſtilentia per ſe, efferueſcentiæ & ebullitioni, quæ in muſtis, cum feruent euenit, ſimilis apparet. alterum vero terreſtre & acre. Inde dixit. putruit in eo ſpuma aerea & fæx terrea. quare non ebullit aereum per ſe, nec putret, etſi multam humiditatem

poſſi-

possideat, si humiditas & caliditas ætati consona est: Quæ alias excedentes, & ætati non consentientes, ex 4. Meth. potissimę causæ putredinis existunt. Sed hoc magis euenit, vt fex & limus terreus, tanquam ethereogenum, & excrementitium, propterea corruptum; expurgetur, sanguisque aereus, aqueusve infantili ætati conformis, remaneat. hinc Princeps dixit. Et cibi fęculenti, & mali sunt ex illis, qui adaugent reliquias nutrimenti sui mēstrualis, quod est in prægnatione. & hoc est illud analogum impellēs & mouens, cui etiam accedit, rarificans substantiam eius, & faciens eam ebullire, donec fiat ei substantia recta fortior prima, & magis apparens. & hoc quia homogenea etherogeneis puriora sunt: cuius puritatis ratione, & identitatis formæ, cum in se tantam contrarietatem non habeant, & retineant, contrariis magis ac melius apponuntur, & resistunt. Vnde ex his constantia, a limosa, terrestrive, & vaporosa materia expurgata, diutius & commodius seruari possunt. Sanguinē itaque quo fœtus in vtero nutritur, internam causam morbillorum esse, ex dictis manifestissimum est. Cæterum, an semel tantum, an reiterato morbilli succedant, quæri solet. Vnde quemadmodum in vino euenit, quod post ebullitionem, clarificationemue, iterum turbidescere potest, ad sufficientiam fęce terrea non expurgata; similiter & in sanguine, quando fęx illa terrea exacte adamussim ve expurgata non est, cōtingere solet: iterum enim ab impulsore ebullitione concitata, morbillos procreat iusta dictum Hippocratis. 2. Aphor. 12. quæ relinquntur in morbis recidiuas causare solent. hinc dixit Princeps, & multoties, variolatur homo duabus vicibus, quando aggregatur materia ad expellendum bis, contra vulgares, qui semel tantum, morbum hunc inuadere affirmant, & amplius non redire, & si vt plurimum vnica ebullitione, sanguinem a fęculentia mundare natura solita sit. Quam defęcationem, emundationemve, perfectam non fieri, vel ex naturæ imbecillitate, vel materiæ inobedientia, aut ex pororum angustia, aut quia tanta causa impellens quæcunque sit illa non præcessit, quæ talem tantamue ebullitionem excitare valeat, qua totum fęculentum expurgetur, putandum est. Quæ (vt dixit Princeps) ab impulsore adaucta & ad sufficientiam aggregata, iterum ebullitione concitata, morbū hūc gignere valet. Modo vt veritas magis elucescat, quæ cōtra positionē nostrā facere vidētur ꝑpendamus.

Conclusio quæstionis

[illegible]

R 3 *Excre-*

Excrementum à ſanguine quo fœtus in vtero nutritur Morbillorum, & Variolarum cauſam eſſe non poſſe, pluribus rationibus probatur. Cap. VIII.



VLTA variaq; poſitioni noſtræ aduerſari, ita pro comperto nobis eſt, vt dubitatione careat omnino. hoc autem ex illo prouenire putandum eſt; quia vt Hippocrati, in lib. de decẽti ornatu, & alibi placuit, opinio facit ignorare, & ſcientia ſcire. quare cum variæ, circa dictarum cauſarum cognitionem, opiniones exiſtant: quæ illarum ſcientia dici poſſit, non modicam dubitationem habet. vt tamen rei veritas magis eluceſcat, & ſcientiam eſſe, quod diximus manifeſtetur; potiores rationes, quæ in contrarium probatæ ſententiæ facere videntur, recenſere non grauabimur. vt ipſis dirutis, opinio noſtra magis roboretur.

Prima itaque ratio talis erit. febris, vel poſſe febrire, ſic etiam barbeſcere, vel poſſe barbeſcere, eſt quid cõe omnib. hominib. & neceſſario inhærens. à communi igitur cauſa fient. & tamẽ non eſt neceſſarium, talem communem cauſam horum, eſſe aliquod excrementum, vnum idemq; numero à principio generationis cõtractum; vel vnum aliquem humorem, eundem numero diutius à prima generatione reſeruatum, vt vnicuiq; compertum eſt. ſed horum cauſa ſtat in habilitate, & potentia humorum & excrementorum, quæ ſemper alia & diuerſa numero, in homine regenerantur. ergo neque etiam eſt neceſſarium, morbillorum morbum, qui vt putat Auerro. omnibus eſt communis, & neceſſario aliquando contingens, habere cauſam aliquam communem, quæ ſit aliquod excrementum, vnum idemq; numero exiſtẽs, à principio generationis reſeruatum, & à natura relegatum ad venas ſub cute exiſtentes, vt aſſeritur; ſed ad ipſum, ſatis erit habilitas & potentia humorum, & excrementorum, quæ in dies alia & diuerſa numero in homine regenerantur.

Secunda ratio eſt, quoniam non videtur verum, vt aſſeritur, fœtum ex ſanguine non ſibi proportionato nutriri; cum reſpectu ipſius, ſit magis terreſtris, quàm par ſit, atque ideo generari

excremen-

excrementum quoddam terrestre. nam secundum philosophos, & medicos, materia, quæ est proportionata generationi alicuius, est etiam proportionata nutritioni. nam ex quibus constamus, etiam nutrimur: sed fœtus constat ex sanguine matris, tanquam ex sibi proportionata materia: ergo ex illo etiam nutrietur tanquàm ex proportionata materia. non igitur potest dici, quòd sanguis matris sit nimis terrestris, respectu fœtus. Quòd verò dicitur non solum concurrere sanguinem matris, sed etiam semen vtriusque, nihil est. nam secundum medicos, ex semine generantur partes solidiores, spermaticæ dictæ; ex sanguine vero, partes carniformes, quæ sunt humidiores. modo si sanguis mulieris, est proportionatum nutrimentum, adeoq; respectu illarum non est nimis siccum, & terrestre; ergo multo minus poterit dici, quòd sit terrestre respectu partium solidarum.

Tertia ratio est. si fœtus in vtero, vt asseritur, nutritur ex sanguine optimè laudabili ipsius matris; cum inter concoquendum, ab optimo laudabiliq; nutrimento, vt omnes medici asserunt, paucum, & minimè noxium excrementum succedat; non ergo videtur verisimile, ꝙ in fœtu ex concoctione illius optimi sanguinis, possit relinqui excrementum illud tàm prauum, & venenosum; quod postea, sit fomes morbi huius praui, & contagiosi, venenosam qualitatem præferentis.

Quarta ratio est. quoniam non videtur verum, quòd ex sanguine laudabili tantum, & non menstruali, vt asseritur, siue vitioso, fœtus generetur, & nutriatur: nam secundum medicos, eadem est materia nutrimenti fœtus, in vtero existentis, & lactis: sed sic est, quòd materia lactis, non est solus sanguis bonus & laudabilis, sed etiam menstrualis, & vitiatus; ergo eadem erit, etiam materia fœtus, & nutrimenti ipsius. Assumptum vero probatur, quoniam si lac solum ex sanguine generaretur, non posset reddi ratio (cum in dies videamus à fœminis secedere, vt multæ sint libræ lactis, quæ à vaccis, & capris colliguntur singulis diebus, vt ad sensum est perspicuum) quomodo possent illæ viuere tot libris sanguinis boni euacuati singulis diebus? ad minus semper ægrotarent, atque id tanto magis, quanto semper id quod per coctionem fit, ex aliquo altero, videtur esse minus illo altero, quod fecit ipsius materia. vnde pro sex libris lactis, nō sunt satis sex lib. sanguinis; sed requirūtur octo. quomodo igitur si in dies

ab aliqua fœmina, extrahătur octo lib. ſanguinis boni, illa poterit viuere, vt videmus viuere, extractis ſex lib. lactis? ſignum igitur eſt ipſum lac generari etiam ex ſanguine vitiato, conſequenter etiam fœtum nutriri ex ſanguine vitiato.

Quinta ratio eſt. ſi in fœtu neceſſario colligitur tam prauum excrementum, cum natura non deficiat in neceſſariis, ſicut aliis excrementis, (ne animal læderent) propria condidit receptacula, ad quæ illa tranſmitterentur (videbat enim talia excrementa neceſſario debere generari in animalibus) igitur à pari, & fortaſſis multo magis, huic prauo excremento, fomiti huius morbi, debuiſſet natura condere aliquod receptaculum, ad quod, (ne hominem poſtea læderet tranſmitteretur. ſed cum natura hoc non fecerit, ſignũ eſt, non eſſe habendam talis excrementi rationem.

Septima ratio, cum natura de poſſibilibus ſemper faciat quod melius eſt, videns ergo tale excrementum tam prauum, neceſſario debere relinqui ex ſanguine bono, quo fœtus nutritur, & ipſum non poſſe ob ſui craſſitiem per poros cutis tranſmitti; deberet igitur illud ad inteſtina demandare, vbi collectum non læderet hominem, vt lædit demandatum ad loca ſub cute exiſtentia: quod cum natura non fecerit, ſignum eſt, non eſſe neceſſarium dari hoc excrementum.

Septima ratio, ſi tale excrementum coaceruatur in vtero ſpatio nouem menſium, ergo infans, ſaltem deberet naſci prauo colore infectus: nam ſanguis ad cutim illius veniens, inficeretur illo excremento, & ſic cauſaretur in cuti infantis prauus color. quod cum non ſit neceſſarium, relinquitur ergo neque neceſſario dari hoc excrementum.

Octaua ratio eſt, ſi ſub cute infantis, tanto tempore in dies coaceruatur tam prauum excrementum, quod ob ſui putredinem, aliquam habere adnexam mordacitatem, veriſimile eſt; puer igitur magna ex parte, pateretur ſecundum Gal. illam laſſitudinem, quàm vlceroſam nuncupăt medici: nam cum in ambitu totius talia redundant excrementa, fit talis laſſitudo vlceroſa. quod tamen aſſerere falſum eſt.

Nona rõ eſt, ꝙ tunc infans refertus tali excremento, ſemper naſceretur debilis & infirmus. Quod aũt dicebatur puerũ a tali excremẽto cũ illi per tot menſes ſit aſſuetus, non lædi; nõ ſatisfacit, qm̃ à pari liceret dicere hominem adultum, ab eodẽ non lædi,

di. quamuis coniuncto cum aliis excrementis, quæ in dies generantur in ipso. nam vt se habet infans ad sua excrementa interna, sic etiã se habet adultus ad sua. vnde si infans quia assuetus non læditur a suis; neque etiam adultus à suis, consimili ratione, aut saltem multo minus lædetur.

Decima ratio. Cum alia excrementa, quæ in homine generantur, quamuis crassa, & adusta sint; nihilominus à natura extra cutim transmittantur in adultis, ex quibus postea pili generantu; cur igitur, est quod etiam hoc excremẽtum extra cutim. non transmittitur à natura, quæ alioquin deberet esse magis sollicita de hoc propulsando, tãquàm magis prauo, quàm de quouis alio ex quo pili possint generari?

Vndecima ratio est, quia satis mirabile esse videretur, cum ex sententia Galeni euacuentur excrementa per balnea, tum à cute, tum etiam ab ambitu totius corporis, cũ nutrices per multum tempus balneis exponunt ipsos infantes, quod hac ratione, tale excrementum ex toto non euacuetur.

Duodecima ratio, si hic fomes tractu temporis facit sanguinis ebullitionem & putrefactionem, (vt asseritur) ad quam sequitur morbillorum morbus, quo se expurgat natura à tali excremento; ergo ad omnem febrem synochum cum putredine, cum in ipsa adsit sanguinis ebullitio, deberet sequi morbus iste. quod falsum est: nam si excrementum illud, mediante sanguinis ebullitione causat morbillos, ergo febris synochus, sine illo excremento, cũ causa sit ebullitionis sanguinis, poterit causare eundẽ morbum; ergo talis fomes non est causa necessaria huius morbi.

Decimatertia ratio, si hic fomes putrescens, est in causa putrefactionis sanguinis, cum aliquando humor biliosus, & pituitosus, possint esse magis ad putrescendum apti, quàm sanguis: ergo tangens humorem pituitosum, ipsum putrefaciet, & sic natura insurget ad ipsum expellendum, cum humore pituitoso, quem (vt clarum est) non est necessarium, per cutim expelli, cum possit expelli per secessum, & per vrinam. non ergo necessario causabit hunc morbum, quo mediante ipsum euacuetur, cum possit euacuari causando alios morbos per alias vias.

Decimaquarta ratio, si vetus hic fomes, vt asseritur, tunc solum producit hunc morbum, cum est adiutus ab aliqua alia causa, quæ sibi adiumento sit, vt puta, vt dicebatur, quia sibi nou-

ua adduntur excrementa: Ergo cum causa, quæ illud adiuuat, debeat sibi esse in virtute similis, alioqui non adiuuaret, sed impediret; poterit in tantum augeri talis causa, vt cũ sit similis, virtutis illi fomiti prædicto, vt se ipsa sola absque illo fomite, potens sit, talem causare morbum. non ergo tale excrementum à principio generationis derelictum, est causa necessaria præsentis morbi. Nunc ad dictarum rationum diluitionẽ accedamus.

Fit satis rationibus in contrarium adductis, & positio propria firmatur. Cap. IX.



MVltæ fuerunt in præcedenti capite recitatæ rationes, quæ contra positionem nostram facere videntur. Quibus tamen non obstantibus, assignatam à nobis morbillorum causam, verissimam affirmamus, quæ certior adhuc, veriorque apparebit, & in robore magis confirmata persistet, si dictas rationes radicitus euellemus, easque protinus diluemus. Qua de re primo ad primam, ad cæteras verò successiue, sequenti ordine respondemus.

Primæ rationi ita fit satis. Morbillorum nempe morbum, vtique supponere habilitatem & potentiam in humoribus, ex quibus pendet, sicut febrire, & posse febrire. si quis enim tollat potentiam, & humorum habilitatem, hos etiam effectus tollat, necesse est. Sed cum unus effectus differat ab effectu alio sicut vna natura differt ab alia, sic etiam rationabile est, aliquid requiri ad hunc effectum producendum, quod non requiritur ad alium. vnde non mirum si præter humorum habilitatem & potentiam, in hoc morbo, tanquàm causa necessaria, excrementum illud requiratur, vnum idemque numero, à principio generationis reseruatum, de quo est facta mentio. non potest enim hic effectus in aliam magis rationabilem causam referri, nam vtique excrementa numero diuersa, quæ in dies in homine generantur, multos pariunt, & diuersos morbos; sed hic noster morbus pendet ab vno eodemq; numero supposito excremento. huic accedit, quod materia morbillorum, supponit potentiam necessariam ad ipsos producendos, alia autem contingentem. & hæc ad primam.

Secundæ

Secundæ rationi reſpondemus, nos non negare, ſanguinem ex quo fœtus in utero fit & nutritur, eſſe eius proportionatam materiam, & congruum nutrimentũ; ſed bene dicimus hoc ſimpliciter non eſſe. Nam cum ſiccior terreſtriorue ſit ſanguis matris ſanguine infantis, vt ex lib. aduerſus Lycum, & ex prima aphoriſ. 14. ſupra cap. 7. ſatis longo ſermone probauimus, neceſſe fuit ab humidioribus partibus ſeminis, magiſque aereis, & a loco, (vt dictus ſanguis proportionata materia fœtus, eiuſque cõgruum nutrimẽtum efficeretur) vt ad aereitatem aqueitatemue, per coctiones reiteratas reduceretur. Hic autẽ cum natura terreſtrior ſicciorue ſit, in totum, & omnino, immutari non poteſt, vt primo, de diff. febr. cap. 3. affirmauit Galenus, ſed ex naturæ nutrimenti neceſſitate, terreum aliquod ſicciuſue excrementum generatur: quod quia cum bono ſanguine immiſcetur, & in eo quoquomodo obruitur, naturam non ſtimulans intra venas cũ bono attrahitur, & recipitur. Hoc autem quia excrementum eſt, in aliti fœtus ſubſtantiam, conuerti non poteſt, & aliquando putreſcere opus fuit, interim ſanguinis maſſam inficiens atque fermentans. & hoc eſt illud excrementum quod nos interdum longo tempore, pro morbillorum generatione, intra venas reſeruari diximus.

Tertiæ reſpondemus, utique à laudabili nutrimento, non nimis prauum, & noxium excrementum relinqui: vnde illud excrementum de quo nos fuimus loquuti, à principio non eſt ſatis prauum, & noxium, ſed diutius reſeruatum, noxium, & prauum redditur, adiutum ab aliqua conſimili cauſa; & ad hunc gradum cum peruenerit, modo prædicto fit cauſa morbillorũ, & variolarum. Et ſic tractu tẽporis ob putredinem quam ſuſcipit, venenatam quandam acquirit qualitatem, ab analogo occurrente ſæpe adauctam, & ad ebullitionem excitatam; quæ putredo quanto validior eſt, tanto venenoſior morbus generatur; hoc uel maxime ſi dicta putredo in materia acriori fundatur.

Quartæ reſpondemus, quod ex ſanguine, quo fœtus fit, & nutritur, lac ipſum etiam generatur; ſed non ſimpliciter. propterea tãta copia ſanguinis, ſingulis diebus à corpore mulieris extrahi non poteſt, quanta lactis, ſtante eius uita, & incolumitate, extrahitur: hoc autem ea gratia procedit, quia cum ſanguinis ſinceri extractione, multi vitales ſpiritus extrahuntur, & reſoluuntur,

tur; non ſic autem cum lactis extractione, cum impurus ſit, fieri contingit. Mammæ enim quia glanduloſæ partes, & magnæ ſunt, ad lactis prolificationem à natura conſtitutæ, mirum non eſt, ſi ex ſanguine, & aliis humoribus, cum eo ad ipſas tranſmiſſis, ſatis magnā lactis copiā, ob dictam prolificatiuam facultatem gignere ualent. Ex quibus iam clare elicitur, ſanguinem purum & bonum eſſe materiam fœtus, eiuſque per ſe in vtero congruum nutrimentum; in lacte verò, alios humores à ſanguine, & quandoque prauos poſſe contineri, vt differentia. cap. 48. dixit Conciliator. & ſic non requiritur maior copia ſanguinis, pro lactis generatione, cum non ex ſolo ſanguine generetur. Quo etiam impuro ſi nutritur infans, cum per fæcalia excrementa præter cætera, per coctiones impuritatem elaboratam, ab eo educere natura poſſit; à lacte non læditur: ſecus autem eſſet, ſi ita prauo ſanguine, & cum aliis etiam humoribus, & quandoque prauiorib. mixto, in vtero vbi fęces non generantur, nec eiiciuntur, fœtus nutriretur. excrementa enim ab ipſo genita, & in eo retenta, fœtum interimerent; quare in hac re cætera paria non ſunt. Nec valet quod poſſet dici, quòd in tunicis excrementa natura colligeret. Talia enim cum craſſiora, fęculentioraue ſint, in tunicis ob meatuum anguſtiam, recipi non valerent, præter id, quod tanta eſſet copia, vt tunicæ ipſam recipere non poſſent, quæ in fœtu, vti dictum eſt retentæ ſpiratione intercepta, fœtum interimerēt. ex puriori itaque ſanguine, per ſe fœtus in utero, at non æqualiter ex puro lacte extra nutritur. propterea maior lactis quantitas ex trahi & ſugi, quàm ſanguinis commode poterit, cum alii humores à ſanguine cum lacte ſugātur, quod fęces, & lactis temperies oſtendunt, puriori vero ſanguine per ſe fœtus in vtero nutriatur, quod fęcum carentia ipſa demonſtrat.

Quintæ reſpondemus, neceſſario tale excrementum coacervari in fœtu, ſed huic non oportuit, ſicut aliis natura dari propriū receptaculum; quoniam tantum illis excrementis, receptacula à natura tradita ſunt, quæ nullum habentia vſum, à nutrimento, commiſſa, & retenta, illico, & breui tempore poterant fœtum lædere. at hoc noſtrū excrementum, non niſi tractu temporis & ab analogo adauctum lædit interim cum bono ſanguine mixtus, & in eo obrutus. at cum lædit, à natura ebullitione cōcitata, ad cutim per viam criſis ſtatim detruditur.

Sextæ

Sextę respondemus, cum excrementum illud, præcipuè relinquatur in ambitu corporis, in paruis venis, ex concoctione sanguinis transmissi, ad ambitum totius nutriendum; non potuisse naturam commode illud transmittere ad intestina, tanquã longe existentia; atque adeo illud reseruasse, donec adiutum ab aliqua alia causa, naturam irritando, quod prius non faciebat, esset in causa, vt postea ab ipsa, veluti per quandam crisim (vt dictũ est) ad cutim repellatur, hoc vel maximè, quia dum fœtus in vtero est, intestina suo munere quoquomodo destituta existunt.

Septimę respondemus iuxta prædicta, illud excrementum à principio, non esse tàm praui coloris, vt sanguinem, cui misceatur possit inficere. Vnde propter hoc, non est necessarium, puerũ prauo colore nasci infectum; hoc vel maxime cum in intimioribus recludatur.

Octauæ respondemus, quod si à principio hoc excrementum multum esset, & satis acre, vtique fortasse infans pateretur vlcerosam illam, (vt dicitur) lassitudinem. Sed quoniam à principio, necessario neque satis multum est, neque satis acre, sed tale tractu temporis euadit, ab alia causa adiutum, ideo ratio adducta cessat, & eo magis cum in venis vt supra dictum est recludatur.

Nonę respondemus iuxta prædicta, non esse necessarium debilem, & infirmum nasci infantem, quoniam à principio, illud excrementum, non est tàm multum, neque tàm acre, vt tunc tẽporis, actu possit lædere infantẽ, & hæc coincidit cũ superiori.

Decimæ respondemus, non quoduis crassum, & terreum excrementum, à quo crassi, & terrei eleuantur vapores, esse aptum pilorum generationi, & tale est nostrum excrementum, quod cũ alijs ad cutim natura non transmittit, donec ab illo non sit concitata, quod tunc solum accidit, cum tale excrementum eo deuenerit, vt adiutum ab intrinseca aliqua & extrinseca causa sit adauctum, & ita factum putridum, & mordax, vt quandam præseferat venenatam qualitatem, præcipue cum in ebullitione quãtitateve, & illa praua, excesserit.

Vndecimæ respondemus, eo tempore tam crassum fore illud excrementum, vt ad illud per infantium cutim educendum, balnea quibus vtuntur nutrices, satis non sint; præcipue cum sine ebullitione, ab alio sanguine, tanquam spuma, & separatum excrementum, ad cutim detrudi non possit, cum ad minima

cum

cum alio sanguine sit permixtum.

Duodecimæ respondemus, negantes consequentiam, nam ad hunc morbum procreandum, tanquam necessaria connexa quædam, requiruntur istæ duæ causæ: nempe hoc excrementum putrescens; & sanguinis inde, vt ab excremento defæcetur ebullitio. Vnde altera dictarum causarum, sine altera, hunc morbum producere non valet, cum hic, secundum nos, à duabus istis simul iunctis dependeat. quare non mirum si in febre synoch, esto adsit sanguinis ebullitio, non tamen semper sequitur hic morbus; quoniam non semper sanguinis ebullitio, causatur à putrido, & mordaci nostro excremento, de quo loquuti fuimus; talis etenim sanguinis ebullitio, quæ à putredine huius excrementi ortum ducit, sola est, (secundum nos) necessaria causa morbillorum, & non quæuis sanguinis ebullitio.

Decimætertiæ respondemus illud excrementum putrescens solum habere uim faciendi putredinem & ebullitionem sanguinis, ob analogiam quam habet ad ipsum, non autem ad alios humores; & hoc quia cum sanguine mixtum in venis reseruatur, & ideo ipsum tunc solum detruditur à natura ad cutim, cũ sanguinis ebullitionem accẽderit. Quod autem aliquid vni noceat & non alteri, consequenterve vnum putrefaciat, & non alterũ, qui varias, & illas quidem abditas rerum naturas considerat, facile id concedet. vnde non mirum si hoc nostrum excrementum putrescens solum sanguinem putrescere & ebullire faciat, nõ autem alios humores ab illo separatos. quia cum eo immixtum ipsum fermentat: & cum aliis humoribus non reseruatur, nec immiscetur, nisi per accidens.

Decimæquartæ respondemus vtique excrementa posteriora, quæ adiuuant veterem illum fomitem morbi, de quo loquimur, illi esse similia; non tamen propterea sequitur, quod ipsa sola, absque vetere fomite, hunc morbũ producere possint; quoniam necessario, vt diximus, ad hunc producendum, præexigitur excrementum à principio generationis congenitum, nempe in vtero, vbi talem prauam qualitatem acquisiuit; quæ suo tempore cum ab aliis fuerit adiuta, hunc morbum producere potest. at similia cum vterina clausura, & consecutionis ratione praua illa qualitate careant, per se morbum hunc gignere non valent. Ex dictis clarissimum est, sanguinem quo fœtus in vtero nutritur,

causam

Duæ causæ requiruntur in Variolis et morbillis

cauſam mediatam neceſſariam morbillorum eſſe. qua ſic firmata, cum hæc abſque cauſarum extrinſecarum occurſu agere non poſsit, de ipſis modo dicere tempeſtiuum erit.

De extrinſecis cauſis. Cap. X.



VCVSQVE de cauſis intrinſecis Variolarum & Morbillorum, vt quæ tempore extrinſecis priores ſint, cum in vtero vna cum fœtu generentur, & cum eo adoleſcant, ad viuum in præcedentibus capitibus tractatum fuit. Verum enim verò, quia per ſe, & abſque impulſore, dictas cauſas moueri, & agere non poſſe, ſancitum eſt; hinc de extrinſecis cauſis motum excitantibus, & cum natura ipſum perficientibus, in præſentiarum tractare, congruum viſum fuit; de quibus, etſi ex Auicenna, & Raze, plura ſupra, tertio, & quarto capitibus, dicta ſint; vt tamen magis collecta doctrina habeatur, & diſtinctior ordo ſeruetur; in hoc capite, omnes extrinſecas cauſas enarrabimus, de quibus Auicēnas, prima quarti trac. 4. cap. 6. ita ſcriptum reliquit. & de hoc eſt, cuius cauſa eſt res adueniens extrinſecus, ebullire faciens occulta, quæ permiſcet humores cum ſanguine. Inter quas excitantes cauſas, primariam aerem ponimus, vt qui ad omnes procreandos morbos, & præcipuè vniuerſales, potiſsimum concurrat, iuxta dictum Hippocratis, 3. aphoriſmorum, primo. Mutationes temporum potiſsimum cauſant morbos. quam ſententiam clarius, & melius, in libro de flatibus ſtabiliuit, quando aerem vitæ, & morborum authorem eſſe affirmauit. vnde calidus, & humidus aer, nempe auſtrinus, ebullitionem maximè progignere poteſt. propterea dixit Auicennas, quòd variolæ multiplicantur in ſucceſſione auſtrinorum, & dum eorum perflatio multiplicatur. quare ſi diù non ſpirarent, ebullitionem in ſanguine inducere non valerēt, quam ebullitionem, ſtatus ſub ſole, & inſuetus labor, præſtare poſſunt. Cibi inſuper calidi, & humidi, vt qui natura ſunt putreſcibiles, & ad ebullitionem parati, variolas, & morbillos excitare ſolent, hoc, vel maximè ſi ſunt inſueti. hinc Auicennas loco citato dixit, & de cibis ſunt cibi, qui faciunt cadere in variolas velociter, & propriè quando non ſunt conſueti, ſicut lac camelorum, & equarum, præcipuè ſi ex eis multum repleantur, qui comedere

non

non sunt assueti, & hoc maximè si larga vini potio sequatur, vel medicinas calidas sumpserint: comestio rursus pulticulæ, mellis, rerum vnctuosarum, carnium suillarum, cœparum, similiter & vini dulcis larga, & lóga potatio, idem præstare solent. in omnibus autem, (vt dictum est) concurrit aer. Cæterum variat hic morbus, pro temperaturarum differentiis, victu, habitu, ambiente nos aere, & sanguinis, qui in venis continetur, qualitate, & copia. ex quibus fit, vt morbilli in quibusdam tardius inuadant, rursus in aliis augeantur, & in aliis minuantur; in nonnullis fiat qualitate admodum prauus, in aliis verò, minus prauus morbus existat: Qui secundum materiæ diuersitatem, & ipse inter se maximè variatur. non quod semper, ab acriori, terrestrioriq; materia, morbus iste non fiat; sed quia cum eo alij humores, secundum eorum dominium in venis immiscentur, ebulliunt, & putrescunt. hac de re secundum dictorum humorum variorum naturam, varij quoque & ipsi efflorescunt, propterea morbilli, quia in altum promunt, a calidiori, subtilioriq; materia generantur: at variolæ cum exuberantes non sint, & in altum non tollantur: a crassiori materia ortum ducunt. quæ rursus vti variæ colore sunt; ita earum materia variatur. si enim rubeæ sunt vti plurimum esse solent, à sanguine fiunt; si pallidæ à bile; si albæ, à pituita; si nigræ à melancholia, vel à superassata bile initium trahunt; vti virides à prassina: interdum vero fiunt miliares, squallidæ, quæ parum eleuantur, & in vesiculas aliquantulum crescunt, hæc feruentis aquæ ampullas, etsi humiliores representant: quæ à phlegmate salso generantur. Et hæc de causis dicta sint satis. Modo de signis agamus.

Variolæ fiunt varij coloris pro diversitate [illegible], cui associ- [illegible]

Signa varia Morbillorum, & variolarum ex Auic. & Raze explicantur. Cap. XI.

PRAESENTIS morbi signa, pro temporum ipsius varietate, varia apparent. Nonnulla enim morbillorum initio correspondent, alia ab eorum exitu, tertia cum ex toto ad cutim materia detrusa fuerit, innotescunt. Quæ signa cum eadem, & eodem modo, in omnibus non appareant, & propterea pathognomonica, secundum totum, dici

non

non poſſunt, ſingulis temporibus ſua dari non ualebunt, ſed indiſcriminatim etiam poſita, quiſque rationabilis, ſingula ſingulis, ſecundum opportunitatem reddere poterit. Initij itaque ſigna ſunt, febris continua, & eo maior, quo copioſior, aduſtior, magis putris, & conſequutionis ratione uenenoſior materia extiterit. unde tunc quia mordacitatem inſignem poſſidet, ſceuiorem morbum pariet hinc ob eandem cauſam, uniuerſalis corporis punctio ſuccedit, cui mador etiã uniuerſalis conſequitur, ac ſi corpus eſſet lauatum, & male exiccatum. Caput dolore pulſatili premitur, & interdum patientes alienantur, quibus timores & iectigationes in ſomno fiunt. materia enim tenebroſa eſt, & horribilis: interdum etiam epilepſia corripiuntur. facies primo rubet, ſuccedente uero tempore tumet; in qua, ante quartam, iuxta nares, maculæ rubeæ apparent, quæ modo deliteſcunt interdum redeunt, & hoc uſque ad quarti initium, quo tempore manifeſte exeunt, per uiam criſis a natura materia ad cutim de mãdata; illinc ad parum oculi illacrymant, lippi fiunt, ſed antea patientes lumen refugiunt, poſt hæc aliquando ex toto claudun tur. nares pruriunt, & ſternutationes crebræ ſuccedunt; uiſcida expuunt; & dura comedere interdum non ualent; oſcitationes, & pandiculationes ſæpe ſæpius infeſtant; inaniter tuſſiunt, & pectore premuntur; rauci fiunt; difficulter deglutiunt, & aliquando ſuffocantur: euomunt uaria, & ſitiunt, dolet uenter, & dorſum; aluus adſtringitur, prout materia ad cutim uniuerſaliter, ad caput, ad oculos, ad os, ad nares, ad guttur, ad pectus, ad uentriculum, ad uentrem ad dorſum à natura magis expellitur. inter cætera autẽ ſigna, hoc vnum maximum putato, Morbillos nempe publicè graſſari. de contagioſorum enim morborum numero vnus exiſtit. Pulſus varij, vndoſi, frequentes, ueloces; urina inconſtans, primis diebus non diſtans à naturali, quæ uſque in finem ſæpius perſeuerat; aliquando ſucceſſiue rubicundior in dies, & craſſior efficitur, quæ interdum ita turbideſcit, ut muſto correſpondeat. dictorum autem ſignorum, aliqua ante, & nonnulla poſt quartum apparent, in cuius initio manifeſte exeunt, ſucceſſiue magis augentur, & in ueſiculas euadunt; quæ interdum tres, quatuor, & plures prout copioſior & minus copioſa materia exiſtit, in uno uentre reperiuntur. quæ quandoque craſſior, & aliquando ſubtilior eſſe conſueuit: craſsior diffici-

Pulſus
Vrina

lioris est dissolutionis, resolutionis, & exiccationis, qua interdum adeo crassior est, vt coagulatæ pinguedinis formam repræsentet: subtilior autem è contra, facilioris maturationis resolutionis & exiccationis existit; non tamen adeo subtilis esse debet, vt ichoris naturam sapiat; tunc enim coctionem subterfugit. Cæterum clarioris doctrinæ gratia, dictum morbum, duo habere tempora, sciendum est, quorum vnum, humorum ebullitionem insequitur; alterum vero morbillorum exitui adscribitur. tempus ebullitionis per dies numeratur, quare primus dies erit principium, secundus erit augmentum, tertius status, quartus initium declinationis, quo tempore febris, & accidentia remitti solent. Idem quarti initium, quod declinatio ebullitionis est, exitus morbillorum principium esse consueuit. Quorum augmentum sensim apparet, & vsque ad septimam finitur; eorundem status, vndecima die viget; ab vndecima, ad quartam decimam, declinatio apparet; quo tempore morbilli exiccantur, & si interdum ad vigesimam exiccatio protrahatur; hoc vel maximè, materia pinguiori existente: & interim de sero reuirescunt, de mane vero exiccantur. tandem crustæ fiunt, & factæ decidunt, & ex toto finitus est morbus. Sed tempus est, vt ad prognosticum deueniamus.

Variolaz morbus duo tempora habet unum ratione ebullitionis alterum rōe exitus variolaz

Signa prognostica enodantur.
Cap. XII.



ROGNOSTICVM ex dicendis elici facilè poterit, & in primis morbillorum festina apparitio serotina salubrior est. vt quæ materiæ obedientiam, & naturę fortitudinem ostendat. secundo quanto pestilentia in minori numero, tanto melior, dummodo æger leuius habeat. Rursus rubei morbilli, quia sanguinis ebullitionem significant, sunt salubriores. similiter qui cito, & sine magna patientis angustia maturantur, & purescunt; & eo magis si in eorum apparitione, febris, & accidentia remiserint, salutares habentur. Cæterum cum morbus iste sit de genere acutorum, cum illis signa communia possidet. quare si bene ægrotantes spirant, & ad ea qua offerantur bene se habent, mente constant, non iactantur

Signa Pro salute

tur, morbum contemnunt, bene dormiunt, & à somno laborem non sentiunt; rursus si morbillorum excrementa sunt calida, ipsa vero non sunt ampla, sed parua, diuisa, moderata, & citra magnam febrem, ægerque non angatur, sed post eorum exitum conquiescat, mitioris morbi, & tutioris signa sunt omnia. E contra qui tarde apparent, vel modo apparent, & modo delitescunt, pinguedinis ve albioris colorem habent, magni sunt, insimul continuantur, omnes mali; præcipuè si in eorum medio nigræ peticulæ apparẽt. quod si liuescentes sint, & verrucis similes, humoris expertes; vel quod in eis reperitur, serosum, & virulentum est, & propterea difficulter concoctibile, & æger conqueratur, exitiosum malum ostendunt. Qui si liuidi, virides, violacei, nigrive fuerint, omnium deterrimi existimantur. caloris enim mortificationem, humoris adustionem, & materiæ venenositatem demonstrant. Mali prætcrea sunt, si magnum locum occupant, & in vno ventre plures reperiantur, qui quanto plures, tanto peiores, vt qui ebullientis humoris maiorem copiam significent. insuper si exanthemata, vel peticulæ cum morbillis insimul apparuerint; prauum signum erit. materiæ enim etherogeneitatem ostendunt, qui peiores erunt, si prauioris coloris existunt. quod si febris in eorum exitu nullo pacto remiserit, sed vnà cum accidentibus, post morbillorum exitum perseuerauerit, lethale existimatur. his adde, quòd si feces erunt æruginosæ, & ab eis æger non alleuietur, pessimum putato. Rursus si post morbillorum exitum æger nauseauerit, euomuerit, stomachive dolore correptus fuerit, ad interitum procliuis erit, hoc vel maximè, si post morbillorum exitum febris augeatur. multam enim ostendunt materiam, naturamque ipsam regulare minimè posse. In omnibus syncopizare, conuelli ve, perniciosissimum, & eo magis, quo sæpius syncopizat, & validior spasmus existit. materiæ namque venenositatem, & incongressu naturam succumbere, similiter cerebrum tentare significauerit. Quod si venter intumuerit, prope mors est, vti si vehemens dolor, modo vnam, & interdum alteram partem occupauerit, pars vero occupata nigra, vel liuida, aut viridis euadet, & vires imbecilles fuerint, ægerque angatur, & crucietur, mortis periculum instat. At si vires validæ fuerint,

Signa pro [illegible]

minoris periculi signum erit; fortis enim natura, materiam ad ignobiliora propellens, ægrum liberare poterit; hoc vel maximè, si in liuoris apparitione, accidentia remittentur, etsi pars ad quam materia demandatur, facillimè putrescere possit. Cæterum si ad intestina materia præcipitabitur, fluxusve excitetur, & accidentia à fluxu non remittantur, vti plurimum esse solet, in maximo discrimine æger versatur. Raucedinem insuper pati, languide loqui, alienari, cibum respuere, deglutire non posse, indeficientem pruritum habere, excoriari, & ab excoriata parte virus exire, vltra modum vigilare, se iactare, suspiriosa suspiria habere, soporosum permanere, perniciosa signa sunt omnia. Modo quo tempore inuadere solent, dicamus.

Quo tempore magis Morbilli inuadere solent. *Cap.* XIII.



TEMPVS quo Morbilli magis inuadere solent, & plurimum vigent, ex Razæ decreto cap. tertio, est veris initium, & autumni extrema pars; cum scilicet æstas pluuia fuerit, & austri continue, alij alijs succedentes perflauerint, hyemsque tepida, & aeris tempestas australis extiterit. hæc enim in vere, vti æstas supradicta in autumno, morbillorum causa esse poterit, & si æstas vehementer calida, & sicca, & autumnus calidus, & siccus, idem præstare possint; hoc vel maximè si largæ pluuiæ præcesserint; tunc enim perniciosiores morbi contingunt. id autem ob aeris corruptelam fieri putarem. caliditas enim extranea superfluave humiditas, putredinis causæ constituuntur. propterea dixit Auicennas, maximè multiplicantur in successione austrinorum. quòd autem in vere morbilli fiant, hinc prouenire credimus, quia eo tempore præter pluuias iam dictas, commotiones, & agitationes ĩ humoribus fuerint; in autumno vero, ob fructuum comestionem, qui putredinis causa fortis existunt; præter id quod tempestatis mutatio, non vulgaris contingit. quare vt in tempore mutatio succedit, ita etiam in hu

moribus fiat, necesse est; etsi vt 3. aphorismorum 19. dixit Hippocrates, in omnibus temporibus fiant omnes morbi, magis tamen congruum tempus est ver, & autumnus. hoc vel maximè si propriam temperiem non seruant, sed nebulosi sunt, cum pauca pluuia, caliditateve debili. Princeps tamen dixit; Et eorum euentus in vere plus est, quàm eorum euentus in hyeme, & post ver, in fine autumni, & propriè quando præcessit æstas calida & sicca, & autumnus fuerit calidus & siccus. Rasis verò decimo octauo continentis ita scriptum reliquit. & eueniunt, vt pluries in autumno, & maximè cũ nõ præualet septentrionalis ventus, sed est pluuiosus, & cum aer est turbidus, puluerulentus, & obscurus, & flat ventus meridionalis. Modo quæ corpora dicto morbo obnoxia sint dicamus.

Quæ corpora, corporum ve partes, & quæ ætates variolis, & Morbillis magis sint obnoxiæ. Cap. XIIII.



ORPORA quæ morbum hunc magis timere debent sunt corpora alba humida obesa rubea; præcipuè si dicta corpora febribus continuis capiãtur, sanguinis profluuio, & affectibus à sanguine concitatis; hoc vel maximè si victu in capite septimo recitato viuant. At gracilia corpora, biliosa, calida nempe, & sicca sceuiores morbillos pati cõsueuerunt. hæc Razes. Auicennas verò cap. 6. dixit. Et corpus quidem variolis præparatum, est illud, quod est calidum & humidum, & conturbatæ humiditatis propriæ, quod parum extrahit de sanguine. propterea dixit Princeps, & earum euentus in corporibus humidis, est plus, quàm in corporibus siccis. Et ego dico, quod illa corpora plures, prauioresve morbillos patientur, quæ sanguineæ complexionis sunt, cum subdominio bilis: quæ si superassata fuerit, deteriorem adhuc morbum pariet: ob sanguinem enim, magna in eo ebullitio excitabitur, & in non paruo numero morbilli fient, à bile vero, & maximè superassata: siccioris naturæ morbus producetur. Cæterum corpora frigida, & sicca, gracilia, dicto morbo accommoda non sunt, à quo si corripientur, mor-

billi erunt languidi, numero pauci, cum febre debili, & miti. Et hæc de corporibus. Modo de ætatibus dicamus.

Ætas quæ magis variolis, & morbillis accommoda est, infantilis ætas existit, vt quæ plurima vterina humiditate, turbulentuque abundet: quæ humiditas, præcipuè extrinsecis causis concurrentibus, ebullitionem in sanguine excitare solet. Adolescentuli minus pueris & infantibus, & his minimè iuuenes, & his minimè senes, & inter ipsos, vt dictum est, qui natura sunt frigidiores, dicto morbo tentantur, vexanturve. hinc loco citato dixit Princeps. & plurimum quidem accidunt variolę, & morbilli infantibus, deinde iuuenibus; & minoratur eorum euentus in senibus, nisi propter causas fortes, & in regionibus vehementis caliditatis, & humiditatis: & tunc oportet, vt aer vnà cum cibariis, & medicamentis, sanguini aereo ebullienti correspondeant. Cæterum sciendum remanet, dictos morbillos, nedum in cute, sed etiam in membris interioribus oriri. quam veritatem Auicennas, loco citato, sequentibus verbis demonstrauit. non accidunt morbilli in cute solum, & in eo quod sequitur illud quod apparet, imo accidunt omnibus membris similium partium, & non tantum in partibus similaribus, sed in instrumentalibus & organicis etiam; & non tantum in apparentibus, sed in occultis quoque, & in velaminibus, & neruis; præcipuè autem in volis manuum & pedũ, morbilli fiunt, quia in illas partes, multæ venæ, & arteriæ terminantur; quare cutis durities non tantum obstare potest, quantum naturæ expellentis vires, per ora illa propellere valet. Nunc quomodo quis ab eis præcaueri possit, inquiramus.

Quare in Volis manu, et Pedu fiat magis Variole, et scabies

Quomodo morbilli euitari possint. Cap. XV.



AN quis à morbillis præseruari possit, non paruam dubitationem habet. Certo enim modo, ex necessitate naturę, ortũ habere, sancitum est, cum internã causam, & illam ex nutrimẽti necessitate supponant. verum quũ dictæ causæ moueri, & agere absque impulsore nullo pacto possint, Impellentes vero causæ extrinsecæ sint; per dictarum causarum amputationem, ipsos vel amputari, vel remorari posse, credendum est. Sed quoniam extrinsecæ causæ, vnius,

&

& eiusdem generis non sunt, aliæ namque nostro arbitrio subiacent omnino, & sic in totum euitari à nobis possunt, hæ autem sunt sex res nō naturales: aliæ vero, & si ex toto remoueri nō possint, humana tamen cura, & diligentia, taliter alterantur, & remittuntur, vt effectus languidos remissosue producant; hoc autem aer ambiens existit. quare qui pestilentiam arcere cupiunt, primo iuxta dogma Hippocratis ex additis in libro de natura humana numero. 19. inficientem, excitātem, & contagium fouentem aerem aufugiant. vnde medicinæ author, ita scriptum reliquit. regionum etiam locos, in quibus morbus consistit, quantū eius fieri potest, permutare oportet; & subdit, similiter & corpora attenuare: sic enim minime multo & denso spiritu, mortales opus habuerint. Quod si aufugere, & locum immutare, datum non erit, Aerem in quo quis manet, secundum tempora alterare debebit. quæ alteratio, quomodo & cum quibus fieri expediat, lib. & cap. 2. satis abunde pertractatum fuit, ad quem locū studiosos delegamus. Cæterum qui suos ab hoc morbo præcauere volunt, non tantum hæc peragere debent; sed alias etiam ebullitionem excitantes causas eis remouere opus erit; vt statum sub sole, motumque vehementem; rursus cibaria hoc præstare potētia in totum arceantur; hæc autem unctuosa, dulcia, acriave esse diximus, & præsertim insueta, quod sub exemplo lactis equarū & camelorum Auicennas declarauit. & ut paucis multa colligā, calida & humida omnia: similiter & fructus, vt qui ebullitionē, & putredinem in humoribus inducant, vitandi erunt, & si inter fructus pira, & pira cottona, similiter marena, cerasa, cucurbita, citruli, cucumeres, corneoli, sorbæ, & mespila (moderate tamen sumpta) concedantur: vti inter carnes, caro castrati, capi, pulli gallinacei, hœdi, vituli, auium mōtanarum, phasiani, perdicis, & similium commendantur; quorum brodia, cum boragine, lupulis, endiuia, sed magis, cum acetosa, pimpinella, cicerbita, alterentur. super omnia pro alteratione brodiorum, quod sequitur satis mihi probatum est.

℞. S. acetosæ.
Citri.
Portulacæ.
Plantag.
Cornu cerui præparati. } ℥. s.

In preservat.ne a Peste, 2 facenda sunt

Coriandrorum præparat.
S.papaueris albi.

Contundantur grosso modo, & ligatis in petia vtatur in ferculis. Fercula autem, sint panis in brodio intinctus, panis grattatus, brodettus, far, risum, hordeatum, & auenatum, in quibus parum aceti imponatur. fercula quoque ex herbis supradictis maxima cum vtilitate, ex vsu existunt. oua cum simmetio frigidiora sint, tremula, & dispersa concedantur. Cæterum an elixa, magis, vel assa commendentur, dubitabile est. puerilis enim ætas humida expetit, sic docente Hippocrate prima aphorismorum. 16. verum si humiditas esset superexcedens, assa magis; similiter, & omnia, quæ excedentem humiditatem consumere possunt, summopere laudantur. quæ loco suo inferius congruentius dicentur.

Potus sit vinum pauciferum, cisiolum, acerbum, quale est, quod Romæ asprinum vocatur, aut è Riccia, vel mazzacan; in summa quantum fieri potest vinum sit oligophorum, cũ aqua laudabili limphatum; & hoc si extra locum, in quo uigent morbilli, præseruandi erunt. Quod si essent in loco in quo morbilli grassantur, loco vini, vinum granatorum bibant, cum aqua laudabili, vel hordei limphatum. sequens autem aqua maximi iuuamenti existit. fit autem.

℞. Puluerum pro alteratione ferculorum supra descriptorum ℥.s. quibus terræ Lemniæ ℥.s. adde. ligẽtur in petia, & vsui pro facienda aqua cocta existant. Cæterum acetosa omnia ex Raze cap. 5. decreto maximopere laudãtur, vti lac acidum, & acetum. item citria, limones. similiter quæ adstringũt & acida sunt, vt vua acerba, rhus obsoniorum, mala tum cotonea, cum punica acida; & præter hæc ea quæ substantia sua crassum reddunt sanguinẽ, summopere commendantur, vt Zizipha lentes, coriandrum, & psyllium; & hæc sunt simplicia composita vero, quæ probantur, sunt, acidus simplex, oxizaccara, syrupus de ribes, de agresta, de limonibus, de succo acetosæ, de acredine citri, & similes, qui cũ chocleari lambendo exhiberi poterunt, maxime tamen sequẽtis syrupi vsus comprobatur.

℞. Aceti acris, & veteris. ℔. iii.
Succi mali punici acidi.
Acetositatis citri.

Com-

qui Potus in praeseruat.[?] a variolis

syruppi

Omphacii.
Ozyacanthæ. } an. ℔. j.
Succi ſicomori.

Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis,& eis adde, Zuccari lib.iiii.coquito ſecundum artem,& aromatizetur cum ſpodii ʒ.ii.Modus coquendi ſit talis,cum baculo hedereaceo inter coquendum miſceatur,& cum chocleari lambendo tribuatur. ꝙ ſi grandior erit puer;cum aqua pimpinellæ,acetoſæ,cicerbitæ,& ſi milium pro ſyrupo poterit exhiberi. qui ſyrupus, ex præcepto Razes nedum pro præſeruatione,ſed in his,etiam qui morbillis correpti fuerint,& non tantum in iſtis, ſed in omnibus morbis à ſanguine & bile ortis, ſalutaris habetur. mitiorem enim morbum ipſum aſſumentes incurrent. Remanet modo,vt pro cõplemento ſecundæ partis,ab Hippocrate præſcriptæ, omnia quã diligentius fieri poterit exequantur. Erat autem, corpora attenuari debere. Attennuabuntur, ſi ſex rebus non naturalibus parcius utentur,maxime ſi parciori victu viuent, vti ſi ſanguine abundabunt, iuxta vires, ætatem, & tempus, uel ſecta vena, vel cucurbitulis cum ſcarificatione in ſpatulis, aut alio opportuniori loco applicitis;ſimiliter, & hyrudinum affixione ſanguis hauriatur.quòd ſi aliquis humor in corpore, à natura ſanguinis alienus peccaret,ille cum competentibus ætati,tempori, & viribus conſonis educatur. calidiora tamen medicamenta ſummopere aufugiantur,ebullitionem enim excitare ſolent. valent itaque pruna, tamarindi, mirabolani, rhabarbarũ, & alia eiuſdem generis,quæ omnia(Deo auxiliante) antequàm febre corripiantur,ad peſtilentię præſeruationem,mirifice faciunt.ipſa enim minus noxiam materiam reddunt, ebullitionẽque compeſcunt,& tollunt.Modo curationẽ morbillorũ,ab aeris vſu aggrediamur. Med.ta Lenitiva

De curatione Morbillorum, & quis nam aer pro eorum generatione congruus exiſtat.

Cap. XVI.


Orbillos curaturi,quoniam aer, in eorum generatione maximam partem habet,eundẽ rurſus,in eorundẽ curatione, non modicum valere putandum eſt. ea propter quis nam aer ante morbillorum exitum,

& poſt

quadr. parandr.
Aer calidus

& post esse debeat, accuratius inquiramus. Quare ab aere frigido post duos dies omnino patientes tueantur. quam doctrinam docuit Princeps, prima quarti tract. 4. cap. 10. sub his uerbis. cum ergo præterierit ægritudo diem secundum, & incipiunt variolæ apparere; tunc fortasse erit infrigidatio causa erroris magni, ex eo quòd retinet superfluitatem interius, & delationem eius, super membra principalia: & fortasse non erit eis possibile apparere, & inde accidit inquietudo, & angustia; & fortasse accidit nausea. & paulo inferius. oportet, vt elogentur ab aere frigido, & proprie in hyeme. immo fiat cum eis illud, quod cum sudante fieri solet; qui aerem frigidum omnino vitare debet. sudantes enim si ab extra infrigidantur, nauseant, vt 2. problemat. 19. docuit Arist. frigus enim oppilat poros, & retro materias redire facit. propterea aer ventosus vitetur, quia malus est valde; quinimo aer potius ad caliditatem vergat. vnde illinc ad parum, Princeps dixit. & similiter quando adiutorium est cum calefactione, aut diminutione infrigidationis, illud fiat; vnde coopertura eis non medicum proficua erit. quam Philonius de panno laneo de persico parat, ut per uisionem panni rubei, (inquit ipse) sanguis ad exteriora moueatur. ad quam complendam intentionem, aer in hyeme præsertim, ad calidum cum igne alterari debet, iuxta præceptum Rasis, 18. cōtinentis, ex decreto filij Mesuæ: qui ignis ex quibus lignis fieri debeat, sic inquiens demonstrauit, & in hyeme semper sit coram eo ignis ex lignis tamarisci, & secundum alios, ex lignis quercus, & vitis. Cæterum patientes, nec cooperiri, nec calefieri ita debent vt inde Ipothymia, vel syncopis sequatur vnde Princeps. & quando ex coopertura & calefactione, quasi syncopis, vel syncopis accidit; tunc non est excusatio ab infrigidatione aeris, qui attrahitur proprie, & præparatione ad odores bonos, & infrigidantes, vt camphoræ, & sandalorum. & paulo inferius subdit. quando incipiunt exire morbilli, & cum exitu, non inuenitur alleuiatio, imo inuenitur caliditas inflammata, & lingua ad ingredinem decliuis; tunc caue ne calefacias. ebullitio enim vehemens ab igneo calore excitata tanta esse potest, vt assumens naturalem calorem cum humiditate radicali, interitus causa, nisi remittatur, existat: de maxime autem eam remittentibus, cum sensim attrahatur, aer est. qui propterea ad frigidum declinare debet. cum quibus autem ad frigidum alteretur, lib. & c.

quando Aer refrigerandr. in Variolis

Notandr.

2. abun-

2. abunde ſatis demonſtrauimus. Cæterum mutatio à calido in frigidum, & è contra, ſi neceſſaria fuerit, non repentina, ſed moderata eſſe debet. hinc dixit Princeps etſi non fuerit excuſatio, quin detegatur corpus vento, aut aeri frigido; hoc paulatim fiat. quod antea Hippocrates 2. aphor. 51. docuit, dũ ait, ſemel multum & repente euacuare, vel replere, calefacere vel refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere, periculoſum, omne ſiquidem nimium, naturæ inimicum, & reliqua. Si quis tamen exceſſus pernicioſior, is ad frigidiorem aerem exiſtit. poros namq; claudendo, exitui morbillorum aduerſatur. Impedimentum non diſſimile, inunctiones, & emplaſtrationes, præſertim ventris præſtare ſolent. ꝓpterea dixit Auicennas. Et oportet vt non approximetur ei, in hac hora, oleum aliquod omnino. poſtea ſubdit. Et oportet vt tu alienes ab habentibus variolas, & morbillos, emplaſtrationem ventris. in hac, enim eſt timor conſtrictionis anhelitus ſubito; & quòd accidat fluxus ventris malus; & mictus ſanguinis. Epithemata ſimiliter ex toto fugiantur. vnde Conſtantinus. lib. 7. cap. 8. ſic ſcriptum reliquit. Epithemata, omni modo vitentur, ne forte vulnera intro reuertantur, & ægri cadentes in cardiacam moriantur. Nunc de victus regimine dicamus. Cautio

De victus ratione. Cap. XVII.



ETSI ad rectam cibandi rationem, plura admodum alia, præter morbi naturam, & virium robur, concurrant, vt ætas, anni tempus, & cõſuetudo, prout prima aphoriſmorum 17. text. & com. habetur; Nos in præſentiarum, duo principaliter reſpicientes, morbum ſcilicet, & virium robur, ex his primario cibandi indicationem ſumemus. Quare cum morbus iſte ſit acutus, & breui finiatur, tenui victu uti oportet; non adeo tamẽ tenui, vt infra delapſis viribus æger ſuccumbat, & ad ſtatum peruenire nonqueat, vel in ſtatu ampliori uictu uti coacti ſimus. Cæterum cũ (vt ſæpius dictum eſt) duo tempora morbilli habeant, primum quorum ebullitionem reſpicit; alterum vero morbillorum exitum, maturationem, et exiccationem comitatur; in primo, quantum ad morbum, tenuiori victu uti congruum eſſet, niſi morbus Duo tempora morbilli habere

iste sit in pueris, quorum corpora, cum facile difflentur, vaporabilia enim, et efflabilia maximè sunt, plurimo propterea alimento egent, præcipue cum plurimo innato calore abundent. vnde quia plurimæ fiunt resolutiones, & dissolutiones, & calor in eis fortis est, non modicum, & sæpe dare expediet; sæpe ratione continuæ resolutionis; multum autem, quia calore innato valido abundant: hoc autem multum, respectus habet, quare prudentis medici erit, ipsum regulare. sint tamen cibi acute febrientium, cum ad quartam decimam, (vt de more acutorum est,) plurimũ finiatur; etsi primum tempus, nempe ebullitionis, & efferuescẽtiæ, ad quartam terminetur. quare quãtum ad primum tempus, tenuiori victu, vti optimum erit, quàm ratione secundi; etsi quia eo tempore, appetentię loco, nauseæ, subuersiones, & vomitiones plurimæ, puerulis contingunt, potius, vt cibum sumant cogendi sunt, quàm vt eis aliquid subtrahi opus sit. Quæ cibaria in initio, facultatem adstringentem, refrigerantem, & inspissantem habere debent, propterea Princeps loco citato cap. 10. ita scriptum reliquit. & oportet vt fiat in eis cibatio, in primis, cum eis in quibus est confortatio, cum repercussione, & extinctione. Vnde paulo inferius hæc docens dixit. vt cum eo quod fit ex dactylis immaturis, & ex lentibus præparatis, & isfidebegi, idest, vt placet Herculano mica panis cum zuccaro. Et illinc ad parum. & similiter oportet, vt cum istis sint tamarindi, & quæ eis conueniunt. in initio enim ebullitionis, nedum tamarindos, sed prunas, & mannam, cum cibarijs, vt venter lubricus teneatur, immiscet. quæ paulo post à principio, poni nullo pacto debent, etsi non desint qui ad septimam immixta commendent: quem modum damnamus, ne materia internetur, & contrarium motum motui naturæ retineat; fluxus nãque in casu nullo tempore non est suspectus. Et illinc ad parum, frigidiora cibaria Princeps recẽsens, ait. & cibus factus ex cucurbita, & melone abrachin, idest melone Palestino, ab Arabibus. Indo appellato, concedatur. Ex quibus manifestum est, inquit Herculanus, quòd regimen cibale debet esse frigidum, ad sedandum ebullitionem, præsertim si superfluit; stipticum ad confortandum membra intrinseca nobilia, vt à se materiam repellant; & sanguinis inspissatiuum, vt eius substantia æquetur. ęst enim nimis subtilis, qui in variolis ebullit, propter choleræ admixtionem. tempore tamen ebulli-

tionis,

tionis, ut supra dictum est, dieta debet esse tenuis. nec plura Princeps & Herculanus. Guaynerius vero differentia 3. cap. 6. ita scriptum reliquit. pro cibo autem vtatur ptissana hordei non colata, cum modico zuccari, vel hordeato, siue auenato, vel mica panis abluta, cum lacte amygdalarum præparata, & in istis (si placet) potes addere aliquid acetosi, vt vinum granatorum, berberis, agrestam, succum limonum, citrangulorum, & similia, vna cum emulsione lactis seminis melonum; & ex herbis potest vti spinaciis, borragine, lactuca, pimpinella, cicerbita, acetosa, cucurbita; addendo eis de succis supradictis ad libitum. Conueniunt insuper summopere lentes excorticatæ cum aceto correctæ, vel aliquibus ex succis supradictis, quæ bulliant in duabus aquis, ad perfectam coctionem, & corticis separationem, quæ vt supra alterentur. Hæc dieta conuenit usque ad variolarum exitum. Quod si ad grossiorem dietam deuenire necesse sit, prædicta in brodio pullæ decoquantur; & vt in cibatione eorum, qui pestilentiam patiuntur, fieri commonui, similiter & hic facito. Et hæc de cibo. De potu vero vinum dimittatur, vsque ad uariolarum exitum omnino; loco tamen eius aqua hordei, in qua lamina aurea pluries sit extincta, magnatibus detur; pauperibus vero simplex. post ipsorum autem apparitionem, parum vini albi, vel cisioli, aqua laudabili bene limphati concedatur, quod potius vt medicamentũ quàm ut cibus exhibeatur, quod in pauca quantitate sumatur, hæc Guaynerius. Abenzoar autem lib. 2. Tract. 7. cap. 3. ita habet. & prohibent etiam dare carnes & alia cibaria his similia, sed præcipiunt in hac passione dare lentes decoctas in aceto tantummodo. Ego vero bene consentio cum his, do etiam lactucas coctas cum aceto, medullas citruli, & anguriæ; & ad bibendum aquam hordei, & anguriæ; etiam in cibo do eis cucurbitam valde coctam: & illinc ad parum subdit, & nunquàm volui dare istis syrupos aliquos dulces, ne conuertantur in choleram, & paulo inferius. & pauci sunt qui sciant regere hos patientes; quoniam dant eis dulcia, & mel, & pisces salitos; dico quòd est mirabile valde, quòd non moriantur; quare dulcia, & salsa, omnino uitentur. Rasis vero 18. continentis, cap. 8. ex decreto vigilatoris, ita scriptum reliquit. Et oportet ut sint cibi eorum cõstrictiui, sicut lentes, cum vino granatorum, & aceto. & illinc ad parum, ex decreto

Lentes excorticatæ et aceto correctæ

Vinum quando prohibetur, et quando conceditur

Syrupi, et omnia dulcia prohibentur

creto filii Mesuæ. & non comedat de pullis, quousque febris omnino mitigetur, & variolæ desiccentur; & earum cortices cadant, & cibetur in principio cum oleribus mollificatiuis. Et paulo inferius. & detur in potu ptissana, quousque adest febris, & semper cibus eorum, sint lentes excorticatæ, cum succo granatorum decoctæ. Quimet tract. 10. cap. 18. de cibo variolantium loquens, sic ait, pullos præterea non comedat, nisi postquam omnes cortices, qui sunt super loca variolarum remoti fuerint, & febris, atque omnis calor præter naturam à corpore separatus fuerit. Cæterum cum morbus iste, (ut dictum est) plurimum infantium, & puerorum morbus existat, condonando aliquid ætati, & consuetudini, nedum panem in brodio pullæ intinctũ, similiter & grattatum, vel brodettum dare expediet, sed & oua, & hepata pullorum & deteriora quandoque dare, si salubriora recusant, coacti erimus. sint tamen hæc, cum lactuca, cicerbita, acetosa, & similibus alterata: vnde quantum fieri potest supradicta exhibeantur. verum si illa exhiberi non poterunt. minus noxia dentur, vt aues paruæ, pulli parui, pisces saxatiles, & eiusdẽ generis alia, potiùs vero sit vinum granatorum cum aqua infrascribenda limphatum.

℞. S. acetosæ.
Citri.
Portulacæ.
Plantaginis. } an. ℥. s.
Cornu cerui præparati.
Coriandrorum præpar. ʒ. i.

contundantur grosso modo, & ligatis in petia vtatur pro facienda aqua cocta, cum qua, vel cum aqua hordei. vel cum aqua aurata, vinum granatorum, & apud necessitatem vinum album, vel cisiolum, pauciferum tamen limphetur: verum à vino quantum fieri potest, quoad morbus remiserit, abstinendum censeo; præcipue dulci: sed loco uini sequens potio propinetur.

Vinu[m] quandi prohibeat

℞. Acetosi. s. ℥. iii.
Aceti. ℥. i.
Aquæ supradictæ uel ex seminibus confectæ uel Auratæ. ℔. iii.
Bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & potui detur,

quæ

quæ si nimis dulcis potio esset, ei plus de aceto addatur, vti si acetosior, plus de acetoso. simplici. Cæterum quia lactentibus, infantulis, sæpe sępius præsens morbus succedit, nec ipsi (præ ætate) dicta peragere, nec comedere valent; tunc nutrices præscripto regimine regulentur, vt earum lac (vt Hippocrates 6. de morb. vulg. sect. 5. tex. com. 3. 5. & Galenus docuere) medicatum euadat. tempus autem exhibendi cibum sit, quando infantes, & pueri ipsum sumere voluerint; hora tamen quantum fieri potest quietior eligatur; uti quantitas illa sit, quæ sufficienter, & congrue alere possit, ipsos tamen non repleat, aut grauet. Sed iã tempus est, vt de secundo medicinæ instrumento, quam pharmaceuticen Græci dicunt agamus; cum in aliis rebus non naturalibus, pueri parum aut nihil regi possint. si quæ tamen exequutioni mandari ualebunt, ad secundum lib. recurrant studiosi, & omnia recte parare dignoscent.

Pro Pueris Lactantibus Nutrices medicatae

Minoratio an fieri debeat, & cum quibus, dilucidatur. Cap. XVIII.



ETsi humorum minoratio, in præsenti morbo, bifariam fieri possit, nempe sectione venæ, & pharmaco, corpusque cum vtroque auxilio opus habet, iuxta dogma Gal. 6. de morb. uulg. sect. prima, com. 6. à sectione venæ auspicanda curatio sit; Nos non de sanguinis missione, sed de pharmaco primo agemus, & hoc, quia si quod pharmacum competit, illud in principio (ut aiunt) principii cõpetere, ex dicendis manifestum erit; sectio autem venæ vsq; ad quartum prolongatur, etsi quandoque postea salutaris interdũ inueniatur: pharmacum autem non sic; quod an in principio expediat, etiam inquiramus. Nam ut prima aphor. vi. docuit Hippocrates ipsum nõ competere uideretur dicendum; habet enim eo loco, quo natura uergit, eo ducere per competentes regiones: quare cum à natura materia intra uenas existens, ad cutim demãdetur; pharmacum uero e contra, à circumferentia ad centrum ipsam trahat, cum intrinseca, ipsa cute, nobiliora existant: remanet, vt secundum dictam positionem, pharmacum nullo pacto exhibeamus quam viam maior schola practicantium sequuta

est

eſt. Auicennas verò loco allegato uiſus fuit in cibariis ipſis leniẽtia medicamenta immiſcere, dum ait, & oportet, vt fiat in eis cibatio imprimis, cum eis in quibus eſt confortatio, cum repercuſſione, & extinctione, abſq; constrictione naturæ, & inſpiſſatione ſanguinis, ſicut quod fit de iuiubis, cum tamarindis, caſſia fiſtula, & reliquis. Quæ verba exponens Herculanus ſic habet, & hoc mihi videtur, magis medicina, quàm cibus. & ſubdit, medicamẽti lenientis ordinem deſcribens, vnde ſi diſtinctione nõ vtemur, facile quidem aberrare poſſemus. Ea propter ſi quis inchoante ebullitione aduocatus fuerit, & cum ſanguine alium humorem à natura ſanguinis alienum, aſſociatum comperiet; bonum erit, vt cum dictis ab Auicenna, & non ſolum cum illis, ſed cum rhabarbaro, manna, diapruno non ſol. myrabolanis, ſyrupo roſato, & uiolato ſolutiuis, (vt dictum) exuberantem, & cum ſanguine mixtum humorem, cæteris concurrentibus educat; hoc vno ſeruato, vt cum lenitiuis, aſtringentia, educentia tamen miſceantur. quod minorãs pharmacum, Benedictus cap. 22. ſuæ practicæ, ita ſcribens imperauit, poteris lenire ventrem cum medicina nõ eradicatiua, ſed lenitiua. his non concurrentibus, purgantia medicamenta ſuſpecta habeantur; & tunc pharmaci loco, lenientia clyſteria, & placida ſatis, ut cum brodio, in quo ebullierit cucurbita, vel lactuca, cum zuccaro rubeo, & uitello oui, fieri poterunt. animaduertendo, vt nedum cum lenitiuis dictis, adſtringentia miſceantur, ſed dicta lenitiua, & adſtringentia in pauca, & maxime moderata quantitate exhibeantur: ne natura, ab opere diſtrahatur, uel materia ad inteſtina præcipitetur. vnde Herculanus ita ſcriptum reliquit. & nota quod quamuis dictum ſit, quod regimen, tam cibale, quàm medicinale, debet eſſe lenitiuum, vt educantur ſuperfluitates, in inteſtinis contentæ; non tamen debet eſſe ſolutiuum eligendo, imo nec multum lenitiuum, ne forte ſequatur fluxus ventris, qui frequenter eſt mortalis, tam in principio, quàm in proceſſu. hinc dixit Auicennas, ſi non obedit cum tamarindis, addatur ſiracoſt, ideſt manna cum facilitate, & cautela. & ſubdit Herculanus. Ego verò ubi uenter ſit nimis ſtipticus, clyſteribus lenitiuis contentor. quòd ſi aſſellat ſemel in die clyſteria etiam omitto. Modo de ſanguinis miſſione agamus.

De

De secunda parte minorationis quæ est sanguinis missio. Cap. XVIIII.

CVm minorationem in præsenti morbo, non tantũ pharmaco, sed etiam tutius, & melius per venæ sectionem fieri expediat, postquàm de prima pertractatum est, remanet modo, vt de secũda, quæ venæ sectionẽ respicit dicamus. Quare sanguine exuberãte, qm̃ in eo ebullitio excitatur, ipse potissimum hauriatur, vnde Auicẽnas 1.4.tract.4.cap.x. ita scriptũ reliquit. oportet, ut in uariolis incipiatur, & extrahatur sanguis sufficiẽter, maxime si morbilli fuerint, cũ repletione sanguinis. Rasis quoq; c.6. venam secari, & ad animi deliquium sanguinẽ detrahi iubet. Sed antequã à qua parte sanguis hauriendus sit, exponamus; cum infantium, puerorũq; proprius morbillorum morbus existat, an his vena tundi, qua parte, tp̃e, quæ ve quantitas mitti debeat, accurate inquiramus. Galenus. n. 2. meth. 14. dũ de synocho pertractauit, & non tm̃ ibi, sed præter alia innumera loca, 13. Meth. 2. & in lib de cur. rat. per sang. missi. ca. 13. in pueris, venæ sectionem ante decimum quartum annũ prohibet, & interdicit. vndecimo namq; Meth. ita habet. quippe synochus bene habiti corporis, & calentis ætatis proprius est; at si in puerum incidat, qui quartum decimũ annũ hactenus non attigit, mitti illi sanguis non debet; propterea quòd tantillis, cũ præsertim calidi & humidi sint, plurimũ corporis substantiæ quotidie defluat, ac digeratur. itaq; quod ex incidenda vena moliendũ nobis fuerat, id vltro, ex curati corporis natura nobis præstatur. At idẽ Galenus in lib. de cur. rat. p̃ san. mis. c. 14. quoquo modo contrariũ sentire visus fuit dũ ait, nã cum febrilis calor multũ sanguinis digerat, atq; abstinenter laborans victitat, necessario breui illum, nutrimentũ ex sanguine destituit, interimq; virtus exolui tur. absumitur aũt ob laborantis quidem temperiẽ, si calida humidaq; sit, cuius modi est puerorũ, ob ambientis vero temperiẽ, si regio calida, & tẽpus æstiuum; proinde minus detrahimus q̃ plenitudo cõmonet. & subdit. quo ad ætatẽ quidẽ attinet, in pueris, quo ad corporis habitus, in candidis, & quib. mollis teneraq. quales Galli sunt, minus detrahere oportet. in qua loquutione, non prohibere, sed sanguinis missionẽ in pueris moderari, manifestũ est. Quatuor itaq; sanguinis missionẽ moderantia; ante ocu

In Pueris ante decimum quartum Annum non debet secari vena et quarti

los Galenus ſpectanda proponit, ætatẽ nẽpe, corporis habitum, anni tẽpus, & deniq; regionem. vnde dixit, in candidis, & molli carne præditis, rurſum in tpe æſtiuo, & regione calida, ſimiliter & in pueris, parcius ſanguis mittatur. hoc aũt ea ratione declarauit, quia magnã ſanguinis copiã, haurire ſolitus erat; vt in lib. de cur. rat. per ſang. miſſio, ca. 14. videre licet, dum ait. memini quibuſdã ad ſex vſq; libras ſanguinẽ detractũ fuiſſe, ita ut febris protinus extingueretur, nec vlla ſequeretur uiriũ affectio. Capite uero 17. eiuſdẽ libri, in oculi inflãmatione, tres ſanguinis libras primo detraxit; & ad horam quartam, libram. ſed innumera loca, in quib. præ copia ſanguinis miſſa, aliquando febrem iugulaſſe interdum ab ingenti inflãmatione op preſſos, ab orci faucibus liberaſſe ſe iactat, conſulto dimittimus. clarumq; putamus, huius generis ſectionẽ venæ, pueris non cõpetere, quam met Gal. locis citatis, & alibi, ipſis interdicit; & non ſolũ hanc, ſed illam ẽt nos interdicimus, quã ipſe eodem citato libro cap. 13. pueris imperauit, ad cotylam ſcilicet, & ſi uires adhuc vltra ſufferre poterunt, ad mediam cotylam, vnde pueris ſanguinis libram, & vnciam vnã, cum dimidia detrahit; quã quantitatem noſtris tẽporib. nõ extraheremus. ꝓpterea dixit nullo modo infra quartum decimũ annum ſanguis mittatur. ac ſi dixiſſet, infra quartum decimum annũ nullo modo sãguis ita copioſe mittatur; nã præter id, quod ipſam ferre non poſſent, quod non detrahitur, natura corporis curati, id nobis præſtat, id enim præſtat natura in pueris, quod præſtat ſanguinis copia in adultis. ea ꝓpter quãdo occaſio poſtulat, eiſdẽ parcius ſanguinẽ mittere, nedũ prohibet, ſed commendat Gal. Quam ſentẽtiam excelſus Celſus ſuis monumẽtis firmauit dũ libro 2. cap. x. in hęc uerba prorumpit. Sanguinẽ inciſa vena mitti, nouũ nõ eſt, ſed nullum morbum eſſe, in quo nõ mittatur, nouum eſt. item mitti iunioribus, & fœminis vterũ non gerentibus, vetus eſt; in pueris vero idẽ experiri, & in ſeniorib. & in grauidis quoque mulieribus, vetus non eſt. ſi quidem antiqui primã vltimãq; ætatẽ ſuſtinere non poſſe, hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerantque ſibi, mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam, poſtea vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliaſque potiores obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. intereſt enim, non quæ ætas ſit, neque quomodo in corpore intus gera-

tur,

tur, sed quæ uires sint. ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mulier quæ grauida non est, parum tamen ualet, male sanguis mittitur; emoritur enim uis si quæ iis supererat, & hoc modo erepta est. At firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tuto sectione venæ curantur; maxime tamen in his medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis ætatibus subest. & paulo inferius. nam quidquid, aut intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus faciundum est, cum præcipua in hoc ars sit, quæ non annos numeret, neque conceptionem solam videat; sed vires æstimet, & ex eo colligat, possit nec nē superesse, quòd uel puerum, vel senem, vel in vna muliere duo corpora simul sustineat. Quam sententiam lib. 3. cap. 7. conscripta locutione confirmauit. non facile pueris sanguinem mittere oportet; non facile ducere aluum, non cruciare uigilia, non siti, aut nimia fame. In quibus verbis venæ sectionem non prohibet, sed ne incaute, & temere fiat monet. Paulus quoq; lib. 6. cap. 40 dum quibus ætatibus sectio venæ competeret, sermonem habuit, ita scriptum reliquit. in ætatibus porrò cautio est, ne ad quartum & decimum vsq; annum, item post sexagesimum, unquam per venas sanguis detrahatur. & subdit, nisi irrecusabilis aliqua necessitas huc nos compellat, esse quomodo in irrecusabili necessitate sanguinem pueris & senibus mittere iubet. irrecusabilem autem dicemus necessitatem, si morbus talis est, vt è medio patientem auferre queat. Auerroes quoq; 7. colliget cap. 3. probatæ sententiæ astipulatur, Abenzoarq; filio trium annorum sanguinem minuisse & à morte liberasse recēset, relinquo modo moderniores plurimos, qui pueris infra decimum quartum annū sanguinem detrahunt, inter quos Amatus ille Lusitanus centuria tertia, curatione 16. puero septimum annū nato sanguinē demit, quem ad quatuor vncias fluere permisit, à qua parciori sanguinis detractione, pueri habitum nedū dissolui sed magis naturam exonerari vt validius ad extima dettudere materiam possit, clare cognouimus. Quare si puerorum laborantium corpora sanguine abundauerint, eaque crassiora, rubicundiora, fortiorave fuerint, & regio temperata, uernumq; tempus extiterit, & à coinquinato aere, uel exuberante qualitate prædito, plurimi eorum interierint, sanguis omnino detrahatur. hinc Princeps, & conuenientius quod in hac administratur ægritudine, est sectio uenæ. Nec

Pauli senta
lib. 6. c. 40 minus
in pueris

Auerr. sent.
Abenzoar filio
trium annorum
minuit sang.

Amatus Lusit.
sent.

morbum hunc, puerorũ plurimũ morbum esse, Principi ignotũ erat; tunc. n. irrecusabilis dicetur necessitas; & non facile sanguis haurietur. quã veritatem ratio ipsa suadet. medicus. n. naturæ minister est, quæ natura pluries ac sępius in puerulis ab aliis morbis & ab hoc potissimum oppressis, modo per nares, aliquando per secessum, & interdum per lotium sanguinem detrahit, vnde Princeps loco citato. accidit eis fluxus ventris malus, & mictus sanguinis. quare ex his datur medico occasio, vt suo loco, tẽporeve, per competentes regiones sanguinem demat. Remanet modo iuxta secundam hypothesim, ut à qua parte sanguis mittendus sit, enodemus. Auicennas namq; etsi ipsam imperet, à qua parte tamen sanguis hauriendus sit non docet, cum hoc quòd venam nasi secandam dicat. Dubium. n. non est, ꝙ à venis narium sanguis primario hauriri non debet; sed tunc competere cum basilica uel mediana prius secta fuerit, & humorum copia maxime caput abundet. vnde Auicennas loco citato dixit, sectione uenarũ nasi, à malitia variolarũ partes superiores tuentur. Cæterum clarioris doctrinæ gratia, plura esse ingenia, quibus sanguis detrahitur supponendum est, ventosis namq;, hyrudinibus, & lanceola, sanguis hauriri consueuit: propterea secundum instrumentorũ, & ætatum varietatẽ, uariis ĩ locis extrahi debere affirmamus. Vnde si lãceola sanguis detrahitur, cum hepar sit venarum principium, ab ec cum Rasi cap. 6 & cum Lusitano citato loco primo sanguis mittatur. quòd si caput doleret, & patientes alienarentur, à cephalica deinde sanguis mittatur; vti in adultioribus, si retenta essent menstrua, & hæmorrhoides solitæ fluere, factæ essent cecæ, saffena secetur, & hæc cum phlebothomo. At si vice sectionis uenæ ventosis vti voluerimus, hæ primo crurib. figantur, plurimum. n. ea parte affixæ prosunt, post hæc in natib. & in spatulis figere vtillimum erit, quæ quia sectionis uenæ vicariæ sunt, & à centro ad circumferentiã materiã trahunt, naturæ motũ adiuuãtes, summopere laudãtur. Hyrudines quoq; in uariis partibus, prout expedire videtur, figi consueuerũt. quãdoque. n. in brachio, aliquando in venis sedis; nõ raro naribus; sepe deniq; in venis nocræ quæ sunt post aures applicantur. sciendo per venas sedis hemorrhoidales uocatas, ut 6. aphor. 12. docuit Gal. fęculentũ sanguinẽ naturã excernere. vnde quib. ꝑ dictas partes euacuationes solitæ fluere, retentæ erunt, his magis ꝓficuæ in di

tis partibus figentur. Modo quo tempore sanguis mittendus sit, dicamus. quare si mittere oportet, ante morbillorum, & variolarum exitum, mittere expediet. hinc loco citato dixit Auicennas. & spacium illius est vsque ad quartum. & paulo inferius subdit. & fortasse phlebotomia est mala, quia repellit & conuertit illud, quod procedit; vnde caueatur post duos dies, aut tres. ea de re, ante quartum fiat, & quanto citius, tanto melius. Non est propterea quin apparente magna repletione, cum natura regulare materiam non possit, vt post quartum etiam sanguis detrahendus non sit. quam veritatem conscripta locutione docuit Princeps. sed quando procedunt variolæ, & morbilli, non oportet, tunc vt administretur phlebothomia, nisi inueniatur vehementia repletionis, & dominium materiei; tunc enim phlobothometur quantitate, quæ exiccet. & illinc ad parum. quando necessaria est phlebothomia, & non phlebothomatur iterum complete, timetur super ipsum corruptio extremitatis. quare si post morbillorum exitum accidentia non remittentur, cum eorum irremissio, repletionis signum existat, consequutionis ordine, supra missionem sanguinis indicium præbet. Nec est timendum à sectione venæ, intima corporis materiam repetere; sed magis vt alleuiata natura sarcina, qua premebatur, supra residuum fortior facta, ad extima ipsam propellat, sperandum est. quod si non propellet, materiam non adesse significabit, quòd, vt diximus, accidentium remissio ostendet, vti multam esse materiam, si ad morbillorum exitum, eadem non alleuiabuntur. Accidet itaque bullienti materiæ, vt ardenti igni contingere solet, qui per lignorum remotionem, nedum debilitatur, sed extinguitur. De quantitate autem sanguinis, qui mitti debet, non est vt sermonem protraham, cũ differat corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento, præter cæterorum latitudinem, quæ ad sanguinis missionem concurrunt. Reponatur itaque in arbitrio prudentis viri, sanguinis quantitas, qui hauriri debet. Hoc vnum animaduertendo, quòd in sanguine ebullitio fit; & quod putrescit, cũ sanguine mixtum, à primordijs generationis reperitur; & rursum Razem ad lypothymiam vsq; detrahere; Principem quoque vt sufficienter extrahatur imperare. & paulo inferius, quantitate, quæ exiccet, hauriri debere. Reliquum est, vt de ætatibus, & an vna vice sanguis detrahi debeat exponamus. De primis pri-

mo agamus. Quare ſi ſeptimum annnm puer attigerit, & conditiones iam dictæ adfuerint, ſanguinis nempe redũdantia, virium robur, & vernum tempus; ſecta vena ſanguis ſufficienter mittatur, vel ſit à baſilica, vel à communi, aut à ſaphena (vt Raſis monet) ab hac enim ex interaneis ventris partibus, ſanguis educitur, poſt hæc ſi caput grauatum erit, vel patiens delirauerit, à cephalica hauriatur. Quod ſi reiteratam ſectionem venæ ferre non poſſent, à venis narium cum hyrudinibus, vel à venis nocræ; aut ſi magis lubet, cum ventoſis in ſpatulis affixis, ſanguis dematur. qui à vena nõ vna vice, ſed magis, vt reiterato hauriatur conſulimus, vt in exemplo, ſi quinque vncias extrahere libuerit tres in mane, duæ vero de ſero hauriantur; & vt dici ſolet de ſero vena euentetur. A ſeptimo vero anno infra, vt cum ventoſis, & hyrudinibus mittatur, tutius putamus, & hæc in natu grãdioribus faciunda conſulimus. Cæterum, quia lactentibus puerulis morbilli ſæpe ſæpius contingunt, quæ eis medicamenta conuenirẽt, ea omnia eorum matribus danda erunt. primo aerem ſecundum tempora eis alterando, victum congruum inſuper inſtituendo, quibus ſi expediet ſanguis etiam hauriatur, & ſecundum opportunitatem medicamenta exhibeantur. ſic enim infantes alterabimus, & inſimul expurgabimus. Quam veritatem, prout 15. cap. dictum fuit, docuit Galenus. 6. de morb. vulg. ſect. 5. com. 35. dum ait; Non elaterio dumtaxat, quòd cucumeris ſyluatici ſuccus eſt, quemadmodum neque ipſo cucumere ſolum veſcentes, lac puerorum lactentium purgatorium gignunt, verum etiam, ſi quod aliud medicamentum ſubductorium (quod vocant) aſſumpſerint. & illinc ad parum. conducit autem hæc oratio & ad medicorum vſum, & ad naturale decretum. infantulos enim purgare volentes, aut matri infantulum lactanti, aut capræ huiuſmodi aliquid eſui dantes, ſic eos purgabimus, & cætera. Ego autem ſi lactenti infantulo qui plurimo ſanguine abundaret, hyrudo in venis ſedis figeretur, vel duæ corniculæ in ſpatulis applicarẽtur; proficuum putarem. quam ſententiam Razes cap. 4. ſequenti loquutione confirmauit. porrò infantibus recens natis, & lactentibus, qui quintum menſem exceſſerint, & corpulenti fuerint colore albi & rubei cucurbitulæ applicãdæ ſunt. Nunc quæ ad ebullitionis remiſſionem faciunt videamus.

Qua

Quæ ebullitionem compescunt, & frænant, similiterq; quo tempore frigida competat explicatur.

Cap. XVI.

IAM duo tempora morbillos habere, supra statutum est. Vnum enim ebullitionem insequitur; alterum eorum exitum parat. De primo, quomodo ei succurrendum sit, primo dicamus. Ebullitio namque talem causam externam habere potest, quæ ipsam adeo excedere faciat, vt perniciem ægrotantibus afferat. hac de re, præter uenæ sectionem, ea exhibere expediet, quæ ebullitionem frænare, & compescere solent. propterea Razes in tractatu proprio cap. 6. ita scriptum reliquit. Atque ita ei quæ febrem extinguunt admoueto, nempe frigida, vt aquam niue refrigeratam, ac vbi æger euomuerit, rursus alteram dato, postquam ea quæ restinguunt, febrem sedare conspexeris, & corporis tactus ad naturalem statum reuertitur. huiusmodi curandi rationem seruato. quippe hinc perturbationem omnino pestilentiæ, & accessionem repellas. At quæ generose calorem extinguit refrigeratque aqua in niue refrigerata existit, si vna vice & copiose exhibeatur, vsque dum æger frigiditatis sensum in ventre perceperit. quod si etiam postea febricitauerit, & calor reuertatur, iterum trium librarum instar, vel etiam amplius exhibeto; hæc autem in hora dimidia dentur. At si calor perierit, venterq; plenus aqua fuerit; æger priorem euomat, ac aliam rursus potui dato. etsi quidem videris aquam corpus penetrasse, & sudorem vrinamq; ægro mouisse, euidens tibi indicium esto, in propinquo sanitatem esse; sin autem non penetrauerit, & calor modo delitescat, rursusq; reuertatur, & augeatur; aquam frigidam dimittito, & ad medicamenta quæ calorem extinguunt, & sedant, declinato. quæ etiam superius capite de præcautione à morbillis indicaui. Recipitq; aceti acris veteris, succi mali punici acidi, acetositatis citri, &c. quæ sunt ibi. præter quæ, puluis quoque eodem loco conscriptus summopere commendatur. Sint autem in vniuersum frigida & sicca, & quæ putredini obsistere valent. quòd si his ebullitio non cesserit, morbillos grauiter ægrum oppressuros putato. hæc Razes. Principem vero varium inuenio, & nisi rectè intelligatur, ma

Morbilli duo tempora habere

Aqua Niue refrigerata

Nota

ximi erroris causa esse poterit. inter cætera enim, quæ in exitu morbillorum ipse damnauit, de frigidiorum administratione loquens, ita scriptum reliquit. Et multitudo potus aquæ frigidæ cum niue, & introitus in domo venti, mala sunt valde. illinc vero ad parum subdit. medicinæ autem ingrossantes sanguinem, & infrigidantes eum, & prohibentes eum ab ebullitione, quæ in initio præcipiuntur, sunt sicut Rob de ribes, de agresta, & aqua fructuum frigidorum, & syrupus de alcori, idest de dactylis, & syrupus de altelea, idest de piris. similiter syrupus de zumar idest de sorbis, etsi alij dicant, esse germen palmæ syluestris. & ad eandem intentionem, syrupum ex frigidis, & siccis, & ex his quæ ebullitioni aduersantur, describit, quæ breuitati indulgentes consulto dimittimus. Ex quibus clarum est, aliquando intus, & extra frigida satis damnare. propterea dixit, & multitudo potus aquæ frigidæ cum niue, & introitus in domo venti mala sunt valde. paulo vero inferius ex succis frigidis & siccis, vt ebullitio frænetur, & extinguatur, syrupos conficit. Vnde sciendum ducimus in variis istius morbi temporibus, varia etiam competere; in principio enim, vt dicunt, principij, & potus aquæ frigidæ, in niuę refrigeratæ, vt placuit Razę, & stiptica posita ab Auicenna maximopere conueniunt, quæ tamen omnia, in exitu morbillorum interdicuntur, & damnantur: eo enim tempore materiam ad intra retinerent, & æger summopere læderetur. hinc Princeps dixit. Medicinæ autem ingrossantes sanguinem, eumve infrigidantes, & ab ebullitione prohibentes, quæ in initio præcipiuntur, sunt sicut Rob de ribes &c. vti in exitu morbillorum antea dixerat, & multitudo potus aquæ frigidæ, cum niue, & introitus in domo venti, mala sunt valde, & fortasse phlebothomia. & reddens causam dicti, ait, propterea quòd repellit, & conuertit illud quod procedit. quare caueatur post duos dies, vel tres. Et hæc de tempore ebullitionis.

Quare frigida valde, similiter & stiptica, in initio initii, quo tempore ebullitio in sanguine fit, quando valida valde apparet, commendantur; vti è contra, in exitu morbillorum, (vt supra dictum est) & post tres dies ad summum, eximie damnantur. eo enim tempore essent causa retentionis, & conuersionis materiæ ad intra. hinc dixit Auicennas loco allegato. cum ergo pertransierit ægritudo diem secũdum, tum fortasse infrigidatio erit cau-

sa

ſa erroris magni, ex eo quod retinet ſuperfluitates interius, & eorum delationem ſuper membra principalia &c. ibi, & hæc de frænatione ebullitionis. hoc vnum animaduertendo, quòd ſi aeris ſtatus eſſet venenoſus, quòd tunc ab initio, & procedendo, quæ venenoſitati obſiſtere poſſunt, egregie commendantur, quorum maximam ſyluam 2. & 3. libris ſtudioſi inuenire poterunt, vti aquæ in niue refrigeratæ ſecundum ætates diuerſas, moderari quantitatem, operæpretium erit. exhibet enim ad tres libras; quæ quantitas in aliquibus ætatibus ſuperfluet ſatis. ſimiliter & vomitus, infantes enim, & pueri hæc peragere inhabiles exiſtunt. Modo quomodo ad extimam partem morbilli detrudantur, videamus.

Quæ ad cutim Morbillorum materiam pro eorum generatione detrudant. Cap. XXII.



IAM quomodo ebullitio materiæ, quæ pro morbillorum generatione ad cutim detruditur, frænetur, compeſcaturve, capite ſuperiori abundè diſputauimus. remanet modo, vt cum quibus eadem ad cutim expellatur, non inſulſe. inquiramus, aliquando namque, aut ob inobedientiam materiæ, aut ob virtutis impotentiam, vel ob viarum, & pororum anguſtationem, materia per cutim digeri non poteſt. Quare tunc auxilio natura opus habet, & his quæ dictorum in capite ſuperiori contrariam intentionem poſſidet. hæc enim ebullitionem excitant, & oppilationes aperiendo tollunt. vnde Princeps cap. 10. dixit. immo oportet, vt iuuentur ſuperfluitates, in huius diſpoſitione, cum eis, quæ faciunt ebullire, & oppilationes aperiunt, ſicut fœniculum, & apium, cum zuccaro; & ſuccus eorum, aut decoctio radicum, & ſeminum; & forſan odoratur aliquid ex croco: & aqua ficuum eſt bona valde. & ſubdit, ficus enim ſunt vehementis expulſionis ad exteriora, & illud eſt vna de cauſis euaſionis à nocumento earum. & illinc ad parum. & de illis quæ conferunt valde in huius modi hora eſt vt ſumatur.

ficus expellunt valde

℞. Laccæ ablutæ.	ʒ. v.
Lentium excorticatarum.	ʒ. vii.

Draganti.

Draganti. ʒ.iii.

Coquantur in libris quinque aquæ, quoad remaneat quarta lib. vnius, & detur in potu. inquit Herculanus in commento, & certe male poterit bibi, nisi misceatur cum aliquo liquore. Quare crediderim ego, quòd si vna libra, vel vna cum dimidia vel duæ ab ebullitione remanerent, quòd melius esset. tu tuo genio decoctum para. dictis addidit Auicennas, & de illis quæ sunt vehementis iuuamenti ad faciendum apparere variolas est vt sumatur.

℞. Ficuum siccarum citrinarum. ʒ.vii.
Lentium excorticatarum. } an. ʒ.iii.
Laccæ.
Draganti. } an. ʒ. ii.
S. Fœniculi.

Decoquantur in lib. 5. aquæ quoad remaneat tertia, coletur, & detur in potu. expellit enim (inquit ipse) caliditatem à partib. cordis, & prohibet pulsum ipsius.

Razes vero cap. 7. vt cutis rarescat, & materia ad ipsam detrudatur, sequentia præscribit.

℞. S. Fœniculi. } an. ℥. s.
Apij.

Bulliant in s.q. aquæ secundum art. ex qua vesiculæ repleantur, & ægro a collo infra, bene prius stragulis, & pręcipue rubeis cooperto, admoueātur. Et hæc ab extra. Similiter in potu ea quę per cutim excrementa exigunt, parat. sunt etenim.

℞. Caricarum pallidarum nu. 30.
Vuarum passarum acinis exemptis. ℥.ii.

In aquæ lib. tribus immittito, bulliant leniter ad tertiæ consumptionem, & ægro libras duas propinato, vbi tamen eum prius cum operimentis & fotibus calefeceris. quibus adhuc nō contentus alia & validiora ad eandem explendam intentionem, sub hac forma commendat.

℞. S. apii. } an. ℥. ii.
Fœniculi.

Bulliant in s.q. aquę, ad eius ruborem, percolato, & ad tres vncias ægro exhibeto. dictis addidit, quod sequitur. in qua compositione, quia per sextulas loquitur, quæ dosis mihi incognita est. ideo ad consueta pondera medicamentum reducens, & nonnul

la

la moderans, quæ interpretis culpa vitiata censeo, tali ordine compositionem pararem.

℞. Rosſ. tritarum. ʒ. iii.
Lenticulę purgatæ. ℥. iiii.
Caricarum pinguium. num. x.
Vuarum passarum albarum, & mundarum. ℥. ij.
Fœniculi. } an. ʒ. i. s.
Apij. }
Croci. ℈. i.
Laccæ purgatę & lotæ. ʒ. i. s.

Decoquantur in tribus libris aquæ, secundum artem, ad consumptionē tertiæ partis, de qua detur libra media pro vice in aurora, & duabus, aut tribus vicibus, secundum opportunitatem reiteretur. Serapio vero tract. 6. cap. 12. sequenti oratione eandem sententiam confirmauit. Et demus eis in potu, vt appareāt vlcera velociter, absque constrictione pectoris & sine angustia, & absq; syncope, & sine nausea, hoc quod sequitur. Nota

℞. Laccæ. ʒ. v.
Lentium non excorticatarum, neque ablutarum. ℥. i.
Draganti. ʒ. iii.

Decoquantur in libra vna aquæ, donec tertia remaneat, coletur, & ut supra, detur in potu. Constantinus quoque Affricanus lib. 7. cap. 8. conscriptis verbis dictis astipulatur. Medicandum est ergo in initio, cum calidis, & humidis, quæ materiam dissoluunt, & extrinsecus expellunt. caueatur à frigida medicina, quę claudit poros, & congelat humores. quæ verba intelligenda sunt de initio exitus morbillorum, & non de initio ebullitionis, vt capite superiori dictum est. deinde subdit. Medicina vero cito eijciens variolas, & sine molestia, est succus marathri, apii, cum oxyzaccara. accipiant etiam de hac medicina à nobis probata. Nota

℞. Ficuum siccarum, num. v.
Lentium mundatarum. ʒ. x.
Laccæ. } an. ʒ. s.
Draganti. }
Marathri. ʒ. s.

Omnia coquantur in lib. i. s. aquæ vsq; ad tertiam, coletur, &

in ea

in ea ℈.i.croci ponatur,& da bibere ante cibum, & hora dormitionis, donec tota apparuerint,& deinde abstineat. Rasis quoq; 18.continentis,non tantum propriam sed aliorum etiam recensens opiniones, medicamenta quibus morbillorum materia pro eorum generatione ad cutim detrudatur, enarrat, quas breuitatis gratia scienter omitto.vnum tamen & illud præcipuum, & ab eo summopere laudatum, modo infrascripto initiatur, Medicina diuina multæ experientiæ,& bonitatis. reliqua quęre ibi. Cæterum in materia crassiori, vt in peticulis. ecthimatibus, & variolis,præter ea,quæ à proprietate agunt, calidiora requirũtur; secus tamen est,in calidiori subtilioriue materia;in qua mitiora calida commendantur;& hæc ab intra. Circa quæ cadit dubitatio,quomodo scilicet,astringentia medicamenta, vt lacca lentes, & cætera, morbillorum materiam ad cutim detrudere possint,cum ipsam potius incrassent, in intimioribus impingãt, & ad motum inhabilem reddant. Cui dubitationi sic satisfactũ volumus.dragantum nempe,laccam,& lentes,membra intrinseca principalia præsertim corroborare, quæ roborata,à se se ipsis ad cutim materiã expellere maxime valent.ad quod peragendũ, ficus inter cætera non modicum iuuamentum præstant,dicente Principe citato capite, & aqua ficuum est bona valde,ficus enim sunt vehementis expulsionis ad exteriora.& paulo inferius, post quàm decoctum ex ficubus citrinis, lentibus, lacca, & reliquis ordinauit,subdit.expellit enim decoctum istud caliditatem à partibus cordis,& prohibet pulsum ipsius. Vnde maius iuuamentum præstant, dicta peragendo, ebullitionem insuper frænando,pulmonem, cor, & hepar, cum cæteris membris intrinsecis corroborando, quàm materiam incrassando obesse possint. illa enim confortata, nec materiam interna petere, nec ad intestina prolabi permittunt; quæ nihilominus quia noxia à natura & à medicamento detrusa, cum in internis partibus permanere non valeat, reliquum est, ut extima petat, & ad cutim deferatur. Dictis adde, quòd enarrata medicamenta indicibili quadam facultate, cum uariis prædita sint viribus, varia etiam præstare possunt. vnde vna facultatum, ab internis partibus ad extimas materiæ expulsionem procurant; altera verò ebullitionem frænant, & membra interna, præcipue nobilia, vt dictum est roborant, atque firmant. Modo quomodo

modo

modo membra ab iniuria morbillorum tueantur inquiramus.

Quam primum morbillorum indicia prodierint partes quæ tueri debent, exaratur; similiter & nonnullis symptomati bus succuritur.

Cap. XVII.

QVONIAM autem, dum à morbillorum iniuria, membra tueri docebimus, necesse erit, vnà aliquibus symptomatibus obsistere, rursusque nonnulla alia profligare; propterea eodemmet capite, de membrorum præcustodia, similiter & de aliquorum symptomatum remotione, agemus, à membrorum munimine exordientes. Membra autem quæ à morbillorum nocumento custodiri debent, ab Auicenna cap. 2. conscripta loquutione numerantur. Membra quæ oportet tueri à nocumento variolarum, sunt, guttur, oculus, partes internæ narium, pulmo, & intestina; hæc enim membra sunt quæ vlcerantur. Quorum nocumenta arctius docens sic subdit. Fortasse enim oculus destruitur, & fortè in eo accidit albugo, in gutture vero aliquando accidit præfocatio, & forsan accidunt vlcera, quæ prohibent deglutitionem in meri, & interdum perueniunt ad hoc, vt illic sit corrosio perniciosa; in internis autem partibus narium, aliquando accidunt vlcera, quę strin gunt meatus odoratus; in pulmone. rursus, ex bothor variolarum & morbillorum, aliquando accidit constrictio anhelitus vehemens, & forsan faciunt cadere in phthisim, cum vlcerantur; in intestinis, tandem, fortasse accidit excoriatio, cui succurrere est difficile. hæc Princeps. præter quæ Razes. cap. 8. suæ pestilentiæ, pedum quoque, & aurium, curam habet. nunc ab oculorum munimine cum Auicenna initiemur.

Oculi præcauentur.

PRINCEPS dum de oculi præcautione verba fecit, sic ait. Conseruatio autem oculi melior est, vt fiat alchool cum almuri, & aqua coriandri, cum aqua rosata, in qua posita sint, sumach

mach & camphora, & propriè in primo die. Auenzoar autem
lib. 2. tracta. 7. cap. 3. sic habet. & scias quòd variolæ frequenter
accidunt in oculis, & sunt causa perditionis visus; quare à prin-
cipio studere debes, proijcere in oculis eorum aquam rosatam,
in cuius duabus vnciis, sint infusæ sumachiorum drachmæ duę,
de qua pluries in die destillabis, & præseruabuntur oculi cum
adiutorio Dei. Hæc autem in mediocri pestilentia competere
crediderim. secus autem in validiori putandum est. in qua Razes
cap. 8. pro oculi præcautione, ita scriptum reliquit. Tunc autem
adhibere conuenit, quæ oculum insigniter corroborant. vbi per
initia accessionem vehementem, magnumq; palpebrarum pru-
ritum in oculis, & in aliis quibusdam locis rubedinem conspe-
xeris, quæ in particulis rubentibus, ex tuberculo, necessario ena-
scitur. Corroborat itaque strenue stillaticius rosarum liquor, &
rhus syriacus, in eo maceratus. quod si amplius roborare velis,
gallas cum stillaticio rosarum liquore infricato. quibus. quan-
doque addit cortices mali punici acidi, interdū glaucium, aloem,
acaciam, & crocum; vti in vehementi pestilentia in qua coniun-
ctiua rubore tentatur; qui rubor & si ab applicatione medica-
mentorum minuatur, reuerti tamen postea solet; vnde tunc di-
cta dimittit, & garum ex pane confectum instillat. Cæterum sum
mopere cauendum est, ne totus oculus lædatur. læsiones enim,
quæ sunt in cornea ceratoide ab ipso appellata, & in vuea rha-
goyde dicta, illarum quæ in coniunctiua fiunt, magis verenda,
vt quæ visionem impediant. in quibus casibus, à præscripto an-
tea collyrio, crocum adimit; & eius loco, hæmatitem iniungit.
Razes vero. 18. continētis, c. 8. ex decreto fillj Mesuæ cum aqua
rosata, in qua madefactum sit sumach, sed prius decoquantur
in ea coriandri, fricetur antimonium, & ponatur camphora, ocu
los munit. vnde sic parare medicamentum poteris.

℞. Aquæ rosatæ. lib. i.
Coriandrorum. ℥. i.

Bulliant Coriandri confracti ad consumptionem tertiæ par-
tis, coletur, colaturæ adde.

℞. Antimonij. ʒ. iii.

Puluerizetur, & in petia rara ligetur, & petia in dicta aqua
infundatur, & pluries digitis emulceatur, proijciatur petia, &
aquæ rosatæ, adiunge

Camphoræ.

R/ Aqua ros: ℥ ij
sumach: ʒ ij
pro Collirio

Camphoræ. ʒ. s.
Misce, & ex ea sæpius in die gutta intra oculos instilletur. & circumcirca oculi etiam liniantur.
Ego vero sequenti ordine collyrium pararem.
℞. Aquæ rosatæ. ℥. iiii.
Sumach. ʒ. ij.
Camphoræ. ℈. i.
Croci. ℈. s.
Ligentur hæc omnia in petia rara prius in pollinem rodacta. infundatur in liquore petia, & oculi circumquaque ex ea, sæpe sæpius extra vt dictum est, liniātur. Valet & hoc quod sequitur.
℞. Aquæ rof. ℥. iiij.
Gallarum.
Sumach. } an. ʒ. i.
Balaustiorum.
Croci. ℈. s.
Conterantur grosso modo, vt supra, infundantur, & vsui, vt dictum est seruentur, æstate frigide, hyeme tepide, quibus nonnulli folia auri addunt. vnde aqua extinctionis auri, si cū ea oculis circumquaque fricentur, plurimum valet. tu secundum opportunitatem operare. scito tamen quod frigida & sicca omnia, quæ absque mordacitate adstringunt, ad dictam intentionē exequendam sunt accommoda. Cæterum non desunt, qui vt facies à morbillorum iniuria vendicetur, aqua frigida ipsam aspergāt. quorum sententiam non laudo. materiæ enim ad membrū principale recursum vererer, vt ad crebrum, & gulam; hoc vel maximè, cum hæc pars à morbillis sæpissime soleat detineri. Cæterum quia tanta est quandoque morbi sceuitia, vt dictis medicamentis non cædat, sed oculos morbilli detineant, occupentve, tunc pro pustularum maturatione, & doloris alleuiatione, muccilagine seminis citoniorum, seminis lini, vel fœnugræci, vti, optimum erit, & hoc quoad maturata pustula fuerit. quo tempore syeph de Thure cum lacte, vel cum decocto maturante, vt seminis citoniorum, seminis lini, fœnugræci, quod in aqua rosata, vt cornea ex eo comprimatur, corroboreturve, ne à pustula disrupta oculus exeat, confici debet. disrupta pustula, mundificatione indiget, quæ cum melle rosato, aut aqua zuccari, similiter & cum zuccaro candido appellato, aut syeph de plumbo, (& est cæteris præstantius,) in aqua hordei emollitis perficitur. huic

Aqua Aureata

Di Variolis Oculi tenentes Curatio

succederet incarnatio, quæ à natura, (cum vt plurimum cutanea vlcera sint) adimpletur. quæ si essent corrodentia (yeph elysir curantur, in quo casu ne oculus exeat, pila in aqua rosata, vel consimili intincta comprimi debet. hoc vnum notando, vt supra oculum nullo pacto tenacia ponantur, ne in eorum remotione dolor excitetur. quibus præsidiis præmissis, bono victus regimine, & vniuersalioribus celebratis, dicta vlcera ad cicatricem perducuntur. At quoniam dictis cicatricibus vestigia albugines dictæ succedere solent; quæ pro earum remotione faciunt, dum de remouendis vestigiis, non tantum ab oculo, sed ab vniuerso corpore, agemus, clarissimè innotescent. Modo de gutturis præcautione dicamus.

Notadu

Gula ab iniuria morbillorum custoditur.



NE tubercula, & pustulæ in gutture, & ore nascantur, & erumpant, maximopere verendum est. inde enim inspiratio impeditur, & strangulatio exoritur; qua oborta, (vt loco allegato inquit Razes) neque salutis spes, neque curatio expectanda erit. quare quamprimum ebullitio & febris morbillorum apparuerit, ex dicendis gargarismata paranda erunt.

℞. Aquę plantag.	℔. i.
Aquæ rosatæ.	℥. iiij.
Vini granatorum.	℥. xv.
Diamoronis.	℥. iii.

Misce pro gargarismatibus, quæ frigida fiant, & sæpius reiterentur. Valet etiam hoc quod sequitur.

℞. Mirtillorum. Ros. rub.	an. pug. s.
Pomi granati muzi in quatuor partes diuisi.	num. i.

Bulliant in ℔. ij. & semis aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, vel quoad remaneat ℔. xv. aquæ colatæ. cui adde.

Diamoronis. Rob. nucum.	an. ℥. xv.
Aceti ros.	℥. i.

Misce pro gargarismatibus, fiant vt supra. Cæterum, quia, vt plurimum, morbus iste puerilis existit, qui ob impotentiam gargarismata non admittunt; propterea diamorone, rob nucum, &

vino granatorum, sub sequenti forma, uti optimum erit,

℞. Diamoronis. ʒ. ii.
Rob. nucum.
Vini granatorum. } an. ʒ. i.

Misce & ligno, in quo petia inuoluatur, fauces, & palatum, prius in dicto liquore intincto, sæpius liniantur; vel ut Auicēnas imperat, lābendo sumatur. Razes quoq; qđ sequitur cōmendat.

℞. Mucilag. psyllii.
Ol. amygd. dulc. rec. } an. ʒ. i.
Zuccari. ʒ. i. ß.

Misce, & lambendo sæpius capiatur. ego libentius zuccarum candidum loco communis ponerem. Quod si hæc non suffecerint, & degluttiendi difficultas aderit; ex præcepto Razę cephalica secetur, si adultus, vel è naribus cum setulis porci; vel si paruulus, cum hyrudinibus sanguis detrahatur. Nunc tempus est vt internæ partes narium custodiantur. Cephalicę Venę incisio

Quomodo naribus subuenitur.

Nares quoq; adeo à morbillis obsessæ interdum obturantur, vt respirationem impediant, qua impedita, os intense exiccatur, vt exinde æger non modicū sentiat nocumentū, propterea à morbillis eas tueri necessarium erit, quæ tuitio, cum odoratione aceti, commode fiet. vnde dixit Princeps, & odorare acetum est vehementis iuuamenti. etsi ante ita scriptum reliquisset. sed interiores partes narium cum epithematione ex memithe & sandalis, & rob agrestæ, & aceto, maxime tuentur. Guaynerius vero c. 6. tale medicamentum parat.

℞. Aquæ ros. ʒ. iiii.
Aceti ros. ʒ. i.
Camphoræ. ℈. i.
Sandalorum citri. ℈. ii.

Omnia in ampulla ponantur, & ab ægro sæpius odorentur; potes etiam secundum ipsum ex dicta aqua nares illinire. Similiter & cum aliis, quæ ab eodem describuntur, quas citato loco videant studiosi. Cæterum si a morbillis nares nedum præseruarentur, sed magis vi morbi ulcerarētur, præscribendum vnguentum eis valde proderit, quod

℞. Olei violati. ℥. i.
Muccilaginis dragacanthi in aq. rof. nutriti. ℥. s.
Ceræ albæ parum. miſce. fiat vnguentum & naribus applicetur. Modo auribus ſubueniatur.

Aurium tutela.

Auribus ex Raze, ſequenti ordine ſubuenitur.

℞. Marmoris leuigati. ℥. s.
Glaucii. ʒ. i.
Croci. ℈. s.
Aceti. ℥. i. s.

Miſce & gutta aurem ſæpius in die inſtilletur. Nunc de fluxu ventris agamus.

Quibus ventris fluxus inhibeatur.

Ventris lubricitas in præſenti morbo ſi vſq; alibi, non modicã ſuſpitionem affert. Signum enim eſt materiam, quæ extra à natura detruditur, interna petere, & motum contrarium naturæ motui operari. Qua de re, nedum alleuiationem facit, ſed vires imbecilliores reddit. venenata namq; materia inteſtina eradit, & deducit ægrotantem ad mortem. cohibendus itaque erit fluxus omnino. quam veritatem Razes cap. 8. conſcripta locutione declarauit. quod ſi venter deiecerit, gummi arabicum, ſemen cucurbitæ, quæ tetranguron dicitur, & cotoneorum ſuccum, admiſceto. Auicennas uero cap. 11. eandem ſententiam ſic inquiens confirmauit. inteſtina autem, plurimum quidem oportet vt conſeruentur, poſt inceptionem cũm ſtipticis; & cum incipit ſolutio ventris in fine ægritudinis, curetur cum trochiſcis de ſpodio, de ribes, & de ſemine acetoſæ. Serapio vero tractatu 6. ca. 12. ſic ſcriptum reliquit. & ſumantur trochiſci de ſpodio, & dentur cum aqua pyrorum recentium. & ſubdit, & ſi indigent clyſteri, curamus eos cum vno clyſteriorum prædictorum in curatione excoriationis, comedãtq; milium excorticatum decoctum cũm hordeo emollito, aut cum ſaucih hordei, quã magis ex hordeo aduſto commendarem. ſauich autem hordei eius polenta eſt, quo loco trochiſcos reliquias febris ſanguinis extirpantes, & propterea

rea in casu maxime congruentes recenset. Guaynerius vero conscripto ordine clystere parat.

℞. Ros.rub. m. i. s.
Oryzæ. } an. m. i.
Panici. }

Fiat decoctum in aqua pluuiali, & melius in aqua extinctionis chalybis, secundum art. ad bonam coctionem.

℞. Prædicti decocti. ℔. i.
Zuccari rosati antiqui. } an. ℥. ii.
Ol. ros. completi. }

Misce pro clysteri, quod oleum rosatum si esset omphacinũ melius existimarem. Rasis vero 18. continentis de mente Georgij, ne venter fluat, rob mirtillorum, citoniorumve, cum trochiscis de spodio plurimum commendat, quibus si adderetur rob corneolorum, aut ipsorum conserua, & sorbarum etiam immaturarũ; valentius medicamentum esset. Modo pulmonẽ seruemus.

Pulmo tuetur.

A pulmonis offensa, & vlceratione, quã morbilli excitarint, anhelitus constrictio, & fortasse pthisis oboritur. hinc eius tuitio pro posse molienda erit, quæ loch de lentibus perficitur. vnde Auicennas loco allegato dixit, in cõseruatione pulmonis, nõ est aliquod ita conueniens, sicut loch ex lentibus, cum semine papaueris albi. huius autem loch conficiendi modũ, docet Guaynerius cap. 6. sic inquiens. pro defensione pulmonis ne ulceretur, & ne anhelitus constrictio (vt nonnunquàm contingit) sequatur, Auicennas loch de lentibus præscribit, quod ita paratur. Loch de Lentibus

℞. Lentium excorticatarum subtiliter tritarum, ℥. iii.
S. papaueris albi. ℥. i.
Conseruę rosarum. } an. q. s.
Iuleb. ros. }

Fiat loch. de quo sæpe capiat infirmus. Ego vero syrupum iuiubinum, mirtinum, uiolatum, loch de farfara, præcipue tamen de papauere, non modicum, crediderim in casu conferre. Nunc quomodo articulis subueniatur dicamus.

Quibus articuli muniantur.

Articulorum ratio summopere habenda est, ne immodica attrox que in eis pestilentia erumpat, ipsos vitiet, & ossa, tendines, ligamentaue, ita offendat, vt inde membri mutilatio oriatur. quare sandalis, glaucio, bolo armena, rosis, terra lemnia, sanguine draconis, aceto, & stillatitio rosarum liquore, non multum tamen longe ab eis articulos illinito. ita dicit Razes in lib. suo pestilentiæ cap. 8. Modo cum quibus in plantis pedum commoda morbillorum eruptio fiat, doceamus.

Vt in plantis pedum morbillorum eruptio absque molestia fiat quibus pugnandum.

Razes citato capite, quibus in plantis pedum facilis eruptio fiat, sequenti oratione sat clare docuit. At si in plantis pedum difficilis eruptio contingat, has ex oleo tepido, & aqua calida foueto. quòd si dolor cum his non conquieuerit, nec pestilentia facile expellatur, sesamo purgato, & contuso in lacte macerato, ipsas inungito, & linteo per totam noctem illigato, deinde his ademptis, iterum ex aqua calida foueto, & iterum inungito; sin autem uoles, palmas contusas & butyro mistas illinito, ac sesami seminis, limo, quoniam hæc, similiaue quæ cutim emolliunt, & facilem pestilentiæ exitum parant præstare solent, pariter quæ dolorem sedant, dictam intentionem perficiunt. Modo de morbillorum maturatione dicamus.

An morbillorum maturationem iuuare debeamus, cum quibus acceleretur, rursus post ipsorum maturationem quomodo prurigo moderetur, & eorum disruptio moliatur. Cap. XXIII.



IAM quomodo à morbillorum iniuria membra tueri possint, capite superiori disseruimus, in præsentiarum cum quib. cito morbilli concoquantur, disrumpantur, & exic-

& exiccentur, exponendum remanet, ab eorum maturatione ordiendo.

Maturationem itaque docet Razes in tract. suo de pestilentia cap. 9. sic inquiens. Dicamus igitur, quæ pestilentiam cito concoquant, vbi hanc post eruptionem pustularum tarde concoqui, rursus ægri statum bonum, inspirationemq; & pulsum esse mediocrem, necnon ægrum facilè morbum tolerare conspexeris; tunc naturæ succurrendum est, vt celeriter concoquat; è contra vero, si pestilentiam duram videris, quales sunt verrucæ, & porri, & malus sit ægri status, morbusq; augeatur, & increscat, coctionem adiuuare non tentes, quoniam fieri non potest, imo eorum eruptio est læthalis. Cæterum si benigna sit pestilentia, aqua calida, in qua decoctum sit chamæmelum, melilotum, althea, violæ, tritici furfures, in vesiculis, & vtreolis posita, & corpori admotis, mirificè commendatur. verum ex dictis Razæ coctionem iuuandam non esse, videretur dicendum; cum in benigniori tantum pestilentia, fomenta commendet; in seuiori vero, ab ea abstineat; innuente præcipuè Hippocrate, quòd quæ iudicantur & iudicata sunt integre, neque mouere, neque innouare aliquid oportet, sed sinere. Quare potente natura, per se, absq; alio adminiculo, mitiorem pestilentiam expellere, & cōcoquere, eius coctionem fomentis iuuare superfluum videretur; hoc vel maximè, quia de maturatione, nec verbum fecerit Princeps, quæ si necessaria fuisset, eum docere nullo modo dimisisset. Pro cuius dubitationis diluitione, Razem in mediocri pestilentia fomenta parasse putandum est. vnde in desperata similiter & in benigniori quæ quàm facilè à natura concoquitur ipsam prohibuit. Quare etsi dicat Razes quòd in benigna, & in ea quam ægri facilè tolerant, fomenta adhibenda sunt, id respectu desperatæ, intelligendum putarem; & non illius, quæ facili impendio à natura regulatur; in qua fomenta superflua censenda sunt, quæ ab aliis quoque & à Raze. 18. continentis ex multorum decreto laudantur: etsi nostris temporibus, nec in benigniori, nec in desperata, vel media, quemadmodum, & tempore Auicennæ, nullatenus admittantur. Modo maturatione supposita, de eorum prurigine dicamus.

Quæ morbillorum prurigini aduersantur.

SVCCEDENTE morbillorum maturatione, prurigine ægri tentantur, aliquando mitiori, interdum vero validiori, & tediosa. pruriginosus autem dolor, teste. Gal. 2. de loc. affect. cap. 7. ad solam superficiem spectat; non tamen primario pro ipsius propria ratione; sed per accidens, eo quod densior subiectis sibi partibus cutis existat. quasi diceret, quòd cum non possit humor acris & modice calidus præ cutis densitate efflari, & resolui, reliquum est, vt pruriginem excitet. vnde eodem citato loco, causam docens, dixit. fit autem ob acres quosdam humores. quare cum particulari humori acri prurigo addicta non sit, remanet vt dicamus omnem moderatum acrem humorem, pruriginem excitare posse. propterea in libro de multitudine cap. 8. dixit, Quæ modice mordent, pruriginem faciunt; quę moderate calida etiam esse debent. quam veritatem 6. de morb. vul. sect. 2. cap. 29. conscriptis verbis demonstrauit. moderatè tantum calida pruritum excitant. & subdit. vehementius enim calefacientia, statim mordent, atque contristant; quod symptoma, vt ex lib. de sympt. diff. ca. 3. clare habetur, est tristis sensatio sensus tactus. quomodo autem tristis sensatio dici possit, cum non paruam delectationem afferat, non modicam dubitationem habet; nisi quod ad scalpitionem sequitur, inspiceremus. semper enim scalpitioni, tristis sensatio succedit; & ipsam antecedit: etsi in scalpitione delectatio sentiatur. Quæ prurigo non nisi maturis morbillis aduenire consueuit. tunc enim materia modice acris efficitur, & moderate calida per maturationem euadit. Cui prurigini, vt succurratur, absynthio mulieres solent ipsos percutere, nec iniuria. v. enim de simpl. med. ca. 12. postquam Galenus de emplasticis medicamentis habuit sermonem, sic subdit. Quæ vero poros etiam expurgant, ea subtiliorum partium, his sunt, & emplasticis, contraria, proinde pororum ecphractica, & eccathartica quasi expurgantia & farctu liberantia dicas. sunt autem hæc tum nitrosa, tùm amara. quo loco, etsi videatur dicere Galenus, quòd quæ amara sunt, & adstringunt, vt absynthium, intus repurgare possunt, foris non ita; & hoc quia poros ratione astrictionis infarciunt, magis quàm vt amarore repurgare valeant: In absynthio tamen dicto modo administrato locum non habet.

Absynthium pro prurigine

habet. nam quia emplastico modo eo nō vtimur, infarcire meatus & obstruere non potest; amarore tamen, præcipuè per reiteratas percussiones, meatus detergere, & materiam resolutioni dissolutioniq; parare optimè valet. quare balneis eo tempore non vterer, cum multis de causis sint suspecti; hoc vel maximè quia patientes commodè tractari non possunt, sed abrotano, marrubiove, morbillos percuterem. hæc enim amarore infarctos meatus detergent; astrictione autem, cum ipsam non habeant, nocere non valebunt. quo tempore vt pueri nullo modo scalpant, curandum est; vnguibus enim dilaniant loca, foueas faciunt, & cicatrices scalpta loca, & interdum fœdiora admittunt. Nunc tempus est, vt de eorum disruptione agamus.

Abrotanum, et Marrubium propono

Quo tempore. Morbillorum disruptio molienda sit.



DISRVPTIO Morbillorum, maturatione completa, præcepto Principis cap. 10. sequentibus verbis præcipitur. Et quando egrediuntur variolæ cum complemento, & pertransit septimus & apparet in eis maturatio, tunc necesse est, vt rumpantur. Quæ actio, vt congrue, & secundum rationem fiat, quatuor spectanda erunt, tempus operationis primo; qui nam sint aperiendi, secundo; tertio quo instrumento; quarto quomodo eorum apertio facienda sit. De primo, primo dicamus. Quare apertionis tempus, vt docuit Princeps, est post Morbillorum maturationem; maturatio autem post septimam succedit. Ego vero dico, quòd circa vndecimam, & interdum postea fieri debet. ab initio enim quarti, vsque ad septimam, vt plurimum complete exeunt; à septima ad vndecimam & non antea, perfecte maturantur. etsi aliqui, qui primo exierunt, primo etiam potuerint maturari. Quare ly post septimam, Auicennæ; circa vndecimam, vel post, intelligi debet. Modo quinam sint aperiendi, (iuxta secundam intentionem) videamus. Vnde tātum illi incidendi erunt, qui plures in vno ventre continebuntur; vel per se magni admodum erunt; vel aceruatim corpus occupauerint. rursus qui in se ipsis, quod naturam densatæ pinguedinis præseferet, continebunt. hi enim, qui mul-

quando, et qui aprirandi Variole

ta, & crassiori materia referti sunt, cito exiccari non possunt. quare dicto tempore omnino, vt aperiantur, oportet. Nunc quomodo, & quo instrumento, aperiri debeant succedit.

quare cum stru-
ro pforadi

Quo instrumento & quomodo aperiendi morbilli, declaratur.

INstrumentum, quo aperiendi sunt morbilli, docet Princeps, citato loco, dum ait, necesse est, vt rumpantur cum acubus de auro, & hoc propter excellētiam metalli. ex eo enim inflicta vulnera tantum dolorem, vti à cæteris metallis, non retinēt; & dum sanantur, cicatrices non admittunt. nec in hoc sunt audiēdæ mulieres, eisq; nullo pacto assentiendum, cum absque ratione vestigia, & foueas, ex incisione pertimescant. si rectè enim dicta operatio fiet, proculdubio, nec foueæ, nec vestigia remanebunt. rectè autem & commodè succedet, iuxta quartam hypothesim, si taliter perforabuntur, & incidentur, vt amplius coalescere non possint. à coalitione enim vlcera redduntur corrupta, & locus à materia acri concauatur. Non coalescent autem, si acus nedum perforabit, sed vnà incidet, & ex toto morbilli cum ea aperientur, etsi Galenus sect. 3. super lib. Hippocratis de fracturis, com. 3. diuersimodè visus fuerit egisse, dum ait. Huic simile est id quod in pustulis fit, quæ multis de causis exoriri consueuerunt, in tumoremq; exurgere, magnumq; dolorem interdum afferre; eas eodem modo curo, acuta acu pustulam pungo expressoque inde sensim humore, cutem adiacentem relinquo, & cum euenit, vt rursus foramine occluso repleatur, iterum eodem modo pungitur, expressoque humore, cutis carni applicatur, ac deprimitur, seruaturq; ita, quoad, quod sub ipsa carne vlceratum est, consolidetur. qua Galeni authoritate non obstāte, (vt dictum est) pustulas ita aperiendas curarem, vt coalescere amplius, non valerent, ne à reiterata collectione, acrior humor euadat, & foueæ inde succedant. quod minimè fiet, si ex toto incidentur, & aperientur, cotoque, vel bombice, eorum humiditas abstergetur, & exiccabitur. de qua exiccatione modo agere tempestiuum erit.

Ad morbillorum exiccationem accommoda.

Pro morbillorum exiccatione, Razes cap. 9. ex corticibus amygdalarum & mirti foliis, rosis, & sandalis suffitum parat, etsi magis laudet rosam in æstate, pulegium vero in hyeme. non desunt, qui ex rosis, foliis oliuæ, tamarisci, cupressi, & thure, suffumigia parent; & tunc, ut thus, & oliuæ folia, secundum ritum Christianorum benedicta usui existant, consulimus. Ad eandem quoque intentionem de mente filii Mesuæ Rasis. 18. continentis, ex lignis tamarisci, quercus, & vitis, in hyeme ignem accendit, quod confirmat tract. 10. cap. 18. valet etiam & hoc quod sequitur.

℞. Thuris,
Mirrhæ.
Aloes.
Terræ Lemniæ. } an. ℥. i.

Puluerizentur omnia subtilissime & incisis vt supra morbillis, dicto puluere aspergantur. Sequens quoque puluis similiter commendatur.

℞. Mirrhæ.
Aloes.
Ireos.
Sang. drac. } an. ℥ i.

Misce. pulurizentur, & usui ut supra existant. Rasis vero 18. continentis de mente filii Mesuæ, ad eandem intentionem ita scriptum reliquit. Dico, mulieres vtuntur foliis lilii ad desiccandum variolas, & vidi quòd ipsę desiccant finali desiccatione. & subdit. & aqua salis valet magis ipsis, nisi quia patienti facit multã punctionem. hinc cap. 10. dixit Auicennas, cum volueris salire, elonga salitionem ab eis, quas erupisti, de magnis & dolorosis ex propinquo. & reddens causam elõgationis, subdit. illud enim facit dolorem. non est propterea quin dicto loco salitionem non admittat, & vnà modum quomodo, & quando fieri debeat, non ostendat. Ego salitione dimissa, cum cæteris supradictis procederem. Qui salitionem facere voluerint, ex Auicenna, ex Raze, locis allegatis, saliendi modum ediscere poterunt. Cæterum, vt morbillorum exiccatio acceleretur, ex præcepto Razæ loco citato, reclinatio ægri super farinam oryzæ & panici, summopere cõ

men-

mendatur. Princeps verò præter dictas farinas, fabarum & hordei, oryzę & milij addidit, ex quibus culcitram implet, & super eam ægrum reclinat. vel possunt farinæ supra culcitram aspergi. super farinas, subtile & rarum linteamen accommodari, & super ipsum ęgrum reclinare. Constantinus uero cap. 8. farinis milii, & oryzæ crocum addidit, quo tempore oleaginosa omnia, ut quæ exiccationem impediant, arceantur. vnde dixit Princeps, & oleum in hac hora malum est, quoniam exiccationem impedit. Rasis quoque 18. continentis de mente filii Mesuæ, nullo tempore oleum competere, sub his verbis, asserit. nullo itaq; tempore, ante exiccationem morbillorum, oleum couuenit. In principio enim, exitum morbillorum impedit; in fine uero vlcera corrupta reddit, & locum concauat. Nunc quomodo inductæ crustæ casus moliatur, videamus.

Quæ crustas, & squammulas tollant, cicatricesue & vestigia vniuersa aboleri faciant, & pilos restaurent. Cap. XXIIII.

DVobus in locis cicatrices remanere affirmauit Razes cap. 2. dum ait, cicatrices oriuntur, uel in corpore, vel in oculo. Hic igitur caligine & albuginibus tentatur: corpus autem cicatrices retinet, cum tenera cute, & tenui, præditum fuerit, quæ etiam difficilē curationem recipiunt. Nos uero de crustarum casu, cum Principe primo dicemus, de reliquis uero deinceps. qui ait, & administratio alicuius olei post exiccationem, ut crustæ decidant, est bona. Vnde si oleo rosato uel unguento rosato vngentur, crustæ decident omnino. Cæterum quia remotis crustis interdum vlcera remanere solent, tunc cum vnguento albo camphorato, cum rasura cannarum, vel salicis, aut piri cum aqua rosata mixtis; uel vnguento de lithargyro, ex præcepto Principis vlcera dicta curabimus. quibus fœdæ cicatrices aliquando succedunt, quas remouere operępræcium erit.

Cicatrices tolluntur; & primo ab oculis.

IAm ſupra dictum eſt, cicatrices in duobus locis reperiri, nempe in oculis, & in cæteris partibus corporis. nos primo de albedine oculorum, ſecundo loco de cicatricibus, quę in toto corpore reperiuntur, agemus. Vnde albedo, quę in oculis contingit, eſt ueſtigium poſt vlcerum curationem remanens, quando conſolidantur. Quæ cũ in oculis puerorum reperitur, ad curandum facilior eſt, quàm cum accidit annoſis Cæterum ut curatio commode ſuccedat, duabus intentionibus incedendum erit, prima cicatricem emollit, ſecunda abſtergit, ſubtiliat, & erodit. Pro prima intentione complenda, uel balneatione vniuerſali totius corporis, vel aquæ dulcis particulari fotu perficitur. particularis autem fotus cum inclinatione faciei, ſuper aquam decoctionis raparum, aut paleæ hordei, aut paleæ auenæ, aut fęniculi, berbenæ, ruthæ, & chelidonię, expletur. Emollita & ſubtiliata cicatrice, (iuxta ſecundã intentionem,) immediate aliquod abſterſiuum, & ſubtiliatiuum apponi debet; ſemper à leuioribus inchoando. vnde zuccarũ candidum, aqua deſtillationis mellis ſimplex, & compoſita, ſimiliter puluis factus ex zuccaro candido, ſarcocolla, ſpuma maris, oſſa ſepiæ commendantur. ualet & vrina pueri in furno, in vaſe æneo coagulata, in qua ſi ſtercus hyrundinis ponetur, erit ſatis fortis. Auicennas ſuccum centaureæ minoris, cum ſucco papaueris ruffi mixtum, cum pauco melle mirifice laudat. ſuccus linguæ paſſeris, eſt proprius. nõ dimittam ſecretũ Gerardi in caſu, & eſt aqua roris marini, quæ modo ſequenti paratur, ℞. Flores roris marini quantumuis, impleatur ex eis phiala, & fortiter obturetur, quæ in diebus magni æſtus, ſub terra ponatur, & per quadraginta dies dimittatur. aqua vero quæ in dicta phiala inuenietur, in oculo ponatur. Circa quæ tria notanda erunt, primum quod à leuioribus inchoetur, & gradatim ad fortiora aſcendatur; ſecundum, ut medicinæ fortes maxima cum cautela adminiſtrentur; tertium vt ſi in oculo inflammatio aliqua orietur, ipſa antea remoueatur, ad dictas medicinas reditus fiat. Modo quomodo cicatrices à toto deleantur inquiramus.

Aqua destillata e stercore humano, et bilioso est utiliss.a sp.ca et Vrina destill.a

Cicatrices à toto demoliuntur.

Quomòdo oculorum uestigia remoueri possint, supra docuimus. remanet modo vt quomodo à toto corpore deleri possint dicamus. Ea autem quę ad hanc intentionem faciunt, varia sunt. Princeps enim cap. 12. ita scriptum reliquit. & de eis quę eradicant uestigia uariolarum sunt radices arundinis, sarcocolla, semen melonis, & cortices eius exiccati, rizi ablutum aqua hordei, albumen oui, lutum rarum, lithargyrum, zuccarum candidum, amydum, amygdalæ dulces, & amaræ: & de oleis, oleum de lilio, oleum de fisticis, adeps asini, cum oleo rosato, & aqua quæ exit ex ungula cameli est ultima. & subdit, & de illis quæ sunt fortia, est spuma maris, lapis piperis, idest spongia, uel turturis, costus, & armoniacum, thus, sapo, ossa uetusta adusta, semen raphani, puluis ipsius, aristolochia, lupini. quimet paulo inferius, ad delendum uestigia, medicamentum compositum, & illud non vulgare docet. Rasis uero 18. continentis loco allegato, ex decreto filii Mesuæ, ad eandem intentionem sequens medicamentum paratur.

℞. Ossa uetusta combusta.
Testæ ouorum. } an. ℥. x.
Radicis siccæ cannarum.
Tegularum nouarum. } an. ℥. xx.
Amyli.
Lupinorum.
S. Melonis.
Risi abluti.
Cicerum rub. } an. ℥. x.
Granorum ben
Costi.
Arist. longæ. } an. ℥. v.

Terantur omnia subtilissime, & cum aqua hordei, & melonis fiat linimentum, & ex eo totum corpus liniatur, sicque per diē, & noctem permanere permittatur, postea aqua decoctionis hordei & violarum abluatur. Cui succedunt duo consimilia medicamenta, quæ breuitati indulgens scienter omitto, & non tantum hæc, sed alia multa, quæ ex uariorum opinione, tanquàm ualentia satis, ab eo summopere commendantur. Cæterum inter medicamenta

dicamenta quę in remouendis uestigiis principatum obtinent, hoc singulare existimatur, quod

℞. Olei de uitellis ouorum.
De camphora.
De frumento.
olei tartari. } an. ℥. s.
misce & ex eo cicatrices liniantur.

Balsamum quoque in casu non mediocre existit. Vnum mirabile satis pro diluendis cicatricibus non dimittam, quòd ex pinguedine asini, & oleo rosato conficitur vt,

℞. Pinguedinis asini . ℥. ii.
ol. ros. ℥. i. s.

In simul in balneo mariæ incorporentur, & misceantur, & vsui existant. Similiter oleum ficus inferni appellatum, non vulgare medicamentum est, quod & lentigines euellit. Haly etiam 4. practicæ cap. 5. ad delendas maculas à morbillis derelictas, varia medicamenta recenset. Similiter & Razes cap. 12. sui tractatus de pestilentia, quæ studiosi perlegere poterunt. pulcra enim satis est doctrina de deletione uestigiorum & macularum, non solum morbillorum, sed cuiuscunque generis sint: propterea multa ad hanc prouinciam explendam in medium attuli. Cæterum esset modo de somni conciliatione, similiter, & de siti sedanda dicendum. Verum quia lib. 3. nedum de istis, sed de aliis etiam symptomatibus, acutis febribus communibus, accurate satis pe regimus, ad dicta loca studiosi recurrant; & omnium vberiorem doctrinam habebunt. Modo quomodo pilorum ortus, vi morbi depilatorum, acceleretur, dicamus.

Quibus ortus pilorum acceleratur.

A morbi istius sceuitia, non raro accidit, ut ne dum caua uestigia fiant, sed ab eadem humorum acredine, pilorum radices corrodantur, & decidant. hinc de eorum ortus acceleratione, agere congruum visum fuit. Quæ autem hæc præstare possint, (etsi multa sint ne dicam infinita) nos sequentia vti experimento comprobata, quibus maxima habenda erit fides, optima putamus, à lotione depilati loci initiantes, quæ tali ordine parari debet.

Cineris

℞. Cineris radicum Cannarum. ℔. xx.
Cineris hederæ. ℔. xv.
Stipitum Caulium.
Cineris Sarmentorum. } an. ℔. x.
Fiat ex eis lixiuium secundum art.

℞. Prædicti lixiuii. q.s. pro lotione capitis, in quo bulliant.
Capill. veris.
Abrotani.
Verbenæ. } an. m. i.

Coletur & ex eo caput lauetur, uel alia pars quæcunque fuerit depilata, quæ lotio alternis diebus fiat. a lotione vero sequenti linimento locus liniatur, quod.

℞. Pul. apum ustarum.
Pul. capillorum ustorum.
Pul. capitum murium ustorum. } an. ʒ. ii.
Olei de vitellis ouorum. ℥. i. s.
Aquæ mellis.
Ol. de tartaro. } an. ℥. i.
Pul ranarum ustarum. ʒ. ii.
Laudani.
Mirrhæ. } an. ʒ. i. s.
Ping. vrsi. ℥. ii.
Ping. viperæ. ʒ. ii.

Misce fiat vnguentum secundum art. & ex eo locus depilatus, factis prius lotionibus, (vt dictum est) calide liniatur. uide quia magnum medicamentum est, & apprime salutare. quod si ex omnibus confici non posset, ex pluribus confectus ualebit, si ex eo bis in die depilata loca linientur. Cum quo completum sit istud caput; & liber, ad laudem & honorem Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, Deiparæque Virginis, & totius curiæ cœlestis, quibus gratias quas possumus agimus, quòd nobis sanitatem conseruauerint, conceptusue subministrauerint, oramusq; vt in posterum animæ & corporis sanitatem seruent, & tandem ad cœlestia regna perducant, Vitamq; perennem præsenti operi ad Gloriam sui nominis Dominus exercituum condonet. Amen.

FINIS.

REGISTRVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnes ſunt quaterniones, præter ✠ qui eſt duernio.

VENETIIS, M D LXXX.

Marcus Aligeri qui et Corgena vitam duxerunt
nec Variolis, nec morbillis correpti unquam fuerunt

Serenissima Madama Anno suae aetatis octuagesimo
ex hac vita discessit, et numquam fuit correpta Variolis 80

D. Antonius ~~de~~ Riccardis filius del Bene Senator
Florentinus numquam Variolis laboravit mortuus est Anno
suae Aetatis 77. —— A. 77.

D. Lucas Carli de Beccutis Florentinus interijt numquam
correptus Variolis nec morbillis Anno suae Aetatis 50

D. Io: Baptista de Cortinis Florentinus usque ad Annum
suae aetatis 50 immunis fuit a Variolis — A. 50

D. Angelus (vivit adhuc) Matthei de Gallis filius usque ad Annum
suae aetatis 40 nec fuit tentatus p da Lahe. A. 40

D. Carolus (vivit adhuc) de Beccutis usque ad Annum 30. A. 30

D. Carolus de Hates usque ad Annum 30. A. 30

D. Phylippus de Camerinis usque ad Annum 30. A. 30